
FR. JOSEPHI AUGUSTINI ORSI ORDINIS PRAEDICATORUM ... DE IRREFORMABILI...





FR. JOSEPHI AUGUSTINI ORSI
ORDINIS PRAEDICATORUM

SAC. INDICIS CONGREGATIONIS A SECRETIS, DEIN SAC. PAL. AP. MAGISTRI ET S. R. E. CARDINALIS

DE IRREFORMABILI ROMANI PONTIFICIS IN DEFINIENDIS FIDEI CONTROVERSIIS JUDICIO

TOM. I. PARS SECUNDA.

ACCEDIT DISSERTATIO CIRCA MODUM, AB ILLUSTRISSIMO PETRO DE MARCA PROPOSITUM, CONCILIANDI SUMMAM EJUSDEM ROMANI PONTIFICIS AUCTORITATEM CUM LIBERTATE SUFFRAGIORUM IN SYNODIS OECUMENICIS.



TU ES PETRUS, ET SUPER HANC PETRĀ ÆDIFICABO ECCLESIĀ MEAM Math. 16

ROMAE MDCCLXXII.

TYPIS PAULI JUNCHI, PROVISORIS LIBROR. BIBLIOTHECAE VATICANAE.

Sumptibus Natalis, & Caroli Barbiellini Bibliopol. in Foro Pasquini.

SUPERIORUM FACULTATE.


TOMI PRIMI

PARS SECUNDA.


De reliquis Conciliis Oecumenicis disseritur: & quaedam pro nostra sententia generalia argumenta illustrantur & vindicantur, ac praesertim illud, quod ex eorumdem Conciliorum confirmatione petitur.

LIBER SECUNDUS

Quo Meldensis Episcopi liber decimustertius examinatur & confutatur. p. 102.



C A-



CAPUT XXX.

„ Synodus Nicaena secunda, seu ge-
„ neralis septima, more antece-
„ dentium Synodorum, de Adria-
„ ni Primi litteris quaestionem ha-
„ bet: Locus egregius, quo ea-
„ dem Synodus docet, vim illam
„ ineluctabilem in Ecclesiae Ca-
„ tholicae consensione esse positam.



T ex ipso titulo apparet, idem in praesenti, quod in praecedentibus Capitibus argumentum obtruditur; quo nimirum Sedi Apostolicae ac Romanis Pontificibus adimere Bossuetius nititur vim ineluctabilis auctoritatis, propterea quod Tarasius & septima Synodus consensum Adriani I. litteris praebuerunt, eisdemque subscripserunt, explorata prius earumdem cum sacrarum litterarum & veterum Patrum testimoniis consensione. Quam parum huic argumento momenti ac roboris insit, etsi jam saepius demonstravi; non piget tamen, aliis ex hac ipsa septima Synodo & Iconomachorum damnatione petitis rationibus idem uberius ostendere: ut quoniam Adversarius nihil omittit eorum, quae ad suum systema utcumque fulciendum, & labefactandam Sedis Apostolicae auctoritatem idonea ipsi videntur; nos pariter nihil omittamus eorum, quae ad ejusdem majestatem tuendam, sacra eadem monumenta suppeditant.

ARTICULUS PRIMUS.

Unius Sedis Apostolicae auctoritas obtinuit, ut Iconomachi ante septimam Synodum generalem, ab omnibus cum in Oriente, tum in Occidente Catholicis pro haereticis & ab Ecclesiae Catholicae communione praecisis, haberentur.

Iconomachos, antequam septima Synodus generalis fidei Catholicae sollennem definitionem ederet, imo & antequam ipsa convocaretur, pro haereticis cum in Oriente, tum in Occidente habitos esse; idque ex una Sedis Apostolicae auctoritate, plura sunt, quae invicte demonstrant.

Primus, qui nefariam haeresim, ubi primum in Oriente caput extollere

caepit, anathemate damnavit, fuit Gregorius II. sanctissimus Pontifex, quemadmodum praeter Auctores Graecos, Theophanem, Zonaram, & Cedrenum, qui id aperte testantur; & Leonem ipsum Isaurum Imperatorem eodem anathemate notatum fuisse perhibent; haud obscure indicant, cum Hadrianus Papa in Epistola ad Carolum Magnum, ubi Romani Concilii meminit hoc Pontifice adversus Iconomachos celebrati; tum Anastasius Bibliothecarius in vita ipsius Gregorii II. ubi narrat, quod acceptis *jussionibus*, *quibus decreverat Imperator, ut nulla imago cujuslibet Sancti, aut Martyris, aut Angeli ubicumque haberetur; maledicta enim omnia asserebat: & si acquiesceret in hoc Pontifex, gratiam Imperatoris haberet: Si & hoc fieri praepediret, a suo gradu decideret. Respiciens ergo pius Vir profanam Principis jussionem, jam contra Imperatorem quasi contra hostem se armavit, renuens haeresim ejus, scribens ubique cavere se Christianos, eo quod orta fuisset impietas talis*. Et infra loquens de Anastasio ab eodem nefario Imperatore in Sancti Germani Patriarchae Constantinopolitani Sedem intruso; *qui missa Romam Synodica, dum tali haeresi eum consentientem reperiret, Vir sanctus non censuit eum fratrem aut Consacerdotem solito vocari; sed rescriptis commonitoriis, nisi ad Catholicam converteretur fidem, etiam extorrem a sacerdotali officio esse mandavit: Imperatori quoque suadens salutaria, ut a tali execrabili miseria declinaret, scriptis commonuit*. Haec in ea Synodo, cujus meminit Hadrianus Pontifex, gesta esse, satis verosimile est. Quo autem zelo fideique ardore universus Occidens huic Sanctissimi Pontificis decreto paruerit, pluribus exponit ipsemet S. Gregorius in priore Epistola ad Leonem Isaurum Imperatorem: *At enim*. inquit, *eos* (Romanos) *perterrefacis, aisque: Romam mittam, & imaginem Sancti Petri confringam; sed & Gregorium illinc Pontificem vinctum adduci curabo, sicut Martinum Constantinus* (Constans) *adduci jussit. Scire autem debes, ac pro certo habere..... quod Occidens universus ad humilitatem nostram convertit oculos: ac licet tales non sumus nos, illi tamen magnopere nobis confidunt, & in eum, cujus denuncias te imaginem eversurum atque deleturum, Sancti scilicet Petri, quem omnia Occidentis regna velut Deum terrestrem habent. Quod si hoc velis experiri, plane parati sunt Occidentales ulcisci etiam Orientales, quos injuriis affecisti*. Et infra: *Totus Occidens Sancto Principi Apostolorum fidei fructus offert*. Antea vero narraverat, quod quum aliquot ex *Romanis, & ex Francia, ex Vandalis, ex Mauritania, ex Gotthia, & ex toto interiori Occidente*, Constantinopoli sacrilegos Imperatoris ausus vidissent, eosque deinceps in suis singuli regionibus ac provinciis narrassent; *tunc projecta*, inquit, *laureata tua*, quam antea agente ipso Pontifice cum honore susceperant, *conculcarunt, & faciem tuam conciderunt*, ac *delectu habito Longobardi & Sarmatae, ceterique, qui ad Septemtrionem habitant, miseram Decapolim incursionibus infestarunt &c.* Qua de re videsis & Anastasium Bibliothecarium in ejusdem Sancti Pontificis vita.

Gregorii Secundi vestigiis sequutos Romanos Pontifices institisse, *Grego-*

rium

rium (III.) *Zachariam*, *& Stephanum* (II.), *& iterum Stephanum* (IV.) Hadrianus Papa testatur in Epistola ad Carolum Magnum (cap. V.) quos inquit, *reperimus pro Sacrarum Imaginum erectione in Spiritu Sancto ferventes, rectae fidei zelum habere*. Potissimum autem refert, Concilium 79. Episcoporum a Gregorio Secundo ad confessionem beati Petri Apostolorum Principis habitum, fuisse a Stephano Papa *cum Episcopis partium Franciae atque Italiae* in Lateranensi Synodo confirmatum. Quo de fusius Anastasius Bibliothecarius in ejusdem Stephani vita. Narrat etiam in eadem Epistola laudatus Pontifex, relectam susceptamque fuisse in eodem Concilio, quod Stephanus *pro Sacris Imaginibus una cum diversis Episcopis in partibus Franciae, seu Italiae fecit*; susceptam inquam, probatamque fuisse Synodicam trium Orientis Patriarcharum ad Paulum Romanum Pontificem Epistolam, in qua se se cum Romana Ecclesia venerari sacras Imagines profitebantur. Ex quibus apertissime constat, Francos Episcopos idem tunc temporis cum Romanis Pontificibus & Orientalibus orthodoxis de sacrarum Imaginum veneratione sensisse. Id quod etiam confirmari potest ex Synodo Gentiliacensi Pippini jussu, Pauli Romani Pontificis & Constantini Copronymi Legatis praesentibus, anno DCCLXVII. celebrata; de qua haec scribit Ado Viennensis in Chronico: *Facta est Synodus anno Incarn. Dom. 767. & quaestio ventilata inter Graecos & Romanos de Trinitate & utrum Spiritus Sanctus sicut procedit a Patre ita procedat a Filio: & de Sanctorum Imaginibus, utrumne fingendae aut pingendae erant in Ecclesiis*. De eadem etiam scribit Regino Abbas, & locum designat. Pippinum enim testatur illius anni Pascha in Gentiliaco celebrasse, atque in eadem Villa Synodum magnam habuisse inter Romanos & Graecos de Sancta Trinitate, & de Sanctorum Imaginibus. Romanos autem Pauli Papae Legatos, omnes interpretantur; qui nimirum una cum Pippini Legatis Constantinopoli cum Graeci Imperatoris Legatis reversi, apud Pippinum Regem tunc erant, tantisper ab eo detenti, dum Synodus ista cogeretur. De hac quippe ipsa Synodo accipienda videntur quae Paulus Papa Pippino rescribit Epist. XXVI. inter Carolinas: *Direxit nobis Excellentiae vestrae Christianitas, significans de missis nostris, vestrisque, atque Graecorum, qui a Regia urbe reversi sunt, eos apud vos esse detentos, interim quod aggregatis vestris Sacerdotibus atque Optimatibus, conjicere seu perpetrare valeatis, quid de his, quae vobis directa sunt, respondendum sit. Et quidem nobis de hac re aliter confidendum non est a vobis responderi, nisi quae ad exaltationem sacrosanctae spiritalis matris vestrae Romanae Ecclesiae, atque orthodoxae fidei pertinere noscuntur*. Duo nimirum Graecorum legationis erant capita; unum de repetendis Italiae regionibus a Pippino Ecclesiae Romanae attributis; alterum de quaestionibus suprascriptis: in quorum altero Sedis Apostolicae dignitas & amplitudo, in altero fidei Catholicae sinceritas petebatur. Quamquam autem nescimus, quid Synodus decreverit, attamen spe sua frustratum non fuisse Pontificem, & consentaneum fuisse Romanae Ecclesiae doctrinae Patrum Gentiliacensium decretum, inde con-

conjicere est, quod Stephanus IV. Pauli Successor duobus post annis, hoc est, anno 769. ex eodem Francorum regno Episcopos petiit, qui ipsi ad profligandam Iconomachorum haeresim in Lateranensi Synodo adessent. Duodecim ergo ex praecipuis Galliarum Civitatibus, scilicet Wilcarius Senonensis, Lullus Moguntinus, Gavienus Turonensis, Addo Lugdunensis, Herminardus Bituricensis, Daniel Narbonensis, Tilpinus Rhemensis, Herulfus Lingonensis, aliique tres, quorum sedes ignorantur, Romam perrexerunt; ac decretum Gregorii secundi de colendis Sanctorum Imaginibus, una cum Stephano Papa aliisque Italiae Episcopis confirmarunt, & Synodicam trium Orientis Patriarcharum de eodem argumento Epistolam adprobarunt: quae proinde totius Galliae per ea tempora fides ac doctrina censeri debet.

Non secus atque Occidentales, Orientis Episcopos & Monachos aliosque Catholicos & orthodoxos in Apostolicae Sedis doctrina, & fide quievisse, ejusque praesidio & auctoritate munitos adversus Iconomachos decertasse, multis momentis evinci potest. Nam primo id aperte docet Hadrianus Papa in epistola citata ad Carolum Magnum: *Recte*, inquit, *dictum est, quia Deus misertus est Ecclesiae Constantinopolitanae, & obviavit veritati Sanctae Catholicae & Apostolicae Ecclesiae, quae semper justitiam tenuit, ut scriptum est*:

Justitiae sedes, fidei domus, aula pudoris:

Quam justitiam, fidem, atque pudorem, ut confessa est, Ecclesia Constantinopolitana amplectens, quando ab errore conversa est fecit pacem: quia tantummodo ipsa sola Sedes Constantinopolitana resistebat olitanae orthodoxae fidei. Nam Sedes Alexandrina, seu Antiochena, & Hierosolymitana semper nobiscum tenuerunt priscam traditionem, scilicet orthodoxam fidem, ut apud nos Synodica earum pro sacrarum Imaginum stabilitate habere monstratur. Et in alio ejusdem Epistolae capite: *Theodorus Patriarcha Hierosolymorum, cum ceteris praecipuis Patriarchis, videlicet Cosma Alexandriae, & Theodoro alio Antiochiae, dudum praedecessori nostro sanctae recordationis quondam Paulo Papae miserunt propriam eorum rectae fidei Synodicam, in qua & de sacratissimis Imaginibus subtili narratione, qualiter una cum nostra sancta Catholica & Apostolica universali Romana Ecclesia ipsi & ceteri Orientales orthodoxi Episcopi, & Christianus populus sentiunt, & in earumdem sanctarum Imaginum veneratione sincero mentis affectu ferventes in fide exsistunt, studuerunt intimandum.*

Quum Paulus Regiae urbis Patriarchatum voluntaria in Monasterium ad agendam poenitentiam secessione, propterea quod Copronymi Pseudosynodo consensum praebuerat, abdicasset; in ejus locum S. Tarasius, agentibus Imperatoribus Constantino & Irene, suffectus est; qui tamen oblatam dignitatem admittere recusavit, donec Augustis persuasit, ut ipsorum ope oecumenica Synodus cogeretur. Quae vero ratio Tarasium impulit, ut Synodum Oecumenicam peteret? Quid Synodo oecumenica opus esse judicavit? Numquid, ut jam a pluribus annis turbatis Ecclesiae rebus, & Regiae Urbis Patriarchis & Orientis Imperatori-

toribus de Imaginum cultu ab Ecclesia Romana aliisque Patriarchalibus Sedibus dissentientibus, haeresique in Pseudo-Synodo Constantinopolitana a CCCXXXVIII. Episcopis roborata; Ecclesiae Romanae traditio in Synodo oecumenica discuteretur, & Synodico examine inquireretur, an ab Ecclesiae Romanae doctrina dissentientes justo ac legitimo anathemate percellerentur? Nequaquam ob ejusmodi caussam Synodo oecumenica opus esse Tarasius judicabat; qui nimirum pro certo habebat, adhuc tot Episcopis & Imperatoribus reluctantibus, haud irritum esse Anathema, quo Sede Apostolica praeeunte, ab omnibus Occidentalibus & plerisque Orientalium Iconomachi feriebantur. Petebat ergo & omnino volebat haberi Synodum oecumenicam, ut pax redintegraretur, ut communem Ecclesiae Catholicae fidem Constantinopolitana Ecclesia complecteretur, ut reliquo Ecclesiae corpori tanta ejus & adeo illustris portio conjungeretur. En sanctissimi Viri verba: *Horrendum conamen ad exiguitatem meam & temerarium studium: caussa vero timoris & meae refutationis haec est. Aspicio enim & video Ecclesiam, quae super Petram Christum Deum nostrum fundata est, scissam nunc & divisam, & nos alias atque aliter loquentes, & aliter eos Christianos, qui in Oriente unius nobiscum* (quod nimirum pertinet ad alia dogmata) *sunt fidei: sed & his concordantes Occidentales, & nos ab omnibus illis alienatos, & a se per singulos dies anathematizatos habere. Dira poena est anathema, procul a Deo emittit, & e regno caelorum persequitur, & jucit in tenebras exteriores. Nescit Ecclesiae lex vel terminus,* νόμος καὶ ὅρος *sectam sive contentionem ..... Et petimus nos fratres, ut reor & vos, quoniam scio vos timorem Dei habere, a piissimis & orthodoxis Imperatoribus nostris Synodum universalem colligi, ut efficiamur nos, qui unius Dei sumus, unum &c. Et si quidem jusserint orthodoxiae propugnatores, Imperatores videlicet nostri postulationi meae justae annuere, consentio & ego, & jussionem eorum implebo: sin autem, impossibile mihi est hoc facere, ne subjiciar anathemati*. Cur non interim, donec Synodus Oecumenica cogeretur, adversus sententiam & anathema Sedis Apostolicae sese tuetur aut recursu ad Principes, aut appellatione ad Senatum tanquam ab abusu? Nimirum ignorabat sanctissimus Vir ejusmodi strophas & artes, quibus hodie Refractarii quaecumque Sedis Apostolicae & Ecclesiae fulmina eludere se posse arbitrantur; qui utinam aliquando haec, quae statim subjungo, S. Tarasii verba serio & ex animo cogitarent: *Ne*, inquit, *subjiciar anathemati, & inveniar condemnatus in die Domini nostri, et justi Judicis; ubi neque Imperatores, neque Sacerdotes, neque Principes, neque hominum multitudo poterit eripere me*. Haec, inquam, serio perpendant, qui Sedis Apostolicae & Ecclesiae anathematis aut Principum, aut Parlamentorum, aut aliquot Episcoporum ac secundi ordinis Sacerdotum, aut promiscuae multitudinis auctoritatem opponunt. Porro idem quod Tarasius, sentiebat inclytus ille Confessor & Ecclesiarum Magister S. Theodorus Studites lib. II. Epist. CXXIX. ad Leonem Sacellarium, ubi contendit, non esse coram Imperatore de sacris Imaginibus dis-

disceptandum, quoniam judicium de sacris Ecclesiae dogmatibus, non ad Imperatores pertinet & seculi potestates, sed primo loco ad Romanum Pontificem, & sub illo ad ceteros Patriarchas; quamquam & ex solo Romano Pontifice accipi & peti posse fidei Catholicae certitudinem, paullo post expresse definit: *Non enim*, inquit, *de rebus seculi carnisque sermo est, de quibus judicandi penes Imperatorem potestas est, & judicium seculare, sed de divinis ac caelestibus dogmatibus, quae aliis commissa non sunt quam iis, quibus ipse Deus Verbum dixit*: Quaecumque ligaveritis &c. *Quinam autem hi sunt, quibus hoc jussum fuit? Apostoli & eorum Successores. Quinam porro sunt Successores? Qui Romanam nunc primam Sedem tenet: qui Constantinopolitanam secundam, qui Alexandrinam, & Antiochenam, & qui Hierosolymitanam. Haec quinivertex potestas Ecclesiae: penes hos divinorum dogmatum judicium. Imperatorum vero & Praesidum est opem ferre & comprobare quae decreta sunt, & reconciliare qui carnaliter dissident ac discrepant. Haud aliud quicquam de divinis dogmatibus, neque a Deo traditum est; nec si fiat stabit.* Inde colligit, quod nequicquam frendentibus ac reluctantibus Imperatoribus, & Pseudo-Synodo trecentorum triginta & octo Episcoporum, ratum fuerat Deoque probatum anathema, quod a ceteris Patriarchis vibratum fuerat: *Propterea explosa & rejecta fuerunt circa divinarum Imaginum dogma, ea quae sub Constantino quondam, & Leone regia potentia atque audacia in Conciliabulo acta & perperam dicta sunt: quorum caussa divisa haec nostra Ecclesia fuit a ceteris quatuor, anathematismis affecta perennibus, approbante Spiritu Sancto. Post haec, Deo miserante, erectum est cornu fidei orthodoxae, magna Irene Imperium obtinente cum surculo suo; quo tempore quae divulsa erant coaluerunt usque ad proximum Leonem.* Reliqua S. Confessoris verba sequenti Articulo describemus.

ARTICULUS II.

De eodem argumento differitur: Ostenditur, dogma de cultu Sacrarum Imaginum propositum fuisse ab Hadriano tanquam certum ac retractationi minime obnoxium: eumdemque fuisse septimae Synodi sensum; ac nullius esse momenti quae contra Bossuetius opponit.

Nimirum in suis ad Tarasium litteris, quas septima ipsa Synodus suscepit, jubebat Hadrianus, ut antequam Concilium celebraretur, Copronymi Pseudo-Synodus damnaretur; aperteque declarabat, eum non alia ratione frui posse Sedis Apostolicae communione, nisi doctrinae formam τύπον ab Ecclesia Romana propositam amplecteretur, ac sincere & ex animo studeret, ut in suum locum sacrae Imagines restituerentur, & Christianorum cultui & obsequiis exhiberentur: *Sed vestra Sanctitas eisdem piissimis Imperatoribus, & triumphatoribus alacriter suggerat, ut in primis Pseudo-syllogus ille, qui sine Apostolica Sede inordinate & insyllogistice factus est adversus venerabilium Patrum traditionem contra divinas Imagines, anathematizetur praesentibus Apocrisariis nostris, & omne zizanium eradicetur ab Ecclesia, &*

Domini nostri Jesu Christi sermo compleatur, *quia* portae inferi non praevalebunt adversus eam: *Et rursus*: Tu es Petrus, & super hanc petram &c. *Cujus Sedes in omnem terrarum orbem primatum tenens refulget, & caput omnium Ecclesiarum Dei consistit. Unde idem beatus Petrus Apostolus Domini praecepto pascens Ecclesiam, nihil dissolutum dimisit, sed tenuit semper & retinet principatum. Cui si adhaerere cupit vestra Sanctitas, & nostrae Apostolicae Sedis, quae est caput omnium Ecclesiarum Dei, sacram & orthodoxam formam incorrupte & incontaminate, ex profundo cordis & sinceritate mentis custodire studet, ut revera orthodoxa & Dei cultrix consistens hoc primum Omnipotenti Deo offerat sacrificium, ut ex persona nostra praedictorum ..... Imperatorum nostrorum sublimia vestigia obsecret, & ut in conspectu Dei per terribile illos adjuret judicium, ut sacras Imagines in .... Regia urbe, & in omni loco in antiquum statum restituere & stabilire jubeant, conservantes traditionem hujus sacrae ac Sanctissimae Romanae Ecclesiae, & persequentes ac abominantes malignorum & haereticorum errorem per certamen vestrum & fidelem sollicitudinem: si autem sacras ac venerabiles Imagines illis in partibus non restituerint, consecrationem vestram recipere non audemus; & maxime si sectatus fueris eos, qui non credunt veritati.*

Quod fieri jubebat Hadrianus, reapse praestitum est. Nam Actione I. ipso statim Synodi initio quaesitum est, quomodo recipi deberent Iconomachi, qui ad Ecclesiae Catholicae communionem admitti postularent: statutum est autem, ut non reciperentur nisi tanquam haeretici & ab haeresi revertentes; jussique sunt, quemadmodum Hadrianus statuerat, ut variis anathematismis configerent tum Pseudosynodum Copronymi, tum singulos Iconomachorum errores. Haec constant ex libello seu confessione fidei, quam Basilius Ancyranus Episcopus in Synodo legit & quae ita auspicatur: *Legislatio est Ecclesiastica canonice tradita desursum ab initio tam a Sanctis Apostolis, quam a successoribus eorum &c. ut ab haeresi quacumque ad orthodoxam confessionem & traditionem Catholicae Ecclesiae conversi, in scriptis suam abnegent haeresim, & fidem confiteantur orthodoxam. Unde & ego Basilius Episcopus Civitatis Ancyrae proponens uniri Catholicae Ecclesiae, Hadrianoque Sanctissimo Papae &c. praesentem hanc confessionem meam facio in scriptis, & offero vobis, qui ex Apostolica auctoritate potestatem sumsistis ..... Credo igitur & profiteor &c.* Et infra: *Projiciens & anathematizans ex tota anima & tota mente Synodum, quae ex stoliditate & dementia congregata, & septima Synodus nominata est &c.* Et rursus: *Haec ita confiteor, & his assentior: & idcirco in simplicitate cordis recta mente, Deo mihi testimonium perhibente, hic subjectos facio anathematismos: Christianorum calumniatoribus, id est, Imaginum confractoribus, anathema ..... His, qui non salutant sanctas & venerabiles Imagines, anathema &c. Haec quidem ita confiteor, & his assentior, & ex toto corde, anima, & mente pronuncio. Si vero, quod absit, ex diabolica summissione aliquo tempore voluntarie vel non voluntarie aversus fuero ab istis, quae jam professus sum, amathema sim a Patre, Filio*

& Spi-

& Spiritu Sancto, atque a Catholica Ecclesia, seu sacro ordine penitus alienus. Similis est, & ejusdem tenoris fidei libellus, quem in eadem Actione Synodo obtulit Theodosius Episcopus Ammorii, cujus hoc est initium *Confiteor, & polliceor, & recipio, amplector, atque adoro principaliter intemeratam Iconam Domini nostri Jesu Christi &c.* Et infra: ***His, qui non adorant venerabiles Iconas, anathema. His, qui blasphemiam dicunt in pretiosas & venerabiles Iconas, anathema . . . . His, qui non docent diligentur cunctum Christi amatorem populum adorare venerabiles Iconas sacras & adorandas omnium Sanctorum, qui in saeculo Deo placuerunt, anathema. His, qui ambigui sunt, & non ex animo fatentur, se sacras Imagines venerari, anathema.*** Has fidei professiones, hos anathematismos proferre jussi sunt, qui ad Ecclesiae Catholicae communionem adspirabant, antequam ulla per Synodum fidei definitio ederetur, imo antequam ulla circa fidem deliberatio fieret, antequam ullum examen institueretur: idque unum in hac prima actione quaesitum est, an & quomodo suscipiendi essent haeretici, qui ab haeresi ad Ecclesiam Catholicam revertebantur; nec dubitabant Patres, aut in quaestionem vocabant, imo pro certo habebant, Iconomachos haereticos esse, haereticam esse eorum doctrinam, & certissimum esse fidei Catholicae dogma, Ecclesiae de cultu Imaginum traditionem: quae tamen primo in disceptationem venire debebant, si verum est, quod Bossuetius tantopere contendit, ideo Synodos Oecumenicas congregari, ut sacrorum dogmatum examen instituatur, de illis deliberatio & inquisitio fiat, ac postremo firmum & ineluctabile, & quod parendi necessitatem adferat, judicium consequatur. Hic autem videre est, Iconomachos ante ullum Synodi examen pro haereticis habitos, & coactos esse priora dogmata velut haeretica abjicere ac detestari, & Ecclesiae dogma de cultu sanctarum Imaginum velut ad fidem pertinens profiteri, sibique ipsos anathema dicere, si aliquando ab hac fidei professione discederent.

His peractis, Actione tertia lectae sunt Hadriani ad Imperatorem, & ad Tarasium litterae, de quarum susceptione haec habet Illustrissimus Bossuetius: „ Cum Adrianus Primus veram „ de colendis κατὰ σχέσιν, seu relati„ vo cultu, Christi & Sanctorum Ima„ ginibus doctrinam septimae Synodo „ per litteras, more priorum Ponti„ ficum exposuisset; Patres quoque „ more majorum eas litteras Synodi„ ce examinarunt. Lectis enim Epi„ stolis duabus Sancti Pontificis, al„ tera ad Imperatorem, altera ad Sy„ nodum; quaesitum ita est per Le„ gatos Apostolicae Sedis: *Dicat no„ bis sanctissimus Patriarcha Tarasius „ Constantinopolitanae urbis Episcopus, „ si consentiat literis sanctissimi Papae „ senioris Romae.* Rogatus in eam „ formam Tarasius, consentire se pro„ fitetur. *Nam & ipsi nos*, inquit, „ *scrutando scripturas, & syllogistice „ approbando rimati sumus: Sic quod „ confessi sumus; confitemur, & confi„ tebimur; consonamus, & vim lecta„ rum literarum confirmamus.* Sup„ plendum ex Graeco post; *scriptu„ ras rimati*, hoc quoque, *& patriis „ doctrinis docti*: quod etiam vulgata „ & antiqua lectio retinebat.

„ Patet ergo, a Tarasio ita appro„ ba-

„ batas Adriani Epistolas, quod rem „ ipse perpendens, eas Scripturis, „ traditioni, eique, quam ipse ab „ antiquo hauserat, fidei conformes „ esse senserit, factaque inquisitione „ intellexerit: post quae Tarasii ver„ba, *sancta Synodus dixit*: *tota sa-* „ *cratissima Synodus ita credit*, *ita* „ *sapit*, *ita dogmatizat*: Quibus „ verbis tota Synodus se Adriano au„ctori, ac Tarasio ex intellecta ac „ perpensa ratione approbanti, con„sentire declarat; atque ut res con„staret clarius, a Legatis Apostolicis „ Synodus interrogata est in hanc for„mam: *Dicat nobis sancta Synodus*, „ *si admittat litteras sanctissimi Papae* „ *senioris Romae*, *an non?* quod de „ re explorata, deque irreformabili „ judicio quaeri, neque recta ratio, „ neque fides sinit. Ad eam rogatio„nem sancta Synodus dixit: *Sequi-* „ *mur*, *&* *suscipimus*, *&* *admitti-* „ *mus*.

Haec ideo integra descripsi, ut inde Lector intelligat, quam parum tutum sit, ex sola librorum lectione, quos adeo frequentes Adversarii in lucem emittunt; certum de hisce controversiis judicium proferre, nisi etiam ipsos adeat fontes, & Conciliorum & Patrum textus suis ipse oculis lustret. Nihil enim adeo universum Meldensis Episcopi systema ab imis fundamentis convellit, quam haec ipsa Tarasii verba, quibus Hadriani Epistolas se se recipere profitetur; dum tamen haud mutila, quemadmodum ab Adversario producta sunt, ut ea in rem suam converteret, sed integra referantur: Haec enim integra verba sunt, quibus Legatorum interrogationi Sanctissimus Patriarcha respondit: *Sacratissimus Paullus Apostolus qui illustratus est lumine Christi*, *&* *genuit nos per Evangelium*, *cum Romanis scriberet*, *approbans studium sincerae fidei eorum quam in Christum verum Deum habebant*, *sic ait*: Fides vestra annunciatur in universo mundo. HOC TESTIMONIUM SEQUI NECESSARIUM EST, ET INCONSULTE AGIT, QUI HUIC CONATUR RESISTERE. *Unde Hadrianus praesul Senioris Romae*, *quum esset particeps eorum*, *qui praedicto testimonio muniri meruerunt*, *scripsit expresse ac veraciter piis Imperatoribus nostris*, *atque ad humilitatem nostram*, *affirmans bene ac optime se habere antiquam traditionem Ecclesiae Catholicae*. *Nam* *&* *ipsi nos scrutando scripturas* *&c.* Sequuntur verba quae sola Bossuetius descripsit. Quis autem hic non videat, duplicem adferri rationem, ob quas Hadriani Epistolam necessario suscipere oportebat: quarum prior ex Ecclesiae Romanae auctoritate petebatur, cujus fidem Apostolus commendaverat; cujus testimonium sequi Tarasius necessarium esse pronunciat, & inconsulte agere, qui illi conantur resistere? Itaque ne Paulo Apostolo contradicat, ne illius testimonio resistat, Ecclesiae Romanae fidem ac traditionem Hadriani litteris expositam, se se amplecti, sequi ac suscipere profitetur. Alteram vero rationem inde Tarasius petebat, quod ipse etiam scrutando scripturas & veterum Patrum traditionem, his consonum esse perpenderat sacrarum Imaginum cultum, quem suis Hadrianus litteris commendabat. Hanc Tarasii responsionem universa Synodus probavit, & amplexa est. Inde autem luce clarius ac manifestius apparet, quam nullius roboris ac momenti sit argumentum,

tum, quod Bossuetius toties inculcat ex eo derivatum, quod Romanorum Pontificum epistolae ideo a Conciliis probatae ac susceptae sunt, quod eas Patres Scripturarum ac Patrum testimoniis consonas repererunt. Patet enim ex adlatis Tarasii verbis, quod haec ratio alteram non oppugnat aut labefactat, quae ex Sedis Apostolicae auctoritate petitur. Ac profecto, si ea tantum ratione suscipiendae essent Romanorum Pontificum Epistolae, quod eas legitimo praemisso examine, Scripturarum ac Patrum testimoniis consonas judicamus, & non etiam propria auctoritate valerent, neque ut hic docet Patriarcha Tarasius, parendi necessitatem adferrent; antequam Patres in hac septima Synodo Hadriani litteris subscriberent, audire debuissent ac sedulo examinare sacrarum litterarum ac Sanctorum Patrum de cultu Imaginnm testimonia: quod tamen factum non est; sed antea, hoc est, Actione secunda Hadriani litteris subscripserunt; postea vero, hoc est, Actione quarta Tarasius Synodo suasit, ut sacrorum librorum & veterum Patrum testimonia in medium adducerentur, ac sedulo examinarentur: quod utique alio spectare non poterat, quam ad ampliorem jam notae & creditae veritatis manifestationem: quod & ipsa Tarasii verba haud obscure significant. Sic enim ait: *Per antecedentes proxime actiones, flatu Domini omnitenentis nos docente secundum Proverbiatorem, veritatem meditatum est guttur nostrum; quia literis, quae lectae sunt Sanctissimorum Virorum, Orientis videlicet & Occidentis, concordes effecti sumus.* Itaque de veritate doctrinae, quam Epistolae continebant, quas ipso praeeunte Synodus universa susceperat; Deique omnipotentis spiritu adflata probaverat, nullatenus ambigebat. Quid ergo petit, ut in medium adferantur Sanctorum Patrum volumina? ut nimirum *ex ipsis*, inquit, *haurientes potemus singuli gregem nobis commissum. Taliter enim & in omnem terram exibit sonus noster, & in fines terrae verborum virtus nostrorum: pro eo quod non transferimus terminos, quos posuerunt Patres nostri; sed Apostolice docti, tenemus traditiones, quas accepimus*. Id est; hoc pacto compertum omnibus erit, ipsique etiam rebelles ac refractarii suis explorabunt oculis, quod nequaquam veterum Patrum traditiones explosimus, quum litteris Hadriani subcripsimus.

Confirmari haec possunt ex iis, quae in sexta Actione peracta sunt: lecta sunt enim dearticulate praedatoriae Synodi acta quae Constantinopoli Constantino Copronymo auctore, celebrata fuerat; lecta sunt, inquam, ejusmodi acta cum satis prolixa ad singula capita Epiphanii Diaconi confutatione: at vero jubente Hadriano, totaque Synodo consentiente, repetitis anathematismis jam pluries confixa fuerant dirisque devota cuncta illius Pseudo-Synodi gesta. Quo ergo referri potuit haec amplior eorum discussio & refutatio, nisi ut magis constaret de aequitate judicii, quod in adulteram legitima Synodus protulerat?

Ex his porro colligitur, nihil pariter ad praesentem controversiam roboris ac momenti esse in iis quae Bossuetius subjungit; quorum summa est, juxta septimae Synodi definitionem „ summam & ineluctabilem certitudinem „ in Ecclesiae Catholicae consensione, „ im-

„ immo in Spiritus Sancti universam „ Ecclesiam docentis magisterio esse „ positam. Quis vero Catholicorum ignorat, aut negat, universam Ecclesiam in iis quae ad fidem & mores pertinent, errare non posse, ejusque de his rebus firmum esse & ineluctabile judicium? Itaque sacrae Synodi verbis, quae Bossuetius refert, & hanc continent certissimam veritatem, utroque pollice subscribimus. Verum, ipsomet auctore Tarasio, & ejusdem aevi illustrissimo Confessore ac fidei & veritatis invicto praecone & athleta S. Theodoro Studita, praeterea docemus, tum firma esse & indeclinabilis auctoritatis Ecclesiae universae judicia, quum illis tamquam caput Romanus Pontifex praeest; quum eo auctore fiunt, perinde ac si Petrus ipse vel ipse Christus adesset; denique quum ejus decretis ac doctrina velut oculo diriguntur. Ejusmodi fuisse latum a septima Synodo in Iconomachos judicium, & conscriptam ab ipsa de cultu Imaginum definitionem, docet nos ipse Tarasius in Epistola ad Hadrianum Actione octava ipsius septimae Synodi in haec verba: *Quum omnes sedissemus, caput fecimus Christum. Jacebat enim in sancta sede Evangelium sanctum &c. Et quum praelatae primitus vestrae fraternae Sanctitatis litterae legerentur, communi considebamus corona, spiritalibus eduliis tanquam in regalibus coenis fruentes, quae Christus per literas tuas epulantibus praeparabat: & sicut oculus totum corpus rectitudinis & veritatis semitam ostendebas. Sic ergo dirupta membra in unum conveniebant; sic vera consonantia confirmabatur; sic Catholica Ecclesia unitatem recipiebat.* Deinde illud etiam adjungimus, quod superius idem Tarasius docuit, ex sola quoque Romanae Ecclesiae ac Romani Pontificis auctoritate parendi necessitatem adferri; & siquidem in Synodum coalescere non possit universa Ecclesia, aut vero id non expediat, ex solo Romano Pontifice petendam esse & accipiendam fidei Catholicae certitudinem; quemadmodum sequentibus verbis aperte docet S. Theodorus Studites epistola superiori articulo laudata ad Leonem Sacellarium: *Fieri ergo nulla ratione potest, Domine, ... ut coalescat haec Ecclesia, non consentientibus quinque Patriarchis. Quod si roget quispiam, quo pacto id fieri possit? Si excedant, inquam, Dei Ecclesiis heterodoxi, & propriam sedem recipiat quondam Nicephorus sacer Patriarcha. Qui coacto eorum conventu, cum quibus certamen sustinuit; (si fieri non possit, ut ab aliis Patriarchis adsint Vicarii; quod certe fieri potest, si velit Imperator Occidentalem adesse, cui & potestas summa defertur Synodi Oecumenicae;) attamen pacem conficiat & conjunctionem, Synodicas suas ad primae Sedis Praesulem mittendo. Quod si hoc minime probet Imperator, deflexitque, ut ipse ait, a veritate Nicephorus Patriarch; amittenda est ad Romanum ex utraque parte legatio,* ET INDE FIDEI ACCIPIENDA EST CERTITUDO. χαχῆσθαι δεχέσθω τὸ ἀσφαλὲς τῆς Πίστεως. Quid clarius? Ἀσφαλὲς, certum, immobile, quod labefactari non potest, quod postremo denique aevo, ut ipse Bossuetius monet, re antiqua, novo vocabulo, *infallibile* appellatum est. Itaque si universa Ecclesia, quinque praeeuntibus Patriarchis, in Synodum convenire non poterat, ex Romano Pon-

Pontifice petenda erat & accipienda immobilis & irretractabilis, & *infallibilis* fidei certitudo.

CAPUT XXXI.

„ Galli Synodum septimam, seu Nicaenam secundam Adriano Praeside habitam pro oecumenica non habent, eo quod ad illam nec ipsi, nec alii Occidentales vocati essent: Egregius ea de re Jacobi Sirmundi locus: Romanorum Pontificum de Gallis sententia.

GAllos olim septimam Synodum repudiasse, compertum omnibus est; cur autem repudiarint, ejusque Synodi decretis repugnarint „ causa, „ inquit Bossuetius, fuit, non quod „ de Synodi oecumenicae auctoritate „ dubitarent; sed quod Nicaenam se„ cundam ad quam vocati non essent, „ pro Oecumenica non agnoscebant: „ immo in Francofordiensi Synodo, „ ex Galliae ac Germaniae Ecclesiis „ congregata, praesentibus etiam „ Romanae Ecclesiae Legatis, res„ puebant: quod quia maxime ad rem „ nostram spectat diligentissime consi„ derare nos oportet. Et nos etiam totam hanc rem satis implexam, & partium studio densissimis tenebris involutam, pro virili illustrare conabimur. Quamquam enim Meldensis Episcopus, se illam diligentissime pertractaturum spondeat; attamen ea tantum per summa capita delibat, quae illius caussam juvare posse videntur pluribus omissis, quae aliam profecto huic negotio faciem induent, si diligenter ac sedulo perpendantur.

ARTICULUS PRIMUS.

Septima Synodus Nicaena secunda, reapse oecumenica fuit: & olim Galli immerito hunc illi titulum denegarunt.

SI quae hactenus cum in Oriente, tum in Occidente opinio ac disciplina obtinuerat, deposito partium studio consideretur, aperte nobis constabit, id unum absolute ad Synodum oecumenicam celebrandam sufficere visum esse, ut quod pertinet ad Orientales, de quorum damnandis erroribus agebatur, primarum Sedium Episcopi vel per se ipsos, vel per suos Vicarios, reliquorum vero insignis aut notabilis numerus interessent. Quod vero ad Occidentales id unum sufficere visum est, ut eis Sedes Apostolica per suos Vicarios praeesset. Hac certe opinione Tarasius, & Orientis Imperatores imbuti erant; quum Synodum oecumenicam celebrare volentes, id unum ex Hadriano petierunt, ut suos in Orientem Legatos mitteret: Ita enim apud Constantinum & Irenem in Epistola ad Patres secundi Concilii Nicaeni Tarasius loquitur: *Et quia Synodum universalem posco fieri, dum Vicarii tam a Papa Romano quam ab Orientis Principibus Sacerdotum inveniuntur.*

Eadem quoque Hadriano Papae mens inerat, quum acceptis Imperatorum & Tarasii litteris de Oecumenica Synodo celebranda; satis & ipse esse putavit, si suos ex Occidente Legatos mitteret; nec alias Ecclesias hac de re solicitandas existimavit: *Porro,* in-

inquit S. Pontifex Tarasio scribens, *post confessionem fidei vestrae notum factum est nobis, quod vestra venerabilis sanctitas postulaverit ab ..... Imperatoribus nostris, qui ad gloriam Dei facti sunt, quo fieret universalis Synodus; & repromiserint coram omni Christiano populo suo, supplicationi vestrae pie annuentes, Synodumque in Regia urbe fieri definientes. Nos autem, quemadmodum in ipsorum Diva continebatur jussione, dilectos nobis & approbatos atque prudentes Sacerdotes pro statu sacrarum Imaginum, ut prisco illis in partibus ordine constituantur, cum magno desiderio & maximo gaudio destinavimus.*

Tertio idem colligitur ex litteris Tarasii ad Summos Sacerdotes, id est, Patriarchas Alexandriae, Antiochiae, & Hierosolymae, ubi quum antea dixisset; *Ab Imperatoribus Synodum universalem petivimus; & postulationi nostrae pie annuerunt*; postea subjungit: *Unde rogamus Sanctitatem vestram usque ad duos loci servatores* [seu Vicarios] *mittere, cum Deiloqua epistola sua ... Id ipsum enim & a Praesule senioris Romae petivimus*. Quod proinde sufficere existimabat, ut oecumenica Synodus haberetur.

Hoc ipsum sentiebant & ipsimet Orientales in suis ad Tarasium litteris, quae cum illis Tarasii probatae sunt Actione tertia septimae Synodi: *Ne molesta*, inquiunt, *vobis appareat trium Apostolicarum Sedium almorum Patriarcharum, & sanctissimorum Episcoporum, qui sub ipsis degunt absentia, non ex proprio eorum accidens proposito &c. Hoc autem subtilius est considerandum, etiam ab ipsa sacra & universali sexta Synodo, in qua nullus eorum, qui per idem tempus in his partibus Episcopi erant, convenisse repertus est propter obscoenorum obtinentiam. S. nullum ex hoc sanctae adhaesit Synodo praejudicium ..... praecipue quum sanctissimus & Apostolicus Papa Romanus concordaverit, & in ea inventus sit per Apocrisarios suos. Et nunc sanctissimi, hoc cum auxilio Dei similiter fiat. Nam sicut tunc illius fides in orbis terrae personuit fines; ita & Synodi, quae nunc per gratiam Dei congreganda est per interventionem vestram, & ejus qui moderatur Apostolorum Principis sedem, praedicabitur in omni loco, qui sub sole est; videlicet, quae tyrannice destructa sunt erigens, & in antiquam & Apostolicam reformans traditionem*. Synodum sextam inter oecumenicas recensitam fuisse animadvertunt, propterea quod ejus decretis Romanus Pontifex consenserat ejusque dogmata confirmaverat, eique per suos Legatos sive Apocrisarios adfuerat. Quamquam autem illi & Legati totius Occidentis interfuerant, horum tamen nullam mentionem faciunt, rati sufficere Romani Pontificis per suos Legatos praesentiam: quemadmodum & septimam hanc Synodum velut oecumenicam habendam esse pronunciant, propter solam ex Occidente interventionem ejus, qui moderabatur, Apostolorum Principis Sedem.

Johannes Diaconus Actione sexta hujusce septimae Synodi ex eo probat, habitam Constantinopoli sub Constantino Copronymo Pseudo-Synodum, falso se se ac nullo jure oecumenicam praedicasse, quamvis illi ingens Episcoporum numerus, idest trecentorum triginta & octo interfuerat, propterea

quod

quod eam *neque receperunt*, *neque concordaverunt reliquarum Praesules Ecclesiarum*, *sed anathemati hanc transmiserunt*. Quinam vero sunt illi Ecclesiarum Praesules, quorum dissensione factum est, ut irrita essent quae tot Episcopi constituerant, & celebratum ab eis Concilium vim oecumenicae Synodi non haberet? Ex Oriente quidem tres Patriarchas commemorat; ex Occidente vero solum Romanum Pontificem, & Sacerdotes qui circa ipsum erant, τὺς περὶ αὐτὸν ἱερᾶς, hoc est qui Romanum Clerum, aut qui veluti Romano Pontifici familiarem eique tunc jugiter adhaerentem Synodum constituebant: *Non enim habuit adjutorem illius temporis Romanorum Papam*, *vel eos qui circa ipsum sunt Sacerdotes*, *nec etiam per Vicarios ejus*, *neque per encyclicam epistolam*, *quemadmodum lex dictat Conciliorum*. *Sed nec consentientes sibi Patriarchas Orientis*, *Alexandriae scilicet*, *Antiochiae*, *& sanctae Civitatis*, *vel comministros & Summos Sacerdotes*, *qui cum ipsis exsistunt*.

Eamdem legem, seu veterem morem, juxta quem legitima Synodus absque Romani Pontificis consensione celebrari non poterat, commemorat etiam S. Theodorus Studites lib. I. Epistola XXXIII. ad Leonem III. ubi queritur, a Moechis, sive adulterarum Imperatoris nuptiarum approbatoribus haereticam fuisse Synodum coactam, qui *ne orthodoxam quidem*, inquit, *absque cognitione vestra*, *ut antiquus mos obtinet*, *cogere potuerunt*. Qui etiam in alia Epistola superius laudata ad Leonem Sacellarium satis aperte significat ad Synodum oecumenicam satis esse, *ut ab aliis*, hoc est Orientis *Patriarchis adsint Vicarii*. .... *& Occidentalem interesse*, *cui*, inquit, *& potestas summa defertur Synodi oecumenicae*.

Denique ipsa secunda Nicaena Synodus, cui cum Tarasio Regiae Urbis Patriarcha religiosissimi duo Monachi Johannes & Thomas, qui sedium Orientalium locum tenebant; & Episcopi CCCL. eximii vitae sanctitate, eruditionisque praestantia; & Archimandritae multi cum Monachis quamplurimis, qui Patrum consessum sanctitatis & doctrinae splendore magnifice decorabant; clarissimi item Senatores aliquot missi ab Imperatoribus interfuerunt; tanta, inquam, Synodus ubique se se Oecumenicam vocat. Quod quamquam, ut ait Bossuetius, Gallos offendit; patietur tamen, nos aliquot Episcoporum Galliae opinioni, (quorum, ut deinceps ostendemus, hac de re nullius momenti apud nos ob plures rationes esse debet auctoritas) tantorum Virorum ac tantae Synodi praeferamus auctoritatem; quibus persuasum erat, ad Synodum oecumenicam constituendam satis esse, ut illi ex Occidentalibus solus Romanus Pontifex per suos Legatos adesset.

ARTICULUS II.

Ex rejecta per Gallos Nicaena secunda Synodo nihil confici potest adversus Sedis Apostolicae summam & indeclinabilem auctoritatem.

PRobatur eadem ratione, qua Bossuetius probat, ex repudiata per Gallos hac ipsa Nicaena Synodo nequaquam labefactari Conciliorum generalium auctoritatem: „ Cur enim, *in-*

„ *quit*,

„ *quit*, Patres nostri Ecclesiae Gallicanae Praesules ejus Synodi decretis repugnarent, caussa erat, non quod de Synodi oecumenicae auctoritate dubitarent; sed quod Nicaenam secundam, ad quam vocati non essent, pro Oecumenica non agnoscebant: proindeque ita eos in hac quaestione versatos esse, etiam Sirmundus Bossuetio laudatus animadvertit, ut sibi non cum oecumenico Concilio, sed cum peculiari Graecorum Synodo, rem esse contenderent. Hac ergo eadem ratione probamus ex rejecta per Gallos Nicaena Synodo nihil colligi posse ad labefactandam summam & inconcussam Sedis Apostolicae in dirimendis fidei controversiis auctoritatem. Quum enim Nicaenam Synodum Gallicani Praesules impetebant, non modo eam pro Oecumenica non habebant; ac propterea nihil ex eorum in hanc Synodum disputationibus confici potest adversus generalium Conciliorum auctoritatem; verum & a Romano Pontifice nondum solemni ritu probatam & confirmatam acceperant: quare servata ea quae debetur Sedi Apostolicae reverentia, eam a se rejici posse existimabant.

Hadrianus sub finem Epistolae, quam pro Nicaenae Synodi defensione scripsit ad Carolum Magnum, certiorem eum reddit, quemadmodum se cum Orientalibus in hac caussa hactenus gesserit. Narrat enim, se Legatos misisse Constantinopolim Petros duos, qui *statim concilium fieri jusserunt: sed ab haereticis seditione facta, in Sicilia Insula Missi nostri sine responso reversi sunt: & demum post eos mittentes, iterum Constantinopolim eos ascendi fecere. Et sic Synodum istam secundum nostram ordinationem fecerunt, & in pristino statu sacras & venerandas Imagines erexerunt*. Ita factum esse dicit, ut haeretici Imaginum eversores *ad fidem orthodoxam sanctae Catholicae & Apostolicae Ecclesiae reversi sint. Et ideo ipsam suscepimus Synodum. Nam si eam minime recepissemus, & ad suum pristinum vomitum erroris fuissent reversi*, (hoc est ad Imagines abolendas) *quis pro tot millium animarum Christianarum interitu habuit reddere rationem ante terribile tremendum divini Judicis examen, nisi nos solummodo? Mox ista subjungit: Nos vero adhuc pro eadem Synodo nullum responsum eidem Imperatori reddidimus: metuentes, ne ad eorum reverterentur errorem*. „ Quibus verbis; inquit Petavius (a), indicat Hadrianus, se Nicaenam illam quidem Synodum approbasse: nondum tamen publico, &, ut Jurisconsulti loqui solent, authentico testimonio ratam habuisse: quam posteriora tempora *Bullam* instituêre dicere. Cujus rei illud etiam argumento esse potest, quod Acta Synodi ejusdem ad Carolum misit in Gallias, ac de illis conventum Episcoporum indici præcepit, ut testatur Hincmarus. Nondum ergo pro Oecumenica eam habendam esse decreverat, quando ad Carolum illius Acta destinavit, & Carolini Operis auctor ejusdem Synodi refutationem elucubravit: quod post triennium ab Nicaena peracta Synodo, hoc est anno Christi 790. contigisse, Rex ipsemet in Praefatione demonstrat; quinto antequam Francofurtum convenirent Episcopi. Hinc-

(a) Tom. VI. Theolog. Dogmat. lib. XV. cap. XII. num. VI.

Hincmarus, quem Petavius laudat, haec habet de septima Synodo in Opusculo quinquaginta Capitulorum ad Hincmarum Laudununensem Capitulo vigesimo: *Septima vocata universalis Pseudo-Synodus de Imaginibus; quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant; neutra vero pars intellectu sano diffiniens sine auctoritate apostolicae Sedis, non longe ante nostra tempora, Constantinopoli est a quampluribus Episcopis habita, & Romam missa: quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Unde tempore Caroli Magni Imperatoris, jussione Apostolicae Sedis, generalis est Synodus in Francia, convocante praefato Imperatore, celebrata; & secundum scripturarum tramitem traditionemque Majorum, ipsa Graecorum Pseudo-Synodus destructa, & penitus abdicata. De cujus destructione non modicum volumen, quod in Palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est ad quosdam Episcopos missum*. Ex quibus verbis merito laudatus Petavius colligit, quod quum Patres Francofordienses Nicaenam Synodum, vel ei potius falso affictam Interpretis dolo vel imperitia doctrinam, improbabant, nondum oecumenicam & ab Hadriano probatam esse sciebant; utpote cujus ad illos Acta miserat Pontifex, utique consideranda & recognoscenda, ut ex adlatis Hincmari verbis apparet.

Eadem quoque Nat. Alex. observat Differt. VI. in Histor. saec. VIII. §. VIII. Francofordienses Patres nihil, *inquit*, se remittere arbitrati sunt de observantia erga Sedem Apostolicam sua, rejiciendo Synodum, quam Oecumenicam non censebant, & quae ab ipso Pontifice sollenniter confirmata non erat: Licet enim Synodum septimam suscepisset Hadrianus, non tamen eam confirmaverat sollenni more, missa ad Imperatores, & ad omnes totius orbis Ecclesias Epistola. Id testatur ipse in Epistola Apologetica pro cultu Imaginum ad Carolum Magnum. *Et infra*: Ex his quae superius diximus, constat, quam leviter & temere Anonymus quidam ex Protestantium grege dissertator (Dalix Carentonicus Minister is esse dicitur) Conciliorum universalium a Romano Pontifice confirmatorum definitiones ad examen revocari posse, colligat ex libris Carolinis & ex Synodis Francofordiensi & Parisiensi, ex Jona Aurelianensi, Dungalo, Agobardo, Hincmaro &c. qui Synodum septimam rejecere. Cum enim illam pro Oecumenica non haberent, nec eam ritu sollenni confirmasset Hadrianus Papa, nec ejus Successores ad eam recipiendam Gallos, Germanos, Britannos, Italosque Praesules urgerent oeconomia quadam; inde argumentum duci non potest, quo probetur, licere Synodorum Oecumenicarum [*a Pontifice sollenniter confirmatarum*] definitiones ad examen revocare. Certe Pontifices Hadriani successores Synodum Nicaenam II. inter Oecumenicas non statim computasse, fatetur Anonymus ille Calvinista, laudatque Nicolaum I. & Romanam sub ipso Synodum an. 867. habitam, sex tantum Synodos universales numerantem: *Auctoritate*, inquit, *Principis Apostolorum Petri & Pauli, atque venerandorum sex universalium Conciliorum, omni caritatis officio exutus sit*. Epistolam quoque ejusdem Pontificis ad Adonem Viennensem laudare potuisset: cum enim initio

sui

sui Episcopatus fidei suae Professionem ad Nicolaum I. direxisset, professus se probare quatuor Synodos generales, nulla ceterarum mentione facta, ita ipsi rescribit Nicolaus... *Volumus pariterque Sanctitatem vestram rogamus, ut sub omni celeritate dirigatis, qualiter vos de ipsa quinta & sexta Synodo sentiatis*. Qua in Epistola nullam mentionem facit septimae Synodi Nicolaus I. &c. Hadrianus quoque II. Epistola XXXIV. quae est ad Carolum Calvum, sex tantum Synodos universales recenset... Denique quamvis Galli Germanique Praesules jure egissent, cum Nicaenam Synodum II. improbavere, ac rejecere (quod tamen non concedimus) non sequeretur, jure Lutheranos & Calvinistas Tridentinam Synodum ad examen revocare ac rejicere, ut contendit Anonymus Dissertator. Synodum namque Nicaenam II. Romani Pontificis auctoritate celebratam, ejusque definitionem Legatis ejus suffragantibus editam dubitabant Galli & Germani Praesules: unde necesse habuit Hadrianus I. Carolum Magnum ea de re facere certiorem in Epistola Apologetica, in qua etiam, ut vidimus, eam a se nondum sollenniter confirmatam fuisse significabat, quamvis susceptam fateretur: *Ipsam*, inquit, *suscepimus Synodum: sed, adhuc pro eadem Synodo nullum responsum eidem Imperatori reddidimus*. Ex quibus verbis elicitur, multum interesse inter ea, quae Romani Pontifices privatim, & quae sollenniter probant; nec esse ejusmodi distinctionem, inter ea quae privato judicio fiunt, & quae sollenniter, vel ut modo loquimur, ex Cathedra definiuntur; non esse, inquam, ejusmodi distinctionem, ut Adversarii contendunt, recentium Romanae Curiae Theologorum inventum.

Profecto quod pertinet ad Francofordienses Patres, & Carolini Operis auctorem, adfirmare omnino debemus, eos nequaquam cogitasse, quum Nicaenam Synodum oppugnabant, rem sibi esse cum Apostolica Sede, aut ejus a se decreta convelli, aut impeti auctoritatem. Nam in eo ipso Concilio, in eo ipso Opere, quo Nicaenam Synodum aggrediuntur; Sedis Apostolicae auctoritatem summopere colunt ac venerantur, illius judicio suos Canones ac decreta subjiciunt, illam se in omnibus sequi profitentur; in ejus fide ac doctrina nec maculam nec rugam agnoscunt; eam in fidei quaestionibus consulendam, ejusque judicio indivulse adhaerendum esse docent; denique ipsas quoque Ecclesiae Romanae ceremonias in officio Ecclesiastico, in celebratione Missarum, in Cantu, aliisque ritibus Ecclesiasticis se nuper amplexos esse gloriantur. Paulinus Patriarcha Forojuliensis, & alii Praesules ex Italia ad Francofordiensem Synodum convocati, sub finem literarum, quas Episcopis Hispaniae scribunt, sententiae contra haereticos prolatae subjungunt haec verba: *Reservato per omnia juris privilegio Summi Pontificis Domini & Patris nostri Hadriani primae Sedis beatissimi Papae*. Et Carolus Rex in litteris ad eosdem Episcopos Hispaniae testatur, consultum a se Romanum Pontificem de caussis in Concilio postea tractatis: *Jussimus*, inquit, *Sanctorum Patrum Synodale ex omnibus undique nostrae ditionis Ecclesiis congregari Concilium..... Imo & ad beatissimum Apostolicae Sedis Ponti-*

Pontificem de hac nova inventione nostrae devotionis ter quaterque direximus Missos, scire cupientes, quid Sancta Romana Ecclesia, Apostolicis edocta traditionibus, de hac respondere voluisset inquisitione. Ac paullo post, quanti faciat antiquas traditiones & judicium Sedis Apostolicae, sic edocet: *Apostolicae Sedi & Catholicis traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate me conjungo. Quidquid in illorum legitur libris, qui divino Spiritu afflati, toti orbi a Deo Christo dati sunt Doctores, indubitanter teneo.* Haec autem, inquit Cointius (a), quomodo convenire possunt cum anathemate, quod contra Synodum Nicaenam secundam in Concilio Francofordiensi prolatum dicitur? Episcopos Synodi Francofordiensis in tam parva non habemus existimatione, ut eos aliter sensisse, aliter locutus esse censeamus. Absit igitur, ut tam praeclaros Antistites, Carolumque Regem Catholicum, secundae Synodo Nicaenae coram Legatis Summi Pontificis arbitremur adversatos esse, vel ipsi Hadriano Papae restitisse. Unde colligit laudatus Auctor, non secundam Nicaenam pro cultu sacrarum Imaginum Catholicam Synodum, sed aliam adversus easdem Constantinopoli ab Haereticis celebratam, Francofordienses Patres damnasse. Quae tamen opinio paucos hodie defensores habet. Quare id potius dicendum, Nicaeni decreti damnationem ideo cum laudatis textibus convenire, quod nondum illud ab Ecclesia Romana probatum esse sciebant; imo, ut deinceps ostendemus, prout ipsis exhibitum fuerat, ejusdem Ecclesiae Romanae traditionibus adversari merito videbatur.

Sed longe luculentiora sunt verba, quibus Carolini Operis auctor suam in Sedem Apostolicam observantiam testatam esse voluit. Nihil enim, ut etiam Nat. Alexan. animadvertit, dici potest magnificentius de Romanae Sedis Summique Pontificis Primatu, de ejus in caussis fidei judicandis praerogativa & summa auctoritate, de necessitate fovendae cum Ecclesia Romana & Apostolica Sede communionis, quam quod lib. I. cap. VI. ex Gallicanae & Germanicae Ecclesiae sententia scriptum est: „ Antequam „ discutiendorum testimoniorum, quae „ absurde Orientales in sua Synodo „ taxaverunt, sylvam ingrediamur, „ dignum duximus, ut qualiter Sancta Romana Ecclesia ceteris Ecclesiis a Domino praelata, & a Fidelibus consulenda sit, prosequamur. „ Praesertim quum non ab aliis scripturis, nisi ab his, quas illa inter „ Canonicas recipit, testimonia sint „ sumenda; nec aliorum Doctorum, „ nisi eorum, qui a Gelasio, vel ceteris illius Sanctae Sedis Pontificibus „ suscepti sunt, dogmata sint amplectenda. *Et recensito Sancti Augustini testimonio, subjungit*: „ Nam „ cum hic cunctis per orbem constitutis sedibus Apostolicas generaliter „ praeferat Sedes, multo magis illa „ omnibus praeferenda est, quae „ etiam ceteris Apostolicis Sedibus „ praelata est. Sicut igitur ceteris „ Discipulis Apostoli, & Apostolis „ omnibus Petrus eminet: ita nimirum ceteris Sedibus Apostolicae, & „ Apo-

(a) Tom. VI. Annal. Eccl. Franc. ann. 794. num. XXXVI.

„ Apostolicis Romana eminere dino-
„ scitur. Haec enim nullis Synodicis
„ constitutis ceteris Ecclesiis praelata
„ est, sed ipsius Domini auctoritate
„ primatum tenet dicentis: *Tu es Pe-*
„ *trus & super hanc petram aedificabo*
„ *Ecclesiam meam &c.* .... Haec
„ ergo sanctae fidei spiritualibus muni-
„ ta armis, & a fonte lucis & origine
„ bonitatis salutaribus satiata fluentis,
„ & horrendis atrocibusque haeresum
„ obsistit monstris. & melliflua prae-
„ dicationis pocula Catholicis per or-
„ bem ministrat Ecclesiis: Nam bea-
„ tissimus Hieronymus vir divinis le-
„ gibus, & multarum linguarum peri-
„ tia eruditus, dum Bethleemiticis
„ moraretur in arvis; & a B. Dama-
„ so Romae posito de difficilibus con-
„ suleretur quaestionibus, cum pro
„ caussis fidei vice versa consuluisse
„ dinoscitur: & sive tacendarum sive
„ dicendarum hypostaseon, vel qui-
„ bus in Orientalibus partibus commu-
„ nicare debeat, humillimis apici-
„ bus, ut apices accipiat, depreca-
„ tur ..... Unde datur intelligi, san-
„ ctos & eruditos viros per diversas
„ mundi partes praedicationis & scien-
„ tiae lampade coruscantes, non so-
„ lum a Sancta Romana Ecclesia non
„ recessisse, sed etiam tempore ne-
„ cessitatis ob fidei corroborationem
„ ab ea adjutorium implorasse. Quod
„ regulariter, ut praefati sumus &
„ exemplis docuimus, omnes Catho-
„ licae debent observare Ecclesiae,
„ ut ab ea post Christum ad munien-
„ dam fidem adjutorium petant, quae
„ non habet maculam, nec rugam, &
„ portentosa haeresum capita calcat,
„ & fidelium mentes in fide corrobo-
„ rat. A cujus sancta & veneranda
„ communione multis recedentibus,
„ nostrae tamen partis nunquam reces-
„ sit Ecclesia; sed ea Apostolica eru-
„ ditione instruente, & eo a quo est
„ omne donum optimum & omne da-
„ tum perfectum tribuente, semper su-
„ scepit reverenda charismata. Quem-
admodum nihil magnificentius dici po-
tuit ad commendandam Sedis Aposto-
licae auctoritatem; ita nihil procacius,
nihil contumeliosius, nihil atrocius ad-
versus haereticam Synodum proferri
potuit, quam quod ille Auctor in Ni-
caenos Patres effutiit. Non igitur no-
verat eam Synodum ejusque fidem ac
doctrinam a Romano Pontifice rite pro-
batam, vel a Sede Apostolica sollen-
niter confirmatam. Quid enim absur-
dius animo fingi posset, quam ut sub
ipsum Operis initium adeo magnificis
verbis doceret, in fidei quaestionibus
esse Sedem Apostolicam consulendam;
& Majorum exemplo probaret id esse
amplectendum quod ipsa tradit; id es-
se improbandum quod ipsa improbat;
id esse tacendum vel dicendum quod
ipsa praescribit; nullamque in ejus fi-
de ac doctrina maculam esse vel ru-
gam: in ipso autem Opere Synodum
ac doctrinam ab ipsa Romana Ecclesia
probatam, ac sollenniter confirma-
tam, velut haereticam & Idololatri-
cam infrunito ore proscinderet? Sed
longe ad nostrum propositum majoris
momenti sunt quae sequuntur: „ Quae
„ (*nostrae partis Ecclesia*) dum a pri-
„ mis fidei temporibus cum ea persta-
„ ret in sacrae religionis unione, &
„ ab ea paullo distaret, quod tamen
„ contra fidem non est, in Officiorum
„ celebratione, venerandae memo-
„ riae Genitoris nostri, Illmi atque
„ Exmi Viri Pipini Regis cura & indu-

 „ stria,

„ ſtria , ſive adventu in Gallias Reverentiſſimi & Sanctiſſimi Viri Stephani Romanae Urbis Antiſtitis , eſt ei etiam in pſallendi ordine copulata : ut non eſſet diſpar ordo pſallendi , quibus erat compar ardor credendi : & quae unitae erant unius ſanctae legis ſacra lectione , eſſent etiam unitae unius modulationis veneranda traditione : nec ſejungeret officiorum varia celebratio , quas conjunxerat unicae fidei pia devotio . Quod quidem & nos conlato nobis a Deo Italiae Regno fecimus, S. Romanae Eccleſiae faſtigium ſublimare cupientes , Reverentiſſimi Papae Hadriani ſalutaribus exhortationibus parere nitentes ; ſcilicet ut plures illius partis Eccleſiae , quae quondam Apoſtolicae Sedis traditionem in pſallendo ſuſcipere recuſabant , nunc eam cum omni diligentia amplectantur : & cui adhaeſerant fidei munere adhaereant quoque pſallendi ordine: quod non ſolum, omnium Galliarum Provinciae , & Germania , ſive Italia , ſed etiam Saxonae , & quaedam Aquilonaris plagae Gentes , per nos Deo annuente ad verae fidei rudimenta converſae , facere noſcuntur ; & ita Beati Petri Sedem in omnibus ſequi curant , ſicut illo pervenire quo ille Clavicularius exſtat , deſiderant . Ad quam beatitudinem nos pervenire , & in Sanctae Eccleſiae conſortio & unione ille nos faciat perſeverare, qui Eccleſiam ſuam in Petro dignatus eſt fundare : & ipſo interveniente , cujus Cathedrae ſumus ſequaces , regni caelorum cujus ille claviger factus eſt , mereamur effici compotes . Qui cum Romana Eccleſia Sedeque Apoſtolica non modo in fidei dogmatibus , verum & in ordine pſallendi & in Officiorum celebratione conſentiebant, atque ea re gloriabantur ; ſine *de re maxima* , ut ait Boſſuetius , *nempe de interpretandis primae tabulae praeceptis* ab eadem Sede Apoſtolica diſſentirent ; exploderentque Synodum , quam ab Hadriano Regni caelorum Clavigeri ſucceſſore ſollenniter confirmatam accepiſſent ? Nemo profecto id ſibi unquam perſuadeat. Ac proinde quemadmodum Eccleſiae Gallicanae Praeſules Nicaenam Synodum rejiciendo , Concilii Oecumenici auctoritatem nequaquam labefactarunt , propterea quod eam Synodum pro oecumenica non habebant : ita nec de Sedis Apoſtolicae auctoritate quidquam delibarunt , propterea quod eamdem Synodum nondum a Romano Pontifice jure ac ſollenniter , ut jam oſtendimus , confirmatam noverant .

ARTICULUS III.


Gallicanorum Praeſulum & ſcriptorum de cultu Imaginum adeo eſt implexa ſententia , aut ſcribendi ratio , ut ab Eccleſiae Romanae doctrina , ſi benigna illis adhibeatur interpretatio nequaquam in fidei ſumma diſcedere videantur . Quae praecipua ratio eſt , cur eorum diſſenſionem aliquandiu Romani Pontifices tolerarunt .

FRancofordienſis Synodi Patres , Carolini Operis auctorem , Jonam Aurelianenſem , Agobardum , Dungalum , Walafridum Strabonem , & Con-

Conventus Parisiensis Episcopos in fidei summa ab Ecclesiae Romanae, & Synodi Nicaenae doctrina & de cultu Imaginum decretis, neutiquam dissensisse, pluribus demonstrant, aut demonstrare satagunt Clarissimi Viri, Mabillonius (a), & ex eo Pagius (b), Nat. Alex. (c), Thomassinus (d) & alii, quos per otium consulere poterit harumce rerum curiosus lector. Petavius quoque fatetur (e), quod horum si quis opinionem accuratius indagare studeat, rem esse perplexam ac difficilem cognoscet; neque quid illis in animo fuerit, liquido satis & perspicue constare.

Ut ut autem sit de privatis Scriptoribus, de Francofordiensi Canone certum est, quod editam a secunda Nicaena Synodo fidei definitionem, & Hadriani, Tarasii, & Orientalium lectas susceptasque in eadem Synodo Epistolas, quibus potissimum monumentis quae ad doctrinam seu dogmata pertinent continentur, nullatenus vellicat ac reprehendit. Diserte id ac perspicue demostrant Illustrissimus Petrus de Marca (f), & ex eo Thomassinus (g) ac mox laudatus Petavius (h); qui observat, Francofordiensis Concilii Canone non damnari Synodum ipsam oecumenicam Nicaenam, aut ullam ejus sanctionem de Imaginibus, & harum cultu ac veneratione: sed cujusdam Episcopi sententiam in illius acta relatam: vel, ut verius dicam, inquit, non sententiam ipsam, qualem Episcopus ipse pronuntiarat, sed pravam illius interpretationem ex inscitia profectam. Hoc ut aperte constet, primum verba Episcopi illius, (fuit autem Constantinus Constantiae in Cypro Episcopus) ita referam, ut in Hadriani Apologia, & in Carolino libro concepta sunt: *Quod infauste & praecipitanter sive insipienter Constantinus Constantiae Cypri Episcopus dixit*: „ Suscipio & amplector honorabiliter „ sanctas & venerandas Imagines, & „ quae secundum servitium adorationis, quae substantiali & vivificatri„ ci Trinitati emitto &c. In actis porro septimae Synodi graece editis, Actione tertia, primo loco posita est Epistola Tarasii ad Orientales Patriarchas tres, deinde responsa Orientalium: quibus lectis aliquot Episcoporum, qui in Nicaena erant Synodo, sententiae proponuntur, quibus Epistolas illas approbant. Has inter Constantini Constantiae Episcopi una legitur hujusmodi: *Constantinus sanctissimus Episcopus Constantiae Cypri dixit &c.* „ His „ consentio, & concors sum, susci„ piens, & cum honore amplectens „ sanctas & venerandas Imagines; ac „ latriae adorationem soli supersub„ stantiali & vivificae Trinati defero &c. Ex his inter se comparatis perspicue cognoscimus, Acta illa Synodi septimae, quae ex Graecis Latina facta missa sunt in Gallias, illic depravata fuisse. Siquidem Graeca longe aliud

(a) Praefat. in Acta SS. O. S. B. Tom. IV. num. III.
(b) Ad An. 825. num. 1. & seqq.
(c) Dissert. VI. in Hist. Saec. VIII.
(d) De Incarn. lib. XII. cap. XII.
(e) Tom. VI. Theolog. Dogm. lib. XV. cap. XVI. num. I.
(f) Lib. II. de Concor. Sac. & Imp. cap. XVII. num. II.
(g) De Incarn. lib. XI. cap. XIII.
(h) Ubi sup. cap. XII. num. XI.



aliud significant, quam Latina, cujusmodi in Hadriani Apologetico, & libro Caroli leguntur, ac sanum & Catholicum sensum illa continent, nimirum Imagines admittendas esse, & honore afficiendas; sed non eo genere adorationis colendas, quod soli Deo tribuitur, ac λατρεία dicitur; at in Latinis contrarium docetur: nempe Imagines eodem latriae cultu prosequendas, quo Sanctissimam Trinitatem afficimus. Hinc illa odiosa septimae Synodi & hostilis insectatio, quae apud Gallos percrebuit, ortum accepit. Quamobrem merito Francofordienses Patres non tam septimam damnavere Synodum, (quam nondum Oecumenicam, & ab Hadriano probatam esse scirent, utpote cujus ad illos Acta miserat Pontifex, utique consideranda, & recognoscenda, ut Hincmarus testatur) quam falsam & nefariam sententiam, quam fraude vel inscitia Interpretis intextam Actis ipsis deprehenderant. Itaque falso ab scriptoribus nostris proditum est, & hactenus creditum, Francofordiensem Synodum damnasse Nicaenam septimam & Oecumenicam, ut ex Canone ipso manifeste liquet. Qui error ex eo manasse mihi videtur, quod Carolinum opus illud inter Acta Francofordiensis Synodi, & in eodem scrinio collocatum est, quod Hincmarus indicat. Sed nos de Synodi ipsius decreto & Canone loquimur: quem, cum ceteris ignotum antea, nuper in lucem edidit R. P. Sirmundus, non sine laude commemorandus. Nihil igitur ad rem facit, quod Episcopi illi, qui Francofordiae convenerunt, vel de Synodo Nicaena, vel de Imaginum cultu non satis recte ac Catholice senserunt; uti superiori Capite dixi, & paullo post uberius ostendam. Non enim id agitur modo, quid illi privatim ac viritim opinati sint: sed quid canonice ac synodice statuerint in Francofordiensi Concilio, quod sane cum Nicaenae ipsius decreto Synodi exacte convenit, nec vel minimum dissentit. Haec laudatus Petavius.

Eadem fere & Illustrissimus Petrus de Marca animadvertit, atque inter cetera illud observat: Verborum sono tantum Graecos a Gallis, non re ipsa dissensisse, cum illi venerationem tantum τιμητικὴν sive *honorariam* Imaginibus tribuerent &c. Quare Scholion illud, quod adjectum erat ad textum Exodi in eo Codice veteris Testamenti, qui servabatur in Patriarchio Constantinopolitano, summo applausu exceptum est a Patribus in actione quinta septimae Synodi, cujus Scholii haec sunt verba. *At vero, si facimus similitudines Christi, non ut similitudinem adoremus, sed ut mens videndo ad superiora volet*. Quod omnino concinit cum iis, quae Gregorius Magnus docuit in Epistolis ad Serenum Massiliensem Episcopum, quem sequi velle, & Gallicani Episcopi, & Hadrianus in Apologetico ad Carolum profitebantur. Non est autem, quod aliquis miretur, a Concilio Francofordiensi tam alienam sententiam Nicaenae Synodo affingi, ut par Imaginibus honor cum eo, qui defertur Sanctae Trinitati, ab ea decretus fuisse dicatur. Neque enim abscisse hoc a Synodo decretum fuisse adfirmari poterat, cum in fidei definitione a Patribus edita, ex Majorum traditione usus Imaginum confirmetur tanquam utilissimus ad renovandam πρωτοτύπων μνήμην,

seu recordationem; & earum Imaginum sola honoraria veneratio, ei similis, quae Codici Evangeliorum & vasis sacris defertur, diserte sanciatur; non autem *vera latria quae divino Numini competit*, ut conceptis verbis Synodus profitetur. Ea definitio praesente Synodo (quae Nicaea Constantinopolim translata erat, unde Synodi Constantinopolitanae nomen accepit) coram Constantino Augusto & Irene ejus matre relecta est, & totius Synodi acclamationibus & Principum subscriptionibus confirmata: Quare Concilium Francofordiense non repudiavit definitionem septimae Synodi (quod observatione dignum mihi videtur) sed quod *scriptum habebatur*, ut loquitur Concilium, nempe in actis septimae Synodi, scilicet honorem Deo debitum Imaginibus esse tribuendum. Hactenus Petrus de Marca, qui subinde demonstrat, vitio interpunctionis & barbarae interpretationis accidisse, ut contraria sententia a Concilio Francofordiensi Constantino Cypri Episcopo affingeretur.

Ex his colligo, Francofordiensem Canonem optime conciliari posse cum debita erga Sedem Apostolicam ejusque decretales Epistolas reverentia, contra atque Meldensis Episcopus sequentibus verbis docet: „ Neque „ tantum Concilii Francofordiensis tem„ pore Nicaenam secundam Synodum „ respuebant, cum ejus acta ignora„ rent fere, sed etiam toto Caroli „ Magni Regno, ac diutissime postea. „ Constabat interim Romanos Pon„ tifices in eamdem cum Nicaena „ secunda Synodo ivisse sententiam, „ atque ab Hadriano editam ea de re „ ac missam ad Synodum Epistolam „ decretalem, cui Synodus consen„ sisset. Agitata postea res est missis ul„ tro citroque scriptis; editique libri „ adversus Nicaenam Synodum, qui „ ex Caroli nomine Carolini appellan„ tur. His responsum est ab ipso „ Adriano pro Nicaenis dogmatibus: „ neque eo secius nostri cum Carolo „ Magno in sententia perstitere.

Nicaenae Synodi Acta, uti non semel ex Hincmaro observavimus, utique recognoscenda & examinanda [nam ea nondum rite ac sollenniter probaverat] Hadrianus Papa miserat in Gallias. Patres Francofurti congregati ea ad Synodum adferri jusserunt: *Allata est in medium*, inquiunt, *quaestio de nova Graecorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Constantinopoli fecerunt*. Ex Synodi Actis quaedam unius ex Episcopis sententia excerpta est, quae prout in Latino Codice efferebatur, merito Patres offendit; ideoque damnata est. *In qua*, inquiunt, *scriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificae Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contemserunt, atque consentientes condemnaverunt*. Quid hoc ad Epistolam ab Hadriano missam ad Synodum? Numquid in ea scriptum habebatur, ut qui Imaginibus sanctorum, ita ut Deificae Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur? Nondum quidem, ut saepe dictum est, sextam Synodum Romanus Pontifex confirmaverat: verum etsi illam ab Hadriano confirmatam accepissent, nihil ex eo Canone confici posset adversus

versus Romani Pontificis inerrantiam. Pontificis enim confirmatio non omnia complectitur, quae viritim ac speciatim a quocumque ex Episcopis proferuntur, sed ad solam fidei definitionem refertur & Canones, aut alia scripta dogmatica, quae rite ac solenniter universa Synodus adprobavit. Quare Francofordienses Patres ea subire cogitatio potuit, adprobasse quidem Hadrianum fidei definitionem a septima Synodo editam, quae ipsius Epistolae decretali consona erat: nec tamen probatam ab eo fuisse Constantini Cyprii Episcopi sententiam, a qua perinde atque ipsi, Romanus Pontifex dissentiebat. Id quod ipse Hadrianus in Epistola Apologetica ad Carolum Magnum satis aperte significat; nempe Synodi mentem & Ecclesiae sententiam petendam esse ex fidei definitione, non autem ex privati Episcopi verbis. Quum enim in Capitulis, quae Carolus ad Pontificem misit, superius descripta Constantini Episcopi verba septimae Synodo objicerentur, haec Hadrianus respondit: *Ex prava revertentes haeresi, totis nisibus eorum tentaverunt sanctae Catholicae & Apostolicae in ipsorum confessione satisfacere Ecclesiae; & ideo talem adorationem se confessi sunt pro sacris Imaginibus credere, qualis in definitione Synodi constituta est inter cetera*: „ Reordinari venerandas „ & sanctas Imagines &c. Quantum „ enim frequenter per imaginariam „ reformationem videntur, tantum „ & qui eas aspiciunt, assurgunt ad pri„ mae formae memoriam & dilectio„ nem & ut his osculum & honorabi„ lem salutationem reddant, nequa„ quam autem secundum fidem nostram „ veram culturam, quae decet solam „ divinam naturam; sed quemadmo„ dum signo pretiosae & vivificae „ Crucis, & sanctis Evangeliis, & „ ceteris sacris ornatis &c. Ex quibus verbis apparet, nec Hadrianum ipsum tuendam suscepisse Constantini Episcopi sententiam, prout in Latinis Codicibus legebatur. Quod etiam Petro de Marca observatum est, *Huic reprehensioni*, inquit loco superius laudato, *respondet quidem Hadrianus, sed Constantini lapsum non excusat, quamvis aliam fuisse mentem Synodi Nicaenae, ex definitione fidei doceat, quae divinum cultum soli Deo asserit*. Potuit ergo Francofordiensis Synodus eam damnare Constantini sententiam, nec tamen Hadriani Epistolae decretali, ipsiusque menti ac doctrinae refragari; quemadmodum potuit Hadrianus ipse Constantini lapsum non excusare, & tamen Nicaenae Synodi doctrinam & fidei definitionem tueri. Hincque facile intelligitur, quod quibusdam valde durum ac difficile intellectu videtur; nimirum ausos esse Patres Francofordienses coram Pontificis Legatis Nicaenam Synodum tam acri censura perstringere. Non enim Nicaenam Synodum, vel Hadriani, Tarasii & Orientalium dogmaticas Epistolas, aut fidei definitionem, quas Romae probatas ignorare non poterant, & cujus utique damnationi Legati restitissent; sed sententiam, quam nemo Catholicorum probare poterat, damnaverunt.

Itaque ex laudato Canone confici non potest, Gallicanos Praesules vel a Nicaena Synodo vel ab Ecclesia Romana omnino & absolute de colendis Imaginibus discrepasse. Quod etiam ex aliorum id temporis de hoc argumento lucubrationibus non omnino con-

constat. Quamquam enim longius quam Francofordienses Patres provecti sunt, & quandoque omnem videntur sacris Imaginibus cultum abrogare; alia tamen loca apud eos passim occurrunt, in quibus non nisi nimium ac superstitiosum cultum oppugnare, modicum autem ac temperatum admittere videntur. Quae ratio est, cur aliquandiu eorum dissensionem Romani Pontifices tolerarunt, quod nempe illos de fidei summa neutiquam ab Ecclesia Romana dissentire credebant. Id patet ex Hadriani I. responsione ad Capitula Caroli Magni; in quibus quidem plurima sunt, quae sacrarum Imaginum cultui palam refragari videntur; ultimum autem Capitulum non ei penitus adversari, imo & aliquem, sobrium tamen ac moderatum admittere, ipse Pontifex animadvertit: cum id se de Imaginibus tenere profiteantur, quod juxta S. Gregorii Epistolam ad Serenum Massiliensem Episcopum universa tenebat ac sequebatur Ecclesia: *Ultimum Capitulum est*: „ Ut „ sciat Domnus Apostolicus & Pater „ noster, & cuncta simul Romanorum „ Ecclesia, ut secundum quod continetur in Epistola beatissimi Gregorii, quam ad Serenum Massiliensem Episcopum direxit; permittimus, imagines Sanctorum, quicumque eas formare voluerint, tam in Ecclesia, quamque extra Ecclesiam, propter amorem Dei, „ & Sanctorum ejus &c. Et quia „ sensum Sanctissimi Gregorii sequi „ in hac Epistola universalem Catholicam Ecclesiam Deo placitam, „ indubitanter libere profitemur. De hoc Capitulo ita Carolo Regi Hadrianus Papa respondit: *Hoc sacrum & venerandum Capitulum multum distat a totis supradictis Capitulis. Et idcirco eum agnovimus vestrae a Deo servatae orthodoxaeque Regalis Excellentiae esse proprium in eo ubi rectae fidei plena penitus confessa est sensum sanctissimum Gregorii sequi*. Adlatisque pluribus cum ex ea ad Serenum, tum ex aliis Epistolis S. Pontificis testimoniis, demonstrat, sibi omnino de hac re cum S. Gregorio in suis ad Constantinum Augustum & Irenem litteris convenire: *Ita vero & nos eumdem ipsum irreprehensibilem & orthodoxum sensum S. Gregorii Papae sequentes & amplectentes, dudum Irene & Constantino Imperatoribus pro sacris Imaginibus praedicandis emisimus &c.* Et infra: *Quidquid namque de Sanctis Patrum Opusculis aliquantula ibidem exaravimus testimonia, in eodem sensu atque tenore, ut praesentem diximus, cum Praedecessore nostro S. Gregorio Papa, eumdem sensum fidei tenentes, emisimus praedicantes*. In eumdem quoque sensum editam a septima Synodo fidei definitionem conspirare, inferius testatur; quiquid secus dixisse Constantinus ille privatus Episcopus ferebatur; ideoque se se Synodum illam, tamquam S. Gregorii & Ecclesiae Romanae doctrinae in fidei definitione consonam suscepisse: *Et sicut de Imaginibus Sancti Gregorii sensum & nostrum &c.* (f. in S. Gregorii sensu & nostro) *continebatur: ita & ipsi in eadem Synodo definitionem confessi sunt, his osculum & honorabilem salutationem reddidere; nequaquam, secundum fidem nostram, veram culturam, quae decet soli divinae naturae ..... Et ideo ipsam suscepimus Synodum &c.* In hac porro Ec-

Ecclesiae Romanae fide ac doctrina & Carolum ipsum firmiter permanere non dubitat; ideoque tanquam Catholico Regi prospera ei cuncta adprecatur: quare nec mirandum, si & ipse Carolus Magnus cum Hadriano I. ut Bossuetius observat, non tantum „ religionis obsequio, sed etiam „ singulari atque intimo amicitiae „ vinculo conjunctissimus vixit: & „ interim a Leone III. saepe ad auxi„ lium invocatus, & Imperiali co„ rona fuit insignitus. Non autem eam non interruptae cum Carolo Rege & Gallicanis Episcopis communionis legitimam rationem esse putamus, quam idem Bossuetius statim subjungit, quod nempe „ quae ad fidem „ spectare viderentur, non in unius „ Romani Pontificis autoritate, sed „ in Ecclesiae universae consensione „ posita esse constabat. Verum, ut ostendimus & Hadriani verbis probavimus, ea hujusce rei legitima ratio erat, quod nequaquam in fidei summa Hadriano I. & sequutis Pontificibus, ab Ecclesia Romana dissentire Carolus ipse & Galliarum Episcopi videbantur.

ARTICULUS IV.

Gallorum Scriptorum, ac potissimum Parisiensis Conventus Episcoporum, quatenus secundam Nicaenam Synodum, & ipsas Hadriani Epistolas, & probatum ab Ecclesia Romana sacrarum Imaginum cultum aperte vellicant & reprehendunt, nulla omnino habenda ratio est, nec aliqua esse debet auctoritas.

POst Francofordiensium Patrum, Episcoporum qui Ludovico pio imperante Parisiis convenerunt, Bossuetius objicit auctoritatem; qui profecto non iis se se limitibus continuerunt, quibus Francofordiensis Canon conceptus erat; sed aperte jam & abrupte non in unius Episcopi sententiam latina versione depravatam, aut in Graecorum superstitiosum, ut ipsis videbatur, Imaginum cultum; sed in universam Synodum, in ipsas Hadriani Epistolas, denique & in ipsos Ecclesiae Romanae in colendis Imaginibus ritus, insurrexerunt. Hac vero in re contendimus ac pluribus rationibus demonstramus, nullam prorsus eorum habendam esse rationem, omnemque illis abrogamus auctoritatem. Id autem ne temere facere existimemur, observamus imprimis, Gallicanos scriptores & Episcopos, quum probatum Nicaenae Synodo, adeoque & Hadriano & Ecclesiae Romanae, colendi Imagines ritum vellicare ac reprehendere ausi sunt, a Majorum suorum exemplo ac religione apertissime descivisse. Nam Stephano Quarto Romano Pontifice, praecipuarum e Galliis Ecclesiarum Antistites ad Lateranensem Synodum invitati, in eamdem cum Orientalibus & Ecclesia Romana, non modo de retinendis ac minime frangendis, verum & colendis & honore ac veneratione prosequendis sacris Imaginibus sententiam consenserunt. Testatur id aperte, nec semel in Epistola ad Carolum Magnum Hadrianus Papa, quemadmodum superiori Capite, articulo primo breviter indicavi, nunc autem integris ejus prolatis textibus uberius demonstrabo: „ Theodorus Patriarcha Hierosoly„ morum, *inquit laudatus Hadrianus*, „ cum ceteris praecipus Patriarchis, „ videlicet Cosma Alexandriae, & Theo-

Theodoro alio Antiochiae, dudum Praedecessori nostro sanctae recordationis quondam Paulo Papae miserunt propriam eorum rectae fidei Synodicam: in qua & de sacratissimis Imaginibus subtili narratione qualiter una cum nostra sancta Catholica & Apostolica universali Romana Ecclesia ipsi & ceteri Orientales orthodoxi Episcopi, & Christianus populus sentiunt, & in earumdem sanctarum Imaginum veneratione sincero mentis affectu ferventes in fide exsistunt, studuerunt intimandum. Quam Synodicam in Latino interpretatam eloquio Praedecessor noster quondam sanctissimus Dominus Stephanus PP. in suo Concilio, quod & ipse pro sacris Imaginibus, una cum diversis Episcopis in partibus Franciae seu Italiae fecit, suscipientes ac relegentes, placuerunt, tam de diversis Francorum Patrum testimoniis, quam de Symbolo fidei &c. *Et in alio ejusdem Epistolae capite*: Praedecessores nostros, *inquit*, videlicet beatissimos Pontifices, Gregorium, & Gregorium, Zachariam, & Stephanum, Paullum, & iterum Stephanum, reperimus pro sacrarum Imaginum erectione in Spiritu Sancto ferventes, rectae fidei zelum habere. Pro quo Dominus Gregorius Papa secundus junior, una cum 79. sanctissimis Episcopis, ante confessionem B. Petri Apostolorum Principis praesidens, multorum Sanctorum Patrum testimonia roborantes, venerari & adorare sacras Imagines in eorum Concilio censuerunt. Porro Praedecessor noster sanctae recordationis quondam Dominus Stephanus Papa, similiter cum Episcopis partium Franciae atque Italiae praesidens in Basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quae appellatur Constantiniana, Praedecessoris sui venerabile Concilium confirmans atque amplectens, magis magisque & ipse, una cum omnibus Episcopis praesidentibus, Sanctorum Patrum testimoniis adhaerentes, adorare atque venerari sacras Imagines statuerunt. *Et rursum in alio Capite*: Praedecessor noster sanctissimus Dominus Gregorius Secundus junior Papa in suo sacro Concilio, (quod & in alio Concilio Praedecessoris nostri Domini Stephani Papae, una cum Sacerdotibus partium Franciae atque Italiae susceptum ac veneratum est] in eo ipso praesidente sanctissimo ac beatissimo quondam Domino Gregorio Papa, per semetipsum similiter dixit . . . . *Quanto debemus puro corde & animo sculptum Christum Deum nostrum, sanctamque semper Virginem ejus Genitricem Mariam, Apostolos quoque, vel omnes Sanctos Dei per eorum sacras Effigies atque Imagines colere vel adorare, & ad propitiandum nobis petere & relaxari delicta? Nos non ob aliud nomen imagines facimus & adoramus, sed pro nobis incarnato Verbo Dei &c.* ,, Et ne aliquis propter adorationem, quae a Praedecessoribus nostris sanctissimis Praesulibus promulgata est, oblatrare praesumat, sciat ipsos talem adorationem docuisse, qualem Praedecessor noster Sanctus Gregorius egregius Doctor & Papa in Epistola sua, quam in praefato Concilio Domini Stephani

„ phani Papae Herulphus Episcopus „ (*Lingonensis*) provinciae Galliarum „ Civitatis protulit, ubi inter cetera „ Secundum (*Secundinum*) Servum Dei inclusum Galliae docuit „ dicens: *Scimus, quia tu Imaginem Salvatoris ideo non petis, ut pro Deo aut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei, ut in ejus amore recalescas, cujus te Imaginem videre consideras &c.* quae postmodum, ut ex superioribus patet, Hadrianus ostendit cum suis ad Constantinum & Irenem litteris, & septimae Synodi definitione planissime convenire: unde aperte colligitur, Gallicanos Episcopos, Stephano Quarto Summo Pontifice, eamdem de cultu Imaginum fidem cum Ecclesia Romana & Orientalibus coluisse, neque ab ipso adorationis vocabulo, quod eos postea tantopere offendit, abhorruisse. Unde etiam illud consequens est, quod quum ii, qui Ludovico pio Imperatore floruerunt, a majorum suorum exemplo & auctoritate desciverint, nulla prorsus eorum ratio habenda sit, omnisque eis pariter in hac re auctoritas adimenda.

Multo autem amplius ac potiori jure omnis eorum auctoritas cadit, si consideremus, unde in eis orta est hostilis ejusmodi & aperta primum Graecorum, postmodum autem & Romanorum rituum insectatio. Libet id Nat. Alex. verbis exponere: Proclives erant, inquit (a) Galli nostri, & ipse imprimis Imperator Carolus Magnus ad credendum, Graecorum levitatem in eum errorem lapsam esse, ut supremam adorationem Imaginibus deferrent. Offensus enim erat Constantino Graecorum Imperatori Carolus, quod repudiata sorore sua, quam ipsi desponderat, Mariam Armenam duxisset. Hinc inter Principes & gentem utramque offensio & invidia. Politica itaque studia Carolum Magnum, & Gallicanos Germanosque Praesules in partes traxere contra Synodum a Graecis Nicaeae celebratam (hanc enim pro Oecumenica non habebant) in eam strinxere calamum: atque ut ingenii acumine & eruditione Graecis erant superiores, invidiose disputavere; ex aequivoco adorationis nomine ab ipsis usurpato, & ex Constantini Episcopi sententia, liticandi occasionem sumsere &c. Conviciis etiam Graecos & eorum Synodum afficiunt. Uno verbo totum Opus Carolinum sui Auctoris in Graecos offensionem & invidiam spirat. Unde mirum non est, quod ex praejudicatae mentis affectu ipse existimaverit, Nicaenam Synodum adorationem supremam, seu cultum latriae Imaginibus sanxisse, eoque nomine ipsam impugnaverit impotentius. Quod ait Nat. Alex. Gallos id temporis ingenii acumine & eruditione Graecis fuisse superiores; vereor an omnes admittant. Non enim facile concederem, plures hoc aevo fuisse in Galliis ingenii acumine & eruditione superiores S. Johanne Damasceno, SS. Germano, Tarasio, & Nicephoro Regiae urbis Patriarchis, & S. Theodoro Studita, aliisque qui in Oriente hoc eodem saeculo floruerunt, & vitae sanctitate, & gloria confessionis insignes fuere, quae Doctores Ecclesiae mirifice exornant, eorumque doctrinae plurimum ponderis & auctoritatis addunt. Profecto si de Gallis scrip-

(a) Differt. V, in Hist. Eccl. Saec. VIII. §. VII.

scriptoribus ex eorum adversus Imagines lucubrationibus judicium facere debemus, non est certe cur eorum ingenii acumen & eruditionem admiremur, aut eos in hoc argumento pertractando his dotibus Graecis Scriptoribus praestitisse jactemus. Nam praeter criticae artis usum, quo equidem neque Galli admodum excellebant, ceteris omnibus ornamentis Graeci hujusce aetatis Gallis Scriptoribus antecellebant. Ceterum eamdem fere caussam dissensionis Gallos inter & Graecos & Abbas Fleurius adfert de Carolino Opere disserens (a): „ Tout cet écrit „ fait voir une grande prévention des „ François contre les Grecs. Ils les „ chicanent sur plusieurs points de peu „ d'importance; emploïent quantité „ d'expressions dures, de mauvais „ raisonnemens & de preuves hors „ du sujét. Il est certain d'ailleurs „ que le Roi Charles avoit alors sujet „ d'être mal content de l'Imperatrice „ Irene. Car dès l'an. 782. elle avoit „ envoïé demander a Charles Rotrude „ sa fille pour le jeune Constantin .... „ & toutefois six ans après elle rompit „ le traité &c.

Ejusmodi ergo offensionis & invidiae motibus & affectionibus, quae maxime rationis lumen obnubilant, Galli praeoccupati, primo in Francofordiensi Synodo, tanquam Nicaeni Concilli, privati Episcopi sententiam damnaverunt: postmodum autem longe majore audacia Carolini Operis Scriptor tum quatuor libris, tum in Excerptis, quae Carolus Magnus ad Hadrianum transmisit, in ipsam universam Synodum ejusque acta impetum fecit: deinique Conventus Parisiensis Episcopi ipsum quoque Hadrianum ejusque cum ad Constantinum & Irenem, tum ad Carolum Magnum Epistolas audacissime lacerarunt. Ubi enim semel affectibus in transversum abripitur animus, nullius auctoritatis obice retinetur, quin majora audeat. Porro hujusmodi aestus in omnibus horumce Scriptorum monumentis apparet, qui omnem illis auctoritatem adimit. Quum enim animo instituissent probatam Graecis ac Romanis de Imaginum cultu doctrinam lacessere, cum quibus re ipsa & in fidei summa conveniebant, non habebant quo pedem figant; ac modo unius latriae, modo autem omnem prorsus sacrarum Imaginum cultum reprobare videbantur; & omnis eorum de hoc argumento disputatio obscura & implexa est, in semet ipsa incurrens, & quamquam Catholicas quandoque sententias habet, plura tamen sunt, quae vix ab Iconomachorum haeresi defendi possunt. Quod ingenue fatetur Cl. Dionysius Petavius, cujus hîc de aliquot ejusmodi Scriptoribus judicia proferam. De Carolino Opere loquens: in tanta, *inquit* [b] varietate ac dissensione decretorum atque dictorum, quam in Opere illo licet animadvertere, difficile est unum aliquod fixumque statuere de eo, quod proposuimus; utrum solam latriam ab Imaginum, quem probavit, usu repulerit; an omni illas honore ac veneratione spoliatas, ad simplicem Basilicarum ornatum, & ad Sanctorum, rerumque quas illi praeclare gesserunt, memoriam adhibendas putaverit. Quod ego posterius veri arbitror esse similius. Sed

(a) Hist. Eccl. Tom. 9. ad an. 790. num. XLVII.
(b) Tom. VI. Theol. Dogm. lib. XV. cap. XVI. num. IV.

Sed ita tamen, ut cum hoc absoluto destinasset animo, paullatim occaecatus inscitia Scriptor ille, ac contradicendi libidine, & ardore disputandi longius provectus, de Idololatria, vetitoque in lege veteri cultu simulacrorum nonnulla identidem asperserit, quae nec ad caussam quidquam pertinerent, & apud indoctos ac minus aeres rerum inquisitores valerent ad concitandam invidiam: qui mos est hodiernorum Iconomachorum ex Lutheri Calvinique faece &c. *Et infra num. V.* De Jona Episcopo Aurelianensi par est judicium; hoc est non minus ambiguum & perplexum. *Ac rursus*: Jonae de Imaginibus sententia non minus, quam Carolini operis, implicata est & obscura; imo in semet incurrit, ac minime cohaeret. Ejusque opinione exposita, qua Crucem coli & adorari permittit; Imaginum autem adorationem idololatriae condemnat: *Haec sunt*, inquit, *ad ineptiam & inscitiam implicata*. Num. VIII. Walafridus quoque Strabo Abbas Augiae .... dubius & ipse natat, prorsusque supra memoratis Popularibus suis assentitur; ac de Idolis neque fabricandis, neque colendis eamdem cantilenam occinit: neque tamen Imagines Sanctorum aboleri, immo vero adhiberi praecipit. *Prolatisque aliquot hujusce Auctoris testimoniis*; In his, *inquit*, Walafridi aestus & jactatio perspicua est. Quorsum enim illa cautio de idolis, ac divino cultu Sanctorum Imaginibus non tribuendo pertinet? &c. Quanti, rogo, facienda ejusmodi Scriptorum auctoritas, qui & inscitia, & contradicendi libidine & ardore obcaecati, non modo a suis Majoribus desciverunt, sed neque secum ipsi consentiunt, sanumque sensum plane exuisse videntur?

Quoniam vero potissimum Parisiensis Conventus Meldensis Episcopus nobis objicit auctoritatem; quo in pretio haberi debeat, & cujus illa ponderis ac momenti sit, ex eodem Petavio, & Cl. Sirmundo discamus. Petavius loco citato num. VII. postquam de Jona Aurelianensi disseruit: Non absimilis est, *inquit*, & eodem inscitiae tincta fuco illa Pseudosynodi Parisiensis Epistola, quae Ludovico Pio Imperatore, & ejus nomine missa Romam est ad Eugenium Secundum. Nam perinde est anceps, & ambigue concepta. Non placet illius Scriptoribus Orientalium facinus, qui sacras Imagines sustulerant; nec eorum Synodum probant, quae Constantini *stercorei* tempore illud ipsum decreverat. Sed ut *Imagines erigere licitum*, sic *adorare nefas* arbitrantur .... In quo eodem, ac superiores, quos paullo ante memoravimus, errore lapsi, & eodem modo refellendi sunt. Haec Petavius.

Ex Sirmundo autem describit quidem Bossuetius ejusdem Pseudo Synodi Parisiensis historiam; sed quod de illa pro suo candore judicium Vir diligentissimus protulit, silentio involvit. Est ergo nobis locus ille supplendus: nam praeter ea, quae Meldensis Episcopus ex ipso refert, ait etiam, plura se quae in hujus Conventus actis continentur, praetermittere, quod Gallorum hujus saeculi ab Imaginum adoratione, ut alias dictum est, abhorrentium HAERESIM redoleant. Nam ut de aliis nihil dicatur, in quibus, Hadriano Papae & Synodo Nicaenae iniquiores sunt, in illa sua Collectione

ne Sanctorum Patrum sententias eo detorquere conantur, ut Imagines indebito, ut videri volebant, cultu adorandas non esse statuant: & Eugenium in Epistola ita scribentem faciunt, ut de Imaginibus, eas ne habere vel non habere, adorare vel non adorare placeat, liberum cuique in Ecclesia permitti velit; quasi haec in mentem summo Pontifici venire, aut illi persuaderi a se posse confiderent. His igitur praetermissis, quae absurda sunt, ideoque a Bellarmino & Baronio maximis Cardinalibus accurate refutata, atque a Gallis postea ipsis, mutato consilio, receptaque Imaginum veneratione, damnata; reliquum est &c.

Non modo Sirmundus haereseos notam Gallis inurit; verum & laudatus Petavius, eos in eodem cum mitioribus quibusdam Orientis Iconomachis luto versatos fuisse, haud semel adfirmare non dubitat. Adlato enim quodam Patriarchae Nicephori testimonio: Haec, *inquit* (*a*), & alia plura Nicephorus de Cruce & Imagine Christi contra Orientales Iconomachos sui temporis. Eadem etiam adversus Occidentales & Gallicanos eodem saeculo sunt a Catholicis objecta, quae sane *ἀναντίῤῥητα* sunt & invicta. Nam EADEM ET ISTI PRAVITATE OPINIONIS IMBUTI ERANT, & conflictione judicii, ut & magno in honore crucem haberent adorarentque, & Imaginibus eumdem cultum negarent; tametsi non eas, ut illi, violarent ac profligarent. Quamquam non defuere inter Orientales illos Iconomachos, qui Imagines nulla afficiendas injuria censerent; sed sic habendas esse, ut neque venerandae essent, neque dehonestandae: quod temperamentum secutos esse nostrates, supra docuimus.... Quocirca posteriori illi generi Iconomachorum videntur accensendi Occidentales illi, quos hoc capite descripsi. Qui quidem &c. Horum igitur, quatenus a secunda Nicaena Synodo & a Sede Apostolica dissentiebant, eadem habenda est ratio, eodemque loco apud nos esse debet auctoritas, atque aliorum Iconomachorum: nam & illi horum haeresim redolebant, ut ait Sirmundus, vel ut ait Petavius, eadem pravitate opinionis imbuti erant. Hoc tantum, ut idem Petavius animadvertit [*b*], inter utrosque distabat, quod Occidentales illi Iconomachi *minime tum haeretici judicati* sunt; sive quod in meliorem partem eorum verba, alias implexa & ambigua, Romani Pontifices interpretabantur, & verbis eos potius, quam rebus ipsis ac sensibus ab Ecclesia Romana, & Nicaenae Synodi definitione dissentire judicabant; sive quod eorum dissensionem prudenti oeconomia tolerare aliquandiu maluerunt, quam Gentem ac Principes ingentibus tum beneficiis sibi devinctos ab Ecclesiae Romanae communione repellere, & in eam conjicere *irrevocabilem pertinaciam*, quam, ut ait Bossuetius, *ad extremum ab Eugenio metuebant*, & quae proprie haeresim constituit, & vinculum pacis & communionis abrumpit.

Hic autem animadvertere est, quam infelici & nullius auctoritatis exemplo, Petrus de Marea [*c*], aliique

(*a*) Ubi sup. num. X. & XI.
(*b*) Ibid. cap XI. num. VIII.
(*c*) Lib. II. de Concor. Sac. & Imp. cap. XVII. num. III.

que Gallicanae Ecclesiae, ut vocant, libertatum vindices ac defensores, id juris Francorum Regibus & Ecclesiae Gallicanae adserant, ut de Synodis recipiendis vel rejicendis disceptationem sibi liberam esse judicent; praesertim si per Legatos suos rebus gerendis non interfuerunt. Quum enim illi, quorum primum [quod ad fidem pertinet] exemplo nituntur, a Majorum suorum vestigiis deflexerint: quum Sedis Apostolicae auctoritatem, & Nicaenam Synodum repellendo, tam turpiter erraverint: quum sola Romanorum Pontificum indulgentia factum sit, ut non pro haereticis haberentur: quum & ipsi tandem suum errorem agnoverint ac damnarint; an non hinc potius discere deberent, quam non tutum sit, Regum & peculiaris Ecclesiae judicio id juris tribuere, ut de Synodis Apostolicae Sedis auctoritate probatis recipiendis aut rejiciendis disceptationem liberam habeant, eorumque Canones, maxime qui ad fidem pertinent, ad examen revocent, deque illis aut admittendis aut improbandis deliberent?

CAPUT XXXII.

„ Octava Synodus generalis, Constantinopolitana quarta, aeque ac ceterae, de Romanorum Pontificum judiciis judicat: traditam sibi a Christo, ut & Romanae Ecclesiae, ligandi ac solvendi potestatem agnoscit & exercet: post Synodi judicium, nulla jam appellatio, nulla alia spes est.

PAucis, quae ad hanc Synodum pertinent, Bossuetius absolvit: Nec mirum: pauca enim reapse in hujusce Synodi actis occurrunt, quae illius caussam utcumque, aut vel specie tenus, ut in ceteris, juvare possint. At quam illum materies deficit, tam mihi redundat. Quare vela mihi contrahenda sunt: nimius enim essem, si omnia huc congerere vellem, quae in octavae Synodi actis ad Sedis Apostolicae majestatem & auctoritatem amplificandam utcumque faciunt. Delectum itaque habebo, eaque hic tantum loca describam, quae, ad caussam, qua de agimus, propius pertinere videntur.

ARTICULUS PRIMUS.

Nicolaus I. & Hadrianus II. in caussa Photii & Ignatii summam & inelectabilem, & Synodi oecumenicae retractationi & judicio nullo modo subjectam, auctoritatem exercuerunt.

PAtet id multis argumentis, ac primo & potissimum ex libello, quem Hadrianus ad Synodum per suos Legatos transmisit ab omnibus subscribendum, imo & reipsa subscriptum, qui ad eamdem Synodum admitti voluerunt. In hoc itaque libello, qui prima Synodi actione lectus est, & cui omnes de quibus poterat esse suspicio subscribere coacti sunt, imprimis inerrantiae praerogativa Sedi Apostolicae vindicatur: *In Sede Apostolica immaculata est semper Catholica reservata religio, & sancta celebrata doctrina; idque juxta ipsius Christi sententiam dicentis:* Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. ..

Hoc veluti jacto firmissimo fundamento,

mento, quaecumqme ab eadem Sede Apostolica, ejusque Pontificibus Nicolao I. & Hadriano II. de Sancti Patriarchae Ignatii & Photii caussa statuta fuerant, citra ullum Synodicum examen, ab omnibus, quorum intererat, tanquam certissimae & inconcussae Catholicae fidei & Ecclesiasticae disciplinae regulae recepta sunt: *Ab hujus ergo fide atque doctrina separari minime cupientes, & Patrum, & praecipue Sanctorum Sedis Apostolicae Praesulum, sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes haereses, simul cum Iconomachis. Anathematizamus etiam Photium &c. Sequimur autem sanctam Synodum & amplectimur, quam beatae recordationis Papa Nicolaus ... celebravit: simul & quam tu (Summe Pontifex Hadriane) ipse nuper egisti; & omnia quae in his statuta sunt, secundum decreti vestri moderationem, venerabiliter conservabimus; recipientes quos recipiunt, & damnantes omnes, qui in illis damnati sunt; & praecipue jam dictum Photium, & Gregorium Syracusanum &c. Porro de venerabilissimo Ignatio Patriarcha nostro, & de iis, qui ex parte hujus sunt, quod auctoritas Apostolicae Sedis vestrae decrevit, tota mente sequimur &c. Quoniam, sicut praediximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & observantes ejus omnia constituta, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra & vera Christianae religionis soliditas; promittentes etiam, sequestratos a communione Ecclesiae Catholicae, id est non consentientes Sedi Apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria.* Hunc Libellum a S. Nicolao Papa concinnatum fuisse in Synodo, ut videtur, Romana, Anastasius Bibliothecarius testatur, qui etiam refert, eum ab omnibus Metropolitanis & Episcopis ceterisque Clericis Constantinopolitano Throno subjectis fuisse subscriptum, qui ad Synodum oecumenicam admitti voluerunt, *ita ut nullus vel Antistitum vel reliquorum Clericorum in Synodalem fuerit conventum receptus, qui non secundum exemplar hujus Codicilli Chirographum scripsit, & Missis Sedis Apostolicae Ecclesiae Romanae minime deferendum porrexit.* Quod si Concilium cogebatur, ut Ignatii Photiique caussa a Romanis Pontificibus judicata retractaretur, ac novo subjiceretur examini, non utique sub ipsum Synodi initium, vel antequam in Synodum Episcopi reciperentur, exhibendus illis erat libellus, quo decreta per Sedem Apostolicam Photii & actorum ejus damnatio, Sancti vero Ignatii in Urbis regiae Sedem restitutio continebatur, sed hujusce libelli subscriptio vel ad finem Synodi differenda erat, vel postquam omnia de integro fuissent per Synodum retractata. Subjungit Anastasius, quosdam eorum qui supscripserant, cum Ignatio Patriarcha & Basilio Imperatore conquestos fuisse, non ideo quidem quod ante Synodi sollenne judicium subscribere coacti fuerant, sed *quod Ecclesiam Constantinopolitanam tanta subjectione Romanae subdi Ecclesiae permiserant, ita ut hanc ei tanquam Dominae ancillam tradidissent.* Itaque Chirographa Sedis Apostolicae Vicariis tradita furtim auferri permisit Imperator. At reddi sibi expugnarunt iidem Romanae Ecclesiae Vicarii: & Imperator ad unum omnia restituens, his

eos verbis adlocutus est, quae idem Anastasius refert, qui tum Constantinopoli apud eumdem Imperatorem agebat: *Ego quidem ut Magistram Ecclesiasticorum negotiorum Sedem Apostolicam per meos legatos adii; & ideo vestram praesentiam praestolatus sum, ut vestro decreto & solertia Ecclesia nostra remedia sanitatis reciperet, & nos non nostris motibus, sed vestrae sententiae pareremus. Ergo Chirographa, qua a nostris Sacerdotibus, & a cunctis Clericis salubriter exegistis, recipite, & spirituali Patri nostro Sanctissimo Papae repraesentate; ita ut si quis eorum per abrupta vitiorum vel devia pravitatum solito incedere more tentaverit, his quodammodo habenis ab eo refraenetur, & talibus locis ad rectum justitiae tramitem revocetur*. Nulla iis Episcopis Clericisve justior aut plausibilior repetendorum ac retinendorum Chirographorum fuisset caussa, quam indicta, imo & jam inchoata Synodi oecumenicae celebratio, si haec ideo indicta fuerat, & jam reapse habebatur, ut Ecclesiae Romanae decreta, quae libello continebantur, cujus exigebatur subscriptio, ad examen revocarentur. Jure enim obtendere potuissent, se se Oecumenicae Synodi decretis parituros, ac tum demum libello subscripturos, quum illum Synodus Oecumenica comprobasset. Non id autem Episcopi praetexebant; (quod profecto legitimum fuisset Meldensis Episcopi doctrinae consectarium) sed nimiam servitutem, qua Ecclesiae Romanae Constantinopolitana subjiciebatur; quod nimirum in eo libello *Sanctorum Sedis Apostolicae Praesulum sequi se in omnibus constituta*, profitebantur. Imperator autem in Ecclesiae Romanae decretis ineluctabilem vim & auctoritatem agnoscebat iisque parendi indeclinabilem necessitatem; quum Sedem Apostolicam per suos Legatos tanquam Ecclesiasticorum negotiorum Magistram, se se adiisse praedicabat, ut ejus decretis turbatus Ecclesiae Constantinopolitanae status componeretur; & non quidem ut ejus sententia, quae laudato libello continebatur, Synodico examini subjiceretur, verum *ut vestrae*, inquit, *sententiae pareremus*.

Actione secunda plures Episcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi, qui a Sanctis Patriarchis Methodio & Ignatio fuerant ordinati, postmodum autem ad Photium defecerant, poenitentia e libellum Sedis Apostolicae legatis obtulerunt; qui ab eis in pristinos gradus his verbis recepti sunt: *Suscipimus vos secundum praeceptionem Sanctissimi Papae nostri Hadriani propter confessionem libelli poenitentiae vestrae*. Quibus ab Episcopis responsum est: *Et nos adoramus vos, & suscipimus vos Judices, & judicium vestrum tanquam ex persona Filii Dei habemus*. Verum antequam illis suarum dignitatum insignia restituerentur; Legati Sedis Apostolicae libellum ab aliis Actione I. subscriptum, his quoque subscribendum obtulerunt: *Detulimus*, inquiunt, *libellum a Sancta Romana Ecclesia, a Sanctissimo Papa Hadriano, mandatum ab eo accipientes, exigere a vobis fieri ipsum libellum: Vultis ergo facere quod jussum est a Sanctissimo Papa Hadriano?* Episcopi dixerunt: *Volumus, & placet nobis, & subscribimus*. Quumque eorumdem Legatorum jussu Libellus in conspectu omnium lectus fuisset; rursus

iidem

iidem Legati Episcopos interrogarunt. *Libellum hunc audistis? Placet vobis? Scribite illum*. Et rursum: *Suscipitis omnia, quae edita sunt a Sancta Romana Ecclesia?* Revendissimi Episcopi dixerunt: *Placet, scribimus, & suscipimus omnia*. Haec dicta gestaque sunt universa spectante Synodo; & nemo ex Patribus conquestus est, quod omnia ex praescripto Sedis Apostolicae peragerentur; & quod antequam ullum decretorum ejus Synodicum examen institutum fuisset, non modo Photius pro damnato ac dejecto haberetur, verum & ii incunctanter reciperentur, quos illa recipiendos sanxisset.

Actione tertia lecta primum est Epistola Basilii Imperatoris ad Summum Pontificem Nicolaum; sed quae ipso praemortuo, ab Hadriano ejus successore recepta est: hac porro significat Imperator, se se adulterum Photium e Sede, quam tyrannice invaserat, dejecisse: Ignatium vero, *secundum judicium & justificationem, quae*, inquit, *in diversis Epistolis vestris inventa est..... per aequam & justam veritatem ad proprium thronum revocasse*. Quaerit autem, ut haec ipsa, quamquam ab eo decreta, iterum adprobentur; reliquis ab eo finis imponatur; & quae horum consectaria erant, ejus pariter auctoritate terminentur: *Reliquis autem finem imponendum, imo vero & haec eadem approbandum, atque horum sequentia terminandum, spirituali sanctitati vestrae dimisimus*: id est, formam ab eo praescribi desiderabat, quae in variis Lapsorum generibus suscipiendis servanda esset: *de quibus*, inquit, *decretum & judicium mittere paternam sanctitatem vestram praescribentes* [hoc est, antea scribentes) *poposcimus, & nunc expetimus*. Verum interim pro iis supplicat, qui ceciderant & poenitentiae locum requirebant, & ad legitimum suum Pastorem Ignatium revertebantur; ne videlicet ipso jubente repellerentur, sed misericorditer ac blande susciperentur: ac demum petit Sedis Apostolicae Legatos Constantinopolim mitti, *ut*, inquit, *certificetur expressius & purius Ecclesia nostra, cujus voluntatis sanctitas tua super utrisque consistat*. Non eos itaque mitti postulabat, ut rationem redderent Synodo judicii ab Ecclesia Romana prolati, neque ut cum Synodo negotio finem imponerent; verum ut judicium Sedis Apostolicae, quo totum negotium terminabatur, caussaequae finis imponebatur, celebrandae Synodo, non modo Apostolicis litteris, verum & viva voce, certius & expressius intimarent.

Secundo in eadem Actione lectae sunt litterae Sancti Patriarchae Ignatii ad eumdem Sanctum Pontificem Nicolaum, sed eo mortuo, Hadriano secundo redditae, quae in eamdem quidem cum praecedentibus Basilii Imperatoris sententiam conspirant, sed longe vividioribus verborum ac sententiarum luminibus splendent. Primum autem agnoscit ac profitetur, verba illa Christi: *Tu es Petrus &c.* ad solum Petrum, ejusque successores Sedis Apostolicae Praesules pertinere; indeque probat, solum Romanum Pontificem, unum esse ac singularem summumque medicum curandis universae Ecclesiae vulneribus divinitus constitutum: *Eorum vulnerum atque livorum, qui in membris hominum consistunt, multos medicos protulit*

ars . . . . . eorum vero , quae in membris sunt Christi . . . . . & Sponsae Catholicae & Apostolicae Ecclesiae , unum & singularem , praecellentem atque catholicissimum Medicum ipse princeps summus . . . . . & solus ex toto magister Deus omnium produxit ; videlicet tuam fraternam sanctitatem & paternam almitatem : propter quae dixit Petro magno & summo Apostolorum : Tu es Petrus &c. *Et iterum :* Tibi dabo claves &c. *Tales enim beatas voces non secundum quandam utique sortem Apostolorum Principi solum circumscripsit , & definivit , sed per eum ad omnes , qui post illum secundum ipsum efficiendi erant summi Pastores & divinissimi sacrique Pontifices Senioris Romae , transmisit : & ideo ab olim & prisco tempore in exortis haeresibus & praevaricationibus eradicatores & interemtores malorum zizaniorum , & tabefactorum & penitus insanabiliter aegrotantium membrorum multi multoties facti sunt eorum , qui sanctitatem & summam Paternitatem tuam illic praecesserunt ; successores scilicet Principis Apostolorum , & illius zelum in fide , quae secundum Christum est , imitantes : & nunc nostris temporibus beatitudo tua digne tractavit datam sibi a Christo potestatem .* Deinde suam & Photii caussam solius Romani Pontificis auctoritate penitus diremtam ac terminatam agnoscit ; & illius quidem dejectionem , suam vero restitutionem , ac redditam Ecclesiae pacem solius Apostolicae Sedis decretis acceptas refert , iisque verbis exponit, quibus ad haec retractanda , aut firmius stabilienda , nullo fuisse opus Concilio manifeste significat : *Photium opere manus Pontificalis , & Apostolicae potestatis tuae a communi Ecclesiae resecasti corpore ; & summo te Petro aequiparans , tamquam novum Ananiam , sententia potentium verborum tuorum occidisti , & privatione spiritualis vitae , ut alterum Simonem , per anathema morti transmisisti . Et nos qui injuriam passi sumus , sicut justissimus , & fratrum amicissimus , & juste justificasti , & Ecclesiae , quae apud nos est , & proprio throno , propter quae fategisti atque scripsisti , utpote Apostolicae & summae potestatis susceptor , digne ac rationabiliter restituisti , & fluctum , qui hic inerat , dissipasti , & tranquillitatem Ecclesiis contulisti .* Denique varia & ipse Lapsorum genera enumerat , quorum caussas Romano Pontifici examinandas proponit , ut quae forma in iis recipiendis servanda esset , ab ipso praescriberetur : iisque latius expositis ; *haec igitur ,* inquit , *sunt capitula , pro quibus exposcimus solutionem & ordinationem in scriptis mitti humilitati nostrae .*

Denique lecta est in hac eadem Actione Epistola Hadriani II. ad Ignatium : qua inter cetera , cognoscere illum ac certissime scire vult , se a Nicolai decessoris sui decretis nullatenus discessurum . *Quamobrem ,* inquit, *& in his , super quibus a nobis dispositiones & discretiones exigis , nil sequendum , praeter ejus divinitus inspirata decreta conspicimus .* Praesertim vero Gregorii Syracusani & Photii ordinationes irritas esse decernit : *quia sic se habet ,* inquit , *per decessorem meum Apostolicae Sedis decretum ,* CUJUS JUDICIUM NUSQUAM PRAECIPIUNT SACRI CANONES RETRACTARI ; *dum tamen censeant , eam in aliorum quaeque renovanda seu definienda negotia perscrutari : nosque convenit , ut prae-*

tuli-

tulimus, ejus in omnibus constituta sectari. Denique, ut alia omittam, Ignatio praecipit, ut omnino curet, peractam Romae latrocinalium Photii Conciliorum damnationem ab omnibus in Synodo subscribi, & in Ecclesiarum archivis recondi ac sedulo conservari: *Ergo Fraternitas tua curet necesse est, ut sententiarum capitula, quae Synodice in Ecclesia Dei ubi sanctum Corpus Apostolorum Principis Petri requiescit, pro abolendis profanis Conciliis Constantinopoli a Photio tam adversus Sedis Apostolicae reverentiam, quam adversus sanctimoniam tuam congregatis, communi consonantia promulgavimus, apud vos in Synodo cunctorum subscriptione roborentur, & in singularum archivis Ecclesiarum provide recondantur*.

Post lectionem Epistolae Sanctissimi Vicarii senioris Romae dixerunt: *Est canonice ac Synodice acta Epistola haec?* Sancta & universalis Synodus dixit: *Canonica & ordinata &c.* Ex quibus verbis colligit Bossuetius, de Romani Pontificis judicio Synodum judicasse. Mirum profecto, Legatos Sedis Apostolicae Synodi examini & judicio subjicere voluisse Epistolam illam, qua tam diserte statuebatur, non licere cuiquam ejusdem Sedis Apostolicae judicia retractare: similiter Synodum ad eam Epistolam retractandam aggressam esse, quam Canonicam, idest Canonibus consonam agnoscendo, hoc ipso juxta sacros Canones irretractabilem fatebatur. Nec dici potest, Canones quos in suis litteris Hadrianus laudat, solum privatis personis, aut particularibus Synodis, non autem Conciliis oecumenicis adimere facultatem judicia Romani Pontificis retractandi: ut enim mox demonstrabimus, Legati Sedis Apostolicae etiam de generalibus Synodis laudatos Hadriano Canones intelligebant; ac proinde nulla ratione defendi potest, quod quum Legati Patres interrogarunt, Canonica ne ipsis videretur Hadriani Epistola, eam Synodi judicio subiicere voluerint.

Actione quarta quum Proceres a Basilio Imperatore deputati pertinaciter flagitarent, ut Photius ejusque asseclae ad Synodum vocarentur, ipsisque praesentibus sententia legeretur in eos per Sedem Apostolicam pronunciata, ex eisque audiretur, quid caussationis adferrent; quumque in eorum sententiam & Episcopi transiissent: aegre tamen eorum petitioni Legati Sedis Apostolicae acquieverunt; veriti nimirum, ne secus atque per Canones statutum erat, Romani Pontificis judicium retractari per Synodum videretur. Quare palam protestati sunt, ad majorem dumtaxat rerum ab Ecclesia Romana judicatarum manifestationem, a se pervicaces Photianos in Synodo auditum iri: *Nobis*, inquiunt, *non licet rescindere judicium sacrorum Romanorum Pontificum: hoc enim contrarium est Canonicis institutis: quoniam praesentes illic per proprios Missos, & Romae demorantes contra se sententiam, & prolatam damnationem in Photium, & in manus impositionem ejus & audierunt & liquido didicerunt. Verumtamen ut manifestiorem eis justam judicationem Sanctae Romanae Ecclesiae faciamus, ingrediantur, & exaudiant legi Synodicas definitiones, & judicia Beatissimi Papae Nicolai, & certificentur magis ac magis*. Ex quibus verbis duo sane ma-

magni momenti colliguntur. 1. Quod quum Canones vetant, Romanorum Pontificum judicia retractari; lex ista non modo particulares, verum & generales Synodos comprehendit. Cavebant enim Legati, ne S. Nicolai Papae de Photio ac de Photianis judicium, contra atque per Canones statutum erat, retractari in hac Synodo videretur; quam imprimis Photiani tamquam universalem agnoscere cogebantur: id enim primum ab eis exigendum esse decrevit Metrophanes Smyrnensis Metropolita, qui primus petitioni Procerum de Photio ejusque asseclis in Synodo audiendis annuendum existimavit: *Nunc ergo*, inquit, *exigantur inscriptis fateri, si hanc sanctam & universalem Synodum, & quae ab ea judicantur, admittunt*. 2. Ex iisdem Legatorum verbis colligitur, judicia Romanorum Pontificum in Synodis generalibus recenseri ad majorem dumtaxat eorumdem judiciorum manifestationem, non autem quod ea retractandi jus aliquod iisdem Synodis competat. Quare hoc tantum loco quaecumque Meldensis Episcopus ex Synodis generalibus adversus nostram doctrinam colligit argumenta, penitus evertuntur.

Denique in eadem Actione tres Sancti Nicolai I. Epistolae lectae sunt, duae ad Michaëlem Imperatorem, altera ad Photium, in quibus jus & auctoritas Sedi Apostolicae asseritur ad omnia Ecclesiastica negotia irretractabiliter terminanda. In prima ad Michaëlem observat Nicolaus, plures habitos esse Sanctorum Patrum conventus, *a quibus*, inquit, *& deliberatum ac observatum exstitit, qualiter absque Romanae Sedis Romanique Pontificis consensu nullius insurgentis deliberationis terminus daretur*. In altera ad eumdem Imperatorem, *Sanctam, Catholicam, & Apostolicam, caput omnium Ecclesiarum Romanam scilicet Ecclesiam, quae semper Sanctorum Patrum sincerissimas auctoritates in omnibus suis actibus sequitur.....proculdubio quae agenda aut ambigenda fuerint* IRRETRACTABILITER *cuncta disponere, ordinare atque definire posse*, disertis verbis adfirmat. Denique in tertia, quae est ad Photium non minus diserte docet; *Sanctam Romanam Ecclesiam per Beatum Petrum Principem Apostolorum, qui Dominico ore primatum Ecclesiarum suscipere promeruit, omnium Caput esse, & ab ea rectitudinem atque ordinem in cunctis civitatibus, & Ecclesiasticis institutionibus, quas secundum Canonicas & Synodicas Sanctorumque Patrum sanctiones inviolabiliter atque irrefragabiliter retineret, requirere ac sectari. Et ideo consequens est, ut quod ab hujus Sedis Rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis praepediente occasione, proprias tantum sequendo voluntates, removeatur, sed firmius atque inconcusse teneatur*.

ARTICULUS II.

De eodem argumento ex aliis ejusdem octavae Synodi Actionibus.

Actione quinta animadversione potissimum digna sunt haec Legatorum seu Vicariorum Sedis Apostolicae verba: *Nos ergo non novum aliquod vel recens judicium judicabimus, aut introducemus, sed vetus ex multo tempore judicatum quidem a sanctissimo & beatissimo Papa Nicolao firmatum*

firmatum autem a sanctissimo Papa Hadriano: & non possumus transferri vel removeri a paternis definitionibus & legibus, neque declinare ad dexteram, neque ad sinistram: Scriptum est enim: „ Audi, fili mi, leges Patris tui, „ & ne repellas jura Matris tuae. An verbis disertioribus profiteri poterant, indeclinabile esse ac prorsus irretractabile Ecclesiae Romanae judicium? Paulo post autem subjungunt: *Quid ergo? placet vobis sensus iste, an non? Et si quidem placet, talia sunt nostra, & nostrae Sedis: quod si apud vos non fuerint acceptabilia, nos tamen super montem excelsum Synodi ascendemus, & exaltabimus in fortitudine vocem nostram, evangelizantes vobis & consequentiam, quae facta est*, (id est, rei gestae seriem, processumque Juridicum: ita haec verba Bossuetius exponit.) *& ore promulgata est Sanctorum Patrum nostrorum a gratia Spiritus Sancti.... Ad haec quid dicit sancta Synodus?* Sancta & universalis Synodus exclamavit: *Recipimus omnia valde quippe sunt discreta, & congrua, & consona Ecclesiasticis regulis.* Refert haec verba etiam laudatus Bossuetius, iisque subjungit: „ Ita sanctae Synodi accipiunt & Sanctae „ Sedis decreta, & monita Legato- „ rum, facto examine, ratione per- „ specta. Mirum & hoc profecto, quod in hoc ipso loco, in quo Legati tam diserte, ut jam observavimus, profitentur retractationi obnoxia non esse Romanae Sedis judicia, ea Synodi examini subjicere judicentur. Mirum & illud, quod Synodus retractare credatur ejusdem Sedis judicium, ubi verbis Legatorum concinit & applaudit, quibus illud prorsus irretractabile definitur. Denique nec illam horumce verborum: *Evangelizantes vobis & consequentiam, quae facta est:* horum, inquam, verborum interpretationem, non admittimus, quam Bossuetius commentus est; ut iis nimirum rei gestae series, & processus juridicus significetur: haec enim Patres antea didicerant, ut ex iis verbis, quae Legati praemiserant, perspicuum est: *Vidistis, fratres, vidistis & audistis, quae ex multo tempore dicta & gesta sunt de hujusmodi caussa.* Quare illis verbis significari putamus sententiam ab Apostolica Sede adversus Photium & pro Ignatio prolatam: Ajunt enim: *Evangelizantes vobis & consequentiam, quae facta est & ore promulgata est Sanctorum Patrum nostrorum a gratia Spiritus Sancti:* quae in sententiam diffinitivam competunt, non in rei gestae seriem, aut processum juridicum. Sensus itaque est: „ Quod si ea quae nostrae Sedis & no- „ stra sunt, apud vos non fuerint ac- „ ceptabilia; nos tamen sententiam „ Patrum nostrorum ore per gratiam „ Spiritus Sancti Romae promulga- „ tam, hîc rursum exaltantes in for- „ titudine vocem nostram sollenniter „ promulgabimus.

Actione sexta plura notanda occurrunt. Primo enim Legati Sedis Apostolicae se ad Synodum missos fuisse docent, non ut cum ipsa judicium a Nicolao I. & Hadriano II. in duabus Romanis Synodis latum retractarent; *Verum ut illud*, inquiunt, *defendere in hac sancta Synodo debeamus.* Et infra: *Nos neque subvertimus neque rejudicamus judicium Sanctae Romanae Ecclesiae sub undecima indictione factum contra Photium Moechum & ty-*

rannum ac pervasorem, atque sequaces ejus.

Deinde iidem Romanae Sedis Vicarii seu Legati, memoratis iisdem Nicolai & Hadriani Synodicis Canonicisque judiciis, his verbis Basilium Imperatorem, qui sacro coetui praesens aderat, adloquuntur: *Sanctissimus Hadrianus nos famulos suos direxit in hanc Urbem ad manifestationem veri & justi judicii in conspectu imperii vestri, & sanctae universalis Synodi: ita ut non habeant vocem repedationis, vel appellationis; sed quemadmodum jam judicati sunt, & dejecti in seculum maneant.* Refert & haec verba Illustrissimus Bossuetius, qui & haec statim observat: „ En tantum per „ Synodum universalem appellatio- „ nis sublata spes omnis; neque a „ decreto resilire datur, sed fi- „ xa & aeterna manet sententia. „ Quid amplius? Sic se habet Eccle- „ siasticorum judiciorum ratio, non „ tantum in fidei quaestionibus, sed „ etiam in iis, quae statum & pacem „ omnium Ecclesiarum spectant. Sic ille in rem suam convertit, quae pro nostra sententia plane decretoria sunt. Ajunt enim Legati, se non ad retractandum, vel iterato examini subjiciendum Ecclesiae Romanae judicium ad Synodum advenisse, verum ad illud eidem Synodo manifestandum, in eaque sollenniter promulgandum; ac post ejus promulgationem, nullum esse ab ejusmodi Ecclesiae Romanae judicio appellationi locum. Haec enim non ad Synodi universalis, sed ad Romani Pontificis auctoritatem pertinere, tum per se patet, tum evidentius perspicitur ex his, quae statim iidem Legati subjungunt: *Et Ecclesiae Orientalium, gratia Dei, nobiscum sentiunt, stabiliunt, damnant, & anathematizant similiter, usque in consummationem saeculi.* Quae ad consensum Synodi pertinent cum Ecclesiae Romanae judicio; ideoque quae praemiserant, solam spectabant Romani Pontificis auctoritatem.

Tertio in eadem Actione „ Episco- „ pi, qui Photio se obligatos puta- „ bant, ab his vinculis per haec ver- „ ba Synodi, inquit Bossuetius, li- „ berantur: *Sanctissimi Vicarii senioris Romae, & nos, qui reliquarum Sedium Vicarii sumus, haec omnia dissolvimus hodie, gratia Jesu Christi, qui dedit nobis summi Sacerdotii potestatem juste ac congrue ligandi atque solvendi.* Addunt: *Spiritus enim Sanctus, qui locutus est in sancta Romana Ecclesia, credimus, quod & in Ecclesiis nostris locutus exstiterit.* Haec neque hoc ordine prolata sunt, neque totius Synodi verba sunt, sed Eliae Presbyteri, qui locum obtinebat, seu Vicarius erat Theodosii Hierosolymorum Patriarchae. Haec tamen Bossuetius tanquam totius Synodi verba refert, ac statim subjungit: „ En Epi- „ scopalis coetus a Christo profectam, „ & una cum Romana Sede exercitam „ supremam Ecclesiae potestatem! Perinde atque aliquis nostrum neget, adesse Synodo oecumenicae, cui Romanus Pontifex omnium Ecclesiarum Caput, vel per se ipsum, vel per suos Legatos praesidet, adesse, inquam, potestatem relaxandi juramenta, quae *violenter & coacte*, ut statim Elias declarat, extorta fuerant. Nullus pariter nostrum negat adesse a Christo Oecumenicae Synodo ejusmodi potestatem. Sed, praeter Romanum

num Pontificem, quo illa ordine a Christo in ceteros Episcopos derivetur, Elias non explicat: Stephanus autem Dorensis Episcopus, S.Sophronii ejusdem Hierosolymitanae Ecclesiae Patriarchae ad Romanam Sedem Legatus, in magna illa sub Martino I. Lateranensi Synodo palam dixit: quod *Claves regni caelorum ipse tantummodo magnus secundum veritatem & princeps Apostolorum meruit Petrus*. Alia plura in hac eadem Actione notanda essent; sed ea libens praetereo, ne nimium protrahatur oratio.

Plurima quoque in Actione septima occurrunt, quae huc transcribi deberent: Sed ne longius excurram, ea tantum seligo, quae majoris momenti esse videntur. Initio actionis quum Bahanes procerum primus Photianos vehementer urgeret, ut Romanae aliarumque Patriarchalium Sedium judicio acquiescerent; Euschemo Caesareae Cappadociae Photianus Episcopus temere & abrupte in haec verba respondit: *Ego iis quae per rationem non sunt acta, & qui non sectantur Canones SS. Apostolorum, & sanctarum ac universalium Synodorum, non tantum si Romanus vel Hierosolymitanus sit, sed & si Angelus de caelo veniat, & non conveniat sano verbo, neque pareo, neque sequor*. In aliis Actionibus iidem Schismatici Romanorum Pontificum, & aliorum Patriarcharum judicio auctoritatem Canonum objecerunt: quos illi nunc imitantur qui Romanis Pontificibus, aliisque per universum orbem Catholicis Episcopis S. Augustini aliorumque Patrum, ac veterum Conciliorum testimonia verbaque opponunt. Hos autem cum Photianis egregie idem Bahanes Patritius refellit: *Homines, dicite, unde estis? De caelo estis? de abysso estis? An de terra, in qua nos degimus? Et ostendite hac ora, quia sive haeresis mota est, sive schisma emersit in qualibet parte? Et sensit aliquis extra quatuor Patriarchia & salvatus est? Et audio vos. Hodie quatuor Patriarchia, imo vero quinque condemnatione condemnant vos: quid vobis videtur ad haec? Est, qui adjuvet vos? Dicite*. Quam facile haec in paucos illos, qui Apostolicae Sedis dogmaticis constitutionibus, quas ceteri per universum orbem Episcopi receperunt, adhuc reluctantur, intorqueri possint, nemo est, qui non videat. Porro eorum alia esse non solet, quam haec eorumdem Schismaticorum ad illa Bahanis verba responsio: *Canones Sanctorum Apostolorum, & Sanctorum Conciliorum*: ita & novi Refractarii: Testimonia veterum Patrum & Conciliorum nos adjuvant, & adversus universae Ecclesiae auctoritatem tuentur. Verum nos eis rursus illa ejusdem Bahanis ingerimus: *Dicite, qui Canon vos adjuvet, & ubi posuerit Dominus Canones? In Ecclesiis suis, an in aliquo alio loco? & ubi Ecclesiae sint hodie, & ubi praedicetur Evangelium: Est alius locus, praeter quem tenent Sanctissimi isti Vicarii? Dicite*. Quibus verbis illud aperte significat, Canonum, quemadmodum & fidei depositum, eorumque interpretationem credita tunc fuisse quinque illis primariis Ecclesiis, quae Patriarchales dicebantur, & a quibus ceterae per universum orbem Ecclesiae pendebant, quarum sola nunc superest Romana Sedes, qua ceterae continentur, cujusque auctoritate reguntur. Ubi & illud ani-

animadvertendum, quod superiori Capite probatum est: ad Synodi oecumenicae auctoritatem satis tunc esse visum, si ex Occidente Romanus Pontifex, aliique Orientis Patriarchae per suos Legatos adessent, & consensum praeberent: Quod non semel & in aliis Actionibus refricatur. Ita Actione superiore Basilius Imperator eosdem Photianos adloquens, ait: *Utique nostis & vos, & universitas, quae sub sole est, quia protectione veri Dei nostri quinque Patriarchia orbis terrarum recta sentiunt, & non est laesio fidei: & ideo quidquid judicant, necessario debetis recipere. Ut autem apparet, non creditis, quod ea, quae dicta sunt, illinc exsistunt: si enim credidissetis, non utique judicium eorum reprobare penitus auderetis. Interrogo ergo vos: diffiditis, an creditis, quod inde sint?* Photii Episcopi dixerunt: *Non diffidimus.* Basilius .... Imperator dixit: *Ergo si creditis, suscipite prolatum ab eis judicium.*

Secundo in celebri illa S. Nicolai Papae ad universos Metropolitanos, Episcopos & reliquum Clerum Constantinopolitanae Sedi subjectos Epistola, quae in hac ipsa septima Actione lecta est; notanda est formula, qua in omnibus fere Capitulis eidem Epistolae insertis, ac potissimum in Photii damnatione, & Ignatii restitutione, Sanctus Pontifex utitur: quae sane plurimum valet ad evertendas plures Meldensis Episcopi observationes: *Haec*, inquit Cap. I. sententiam in Photium damnationis ferens, *& his similia contra Evangelica, Apostolica, Prophetica, atque Canonica instituta ipse efferens, sit Dei omnipotentis, & beatorum Apostolorum Principum Petri & Pauli, ac omnium simul Sanctorum, atque venerandorum sex universalium Conciliorum auctoritate, nec non & Spiritus Sancti per nos judicio, omni Sacerdotali honore & nomine alienus, & omni Clericatus officio prorsus exutus.* In quibus verbis Conciliorum generalium auctoritati judicii sui auctoritatm adjungit, quod per Spiritum Sanctum praedicat esse prolatum. Et infra Cap. IV. Ignatium in suam Sedem restituens: *Et ideo*, inquit, *illum .... per potestatem divina voce beatissimo Petro collatam, & per auctoritatem Sanctorum Canonum, & Decretalium Constitutionum, more Sanctorum Patrum prolatarum, pristino honori &c. restituimus, statuimus, ac confirmamus.* Id vero quid aliud est, quam utramque sententiam veterum Patrum & Synodorum & Pontificum Decretis & Canonibus consonam declarare, eorumque proinde auctoritate firmare? Nec ideo tamen vi sua Sedis Apostolicae judicium immobliter stare ac valere negat & irretractabili firmitate consistere; quam videlicet Sanctus ipse Pontifex ex Spiritus Sancti inspiratione derivat, & ex potestate Apostolorum Principi divina voce collata: Quam proinde Apostolicis Constitutionibus adimere nequaquam censendi sunt Conciliorum Patres, quum eis se se consensum adjungere profitentur, quod eas Veterum Patrum & Conciliorum testimoniis & sanctionibus consonas repererunt.

Tertio in eadem Epistola Cap. VI. anathema rursus in Iconomachos intorquetur, statimque subjungitur: *Haec sunt, quae Sedes Apostolica statuit; haec sunt, quae synodice regulariterque*

de-

decrevit; haec sunt, quae vos tanto studiosius oportet amplecti, tanto solicitius observare, quanto satius nostis, quae ab ea statuta fuerint, haec universalem semper Ecclesiam tenuisse; ita ut contra singulos errores in Ecclesia exortos, prior haec secundum primatus sui auctoritatem SENTENTIAE TERMINUM DEDERIT. *Et ita demum universalis Ecclesia, licet aliquando per aliquantulum temporis in quibusdam reluctata sit; quae illa tamen probavit, quandoque probaverit; & quae illa refutavit, quandoque refutaverit.* Refert haec verba Cl. Tomassinus Dissert. XII. in Conc. Chalced. num. X. ad eaque sapienter observat, quod „ eis „ nihil verius, nihil sapientius „ dici potuit. Etenim, *inquit*, Nicaenae Synodo in condemnationem „ Quartadecimanorum centum amplius annis praeivit Ecclesia Romana. Universali quoque illi, de „ qua Augustinus, Synodo, quae „ iterum baptizari ab haereticis semel „ tinctos vetuit, longo temporis „ intervallo Sedes Apostolica facem „ praetulit. Reluctati sunt aliquam„ multi aliquandiu, sed tandem Capiti suo universa acquievit Eccle„ sia. Apollinarem certe Damasus, „ Macedonium ante secundam Oe„ cumenicam Synodum ita Romana „ Ecclesia Occidensque praedamna„ verant, ut nulla sibi opus Synodo „ duxerint, & Constantinopolitano „ Concilio praeluxerint potius, quam „ obsecuti sint. Profecto Sanctus Pontifex Nicolaus non modo docet, Sedem Apostolicam ceteris Ecclesiis in damnandis erroribus praeivisse; verum & quod ipsa insurgentibus controversiis *sententiae terminum dederit*; idest, sententiam protulerit, qua ipsis controversiis finis seu teminus imponeretur. Ubi perspicuum est, quod ex Ecclesiae consensu nequaquam pendere existimabat Apostolicorum decretorum ineluctabilem auctoritatem; quum disertis verbis agnoscat & fateatur, Apostolicis decretis, quibus exortis haeresibus terminus datus est, non defuisse, qui aliquamdiu refragarentur: qui tamen vel sero coacti sunt Apostolici judicii aequitatem & veritatem agnoscere. Quod profecto inerrantiae Sedis Apostolicae ineluctabile argumentum est: Ut enim se habent humanae res, nisi ipsa in dirimendis fidei controversiis, indesinenter divino spiritu regeretur, aliquando cadere ac labi debuisset, & ab errore per ceteras Ecclesias toto diffusas orbe revocari. At contra res accidit. Nam Ecclesia Romana tot jam exercita conflictationibus probari non potest, quod a veritatis tramite aliquando deflexerit: reliquae vero per orbem Ecclesiae, quae ipsi aliquando restiterunt, tandem errores suos agnoscere ac fateri coactae sunt.

Actione octava notanda haec sunt & alta mente reponenda ad Thedorum cognomine Crithinum ex Iconomachorum faece, Bahanis Patricii verba: *Imperator noster sanctus non adduxit vos ad hanc sanctam & universalem Synodum ad disputandum, sed ad commonendum. Nam utique nostis, quia Paulus Christi os liquido monet, omnem haereticum ab una & secunda admonitione devitare: Tu autem senescens in malitia tua, & sciens cum omni certitudine tenebras in quibus es, in lumine ignis tui ambulabis, audiens ex quadrifido terrarum, orbe, justo decreto*

Sacrorum Canonum, *anathematis damnationem*. *Quo enim fugies? vel, quo ibis? Posuit Deus Ecclesiam suam in quinque Patriarchiis, & definivit in Evangeliis suis, ut numquam aliquando penitus decidant, eo quod capita Ecclesiae sint: Etenim illud quod dicitur*: Et porta inferi non praevalebunt adversus eam; *hoc denuntiat*: *Quando duo ceciderint, currunt ad tria; cum tria ceciderint, currunt ad duo; cum vero quatuor forte ceciderint, unum quod permanet in omnium capite Christo Deo nostro, revocat iterum reliquum corpus Ecclesiae: Nunc autem toto terrarum orbe concordante, non habes excusationis modum, quemadmodum olim factum est*. Jam casus evenit, quem Bahanes postremum exposuit; jam quatuor Patriarchia, seu Sedes Patriarchales, ceciderunt, & unum solum, hoc est, Romanum permanet in omnium capite Christo Deo nostro; quare ad hoc solum pertinet, quum unicum jam sit totius Ecclesiae caput, hoc est, non modo Summus Pontifex, verum & juxta veterem notionem Catholicus Patriarcha; ad hoc, inquam, solum pertinet, etiam Patriarchali jure reliquum Ecclesiae corpus in fide continere, & si alicubi decidat, a casu, sive ab erroribus revocare: & cuicumque illius decretis resistit, illud objici potest: *Quo fugies? vel, quo ibis?* Universa Ecclesia hoc uno capite regitur & continetur; ac propterea quod illud in fide immobile perseverat, portae inferi adversus Ecclesiam praevalere non possunt.

Ad hunc locum respicit, eumque egregie ac praeclare exponit S. Anselmus Lucensis Episcopus in Opere adversus Guibertum Pseudo-Pontificem, ubi observat, Deum ita in tribus praecipuis Patriarchis per Beatum Petrum firmamentum fidei constituisse, ut uno cadente, ab aliis duobus fides sustineatur; duobus labentibus, fides nihilominus non deficiat propter Romanum Patriarcham, qui jussus est in Apostolorum Principe ceteros confirmare, atque in eodem Petro constitutus est immobile Ecclesiae fundamentum; qui proinde tam deficere non potest, & a fide aberrare, quam nec ipsa Ecclesia, quae juxta Domini promissionem nullis unquam inferorum incursionibus dejicietur: *Firmamentum enim fidei Christianae in eorum sedibus per Beatum Petrum sessorem earumdem ita Deus locavit, ut si unus ex tribus principalibus Patriarchis ceciderit, duo stent, quod si duo ceciderint, quum pro fide Petri ne deficiat, a Christo oratum sit, unius scilicet Romani Patriarchae fides, in qua fratres suos confirmet; nunquam deficiat. Quod utique Christus Deus noster jam ostendere dignatus est in universalibus Synodis jam octies celebratis. Nam uno vel duobus a fide corruentibus, Romanus in ejusdem fidei fundamento, licet pulsatus, licet concussus, tamen stetit immobilis*: Caelum enim & terra transibunt; verba autem *ejus* non transibunt, *qui dixit*. Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & portae inferi non praevalebunt adversus eam.

CA-

CAPUT XXXIII.

„ Concluditur argumentum ab octo „ primorum Conciliorum autoritate repetitum: Eorum Acta Adversarii nec consideraſſe videntur. Sancti Gelaſii, & Sancti Gregorii locus de irretractabili Eccleſiaſticorum judiciorum autoritate.

Quae hoc Capite paucis ac ſummarie Meldenſis Epiſcopus refricat, omnia noſtris ad ſuperiora Capita obſervationibus funditus, ut nobis videtur, disjecimus, ac penitus profligavimus. Quare non eſt, quod hic rurſus in iiſdem refellendis immoremur. Quum enim ab ipſomet Illuſtriſſimo Adverſario tota haec diſceptatio ad haec duo Capita revocetur; nimirum retractatas in Synodis fuiſſe Romanorum Pontificum de fide definitiones: Et retractationi nullum fuiſſe locum poſt fidei quaeſtiones Conciliorum generalium auctoritate ſancitas; indeque colligat, *ingens intercedere diſcrimen inter Conciliare & Pontificium judicium*; quod ad primum pertinet caput, jam plurimis demonſtravimus; quod etiam Cl. Thomaſſino Diſſert. XII. in Conc. Chalced. num. III. obſervatum eſt; Julium, Caeleſtinum, Leonem, Agathonem omnino vetuiſſe, ut quae ipſi jam praefinierant, ea in Synodis generalibus velut nutantia in diſceptationem traherentur. Unde illud conſequens eſt, quod pariter laudatus Auctor obſervat, nullum de iis in eiſdem Synodis ambigendi locum aut diſputandi fuiſſe, niſi forte ex redundantia juris, & ad majorem dumtaxat rerum antea definitarum illuſtrationem. Porro illud etiam oſtendimus, omnibus fere Orientalibus Synodis Apoſtolicae Sedis Decreta in Occidentali edita Synodo, & omnium fere Eccleſiarum roborata conſenſu praeluxiſſe: cujus obſervationis, juxta communem nobis cum Adverſariis doctrinam, conſectarium eſt, nullis abſolute opus fuiſſe Synodis, ut ea decreta omnium fere Eccleſiarum probata conſenſu, irretractabilem obtinerent auctoritatem.

Quod vero ad alterum Caput attinet; oſtendimus cum eodem Cl. Thomaſſino, *extraordinariam quoque poſt Synodum effuſiore quadam diſpenſandi licentia, aut potius caritate, cognitionem fuiſſe aliquando conceſſam*. Ac praeterea, *nec Synodi decreta irretractabilem vim aſſequi, niſi poſtquam ea Pontifex primae Sedis approbavit, & quatenus ſui examinis trutina confirmavit*. Quod etiam uberius libro ſequente demonſtrabimus, quum de Conciliarium decretorum per Sedem Apoſtolicam confirmatione cum Meldenſi Epiſcopo diſſeremus. Quare quae ex Gelaſio egregio Pontifice in praeſenti Capite adfert: *Bona Synodus vereque Chriſtiana ſemel acta, nulla nec poteſt, nec debet novae Synodi iteratione convelli*. Atque iterum: *Bona Synodus, nulla cauſa eſt, cur alia debeat Synodo retractari, ne ipſa retractatio ejus conſtitutis detrahat firmitatem*. Haec, inquam, Gelaſii, iiſque adfine Magni Gregorii decretum, cum Ferrando Diacono de iis Synodis intelligimus, quibus Eccleſiae Romanae irrevocabilis ac penitus irretractabilis conſenſus acceſſit: *Quae enim*, inquit ille, *finiuntur judicantibus Epiſcopis ſanctis, & ad Beati Petri*

tri

tri memoriam perducta , DILIGENTIUS EXAMINANTUR , ATQUE FIRMANTUR , *sequenda sunt* , *tenenda sunt* , *amplectenda sunt* , IN RETRACTATIONE , *sub qualibet pietatis occasione teneri non debent* . Ergo tale est judicium a Conciliis prolatum , ut a Romano Pontifice diligentius examinetur , ac novo judicio retractetur : Non est ergo illud ultimum & omnino certum Ecclesiae judicium : Sed ultimum & omnino certum erit illud , quo diligentius examinatur atque firmatur , & quo fit , ut retractationi obnoxium amplius non sit: cujusmodi esse Romani Pontificis judicium , quo Synodorum decreta sollenniter confirmantur , cum Ferrando Diacono propugnamus . Sed haec suo loco accuratius explanabuntur .

CAPUT XXXIV.

„ Alia Concilia generalia memorantur : in iis perstitit antiqua traditio , ut summae quaestiones ad Concilia generalia referrentur , nec Pontifex non decerneret , nisi sacro approbante Concilio : Referuntur quatuor Lateranensia oecumenica Concilia , sub Callixto II. sub Innocentio II. Alexandro III. Innocentio III. & Lugdunense primum sub Inocentio IV.

„ POst primas octo Synodos generales summa diligentia pervolutas , in promtu est judicare de aliis ex earum sententia , quas & actis luculentioribus notas esse , & Apostolorum aevo propiores , facem ceteris praetulisse constat . Verba sunt quibus praesens Caput Illustrissimus Meldensis Episcopus auspicatur . Quae tamen an aequo , vel etiam potiori jure & ipse usurpare valeam , ex jam dictis, satis constare arbitror, & ex iis quae dicenda & disputanda supersunt , adhuc magis constabit . „ Et „ tamen , *subjungit Illustrissimus Auctor* , ex ipsis posterioris aevi secutis Conciliis demonstramus , perstitisse in Ecclesia Catholica antiquam traditionem , ut summae quaestiones , summisque animorum dissensionibus agitatae , ad Concilia generalia deferrentur . Nemo id ignorat , nemo inficiatur , de hac re nulla nobis vobiscum controversia est . Verum id unum in disceptationem venit , an jure inde conficiatur , retractationi obnoxias fuisse , nec vim habuisse ineluctabilem Romanorum Pontificum , vel ad schismata aut haereses abolendas , vel ad fidem aut disciplinam sanciendam , Apostolicas Constitutiones , donec generalium Synodorum auctoritate confirmarentur . Id nos constanter negamus , neque inde consequens esse , decursis prioribus octo oecumenicis Synodis , demonstravimus. Quamquam autem eorum Conciliorum, quorum hic meminit Bossuetius , Acta non extant , sed solum habemus Canones ; attamen ex monumentis illorum temporum , quae supersunt , & ad controversias spectant in iis Synodis agitatas , manifesta patebit , decreta Romanorum Pontificum , quae vel ad fidem , vel ad generalem Ecclesiae disciplinam referebantur , semel ex Cathedra pronunciata , firmae & immobilis auctoritatis habita ab iis omnibus fuisse , qui fidem & unitatem Catholicam diligebant , nec eis nisi ab haereticis,& schismaticis,aut saltem non sine schismatis periculo contradictum :

Ne-

Neque proinde habita fuisse Concilia, ut de eorum aequitate, tanquam de re nondum satis comperta, disceptaretur.

Praeterea nec aliquid Adversarios juvat, aut ad propositam controversiam alicujus momenti est, quod statim Bossuetius adjungit; „ nempe „ quod singulare id habent pleraeque „ ex his posterioribus Synodis ut eas „ Romanus Pontifex praesens habuerit, ejusque nomine dicta sententia sit, non aliter tamen, quam *sacro approbante Concilio*. Qua formula declaratur, definitiones editas, & Canones conditos, nonnisi „ consentiente & approbante Concilio pro pleno Ecclesiae Catholicae „ judicio valituras. Nos enim dicimus, hac formula nihil aliud significari, quam quod sponte ac libenter admittimus, Episcopos, quum Synodis adsunt, sedere ut judices, quemadmodum in Hierosolymitano Concilio, etiam praesente Apostolorum Principe, suum Jacobus de Legalibus judicium protulit: *Propter quod & ego judico &c.* quam eis praerogativam nunquam Romani Pontifices inviderunt: sed inde consequens esse negamus, plenum non esse, aut minus valere judicium, quod a Romano Pontifice ex plenitudine potestatis, & ex Cathedra Principis Apostolorum profertur, nisi aliorum Episcoporum vel Synodi generalis judicio comprobetur.

ARTICULUS PRIMUS.

Decreti S. Gregorii VII. adversus Investituras ante primam Lateranensem Oecumenicam Synodum firma & irretractabilis auctoritas: De illius & Sanctitate & aequitate nunquam in legitimis Synodis disceptatum: De his tantum in Ecclesia Catholica disputatum; 1. An haeresis esset, investituras a Gregorio damnatas tanquam licitas usurpare. 2. An, & quibus temperamentis tolerari posset earum usus, ad graviora mala, & schismatis periculum avertendum.

De prima Lateranensi Synodo haec tantum Meldensis Episcopus habet: „ Quaestio de investituris „ ingens toto orbe incendium concitaverat, multisque ad fidem pertinere videbatur, quod aliquatenus „ verum est. De pace saepe actum „ inter Callixtum II. & Henricum V. „ Imperatorem, eamque Summus „ Pontifex in Concilio Rhemensi, „ plus trecentis Episcopis congregatis, eorum *judicio atque sententia* „ *confirmare voluerat*, ut ipse in eadem Synodo profitetur. Verba „ notanda sunt, *ex eorum sententia* „ *atque judicio*, prorsus ex antiquae „ disciplinae ratione: sed quod Rhemis inchoatum, in Lateranensi primo generali Concilio consummavit „ anno MCXXII.

Quid haec faciant ad Romanorum Pontificum eorumque decretorum, quam adstruimus indeclinabilem auctoritatem labefactandam, equidem non intelligo. Quod enim pacem inter Sacerdotium & Imperium ex Episco-

piscoporum *sententia atque judicio* confirmari voluit Callixtus, profecto non probat, esse retractationi obnoxia Sedis Apostolicae decreta, quibus aut fides Catholica, aut generalis Ecclesiae disciplina sancitur. Coepit dissidium de Investituris Gregorio VII. Romano Pontifice, anno circiter MLXXV. quo primum earum usum in Romana Synodo laudatus Gregorius proscripsit: compositum est autem a Callixto II. in generali Synodo Lateranensi, anno, ut ait Bossuetius, MCXXII., vel sequente, ut alii Viri eruditi contendunt. Hoc autem temporis intervallo, cum ab ipso Gregorio ejusque Successoribus, tum ab Apostolicae Sedis Legatis aliisque Catholicis Episcopis plurimae Romae & in reliqua Italia, Gallia, & Germania celebratae sunt Synodi, in quibus repetita earum damnatio est, & in ipsos quoque Henricos IV. & V. Germaniae Reges & Imperatores, quod eas praefracte retinere vellent, & Sedis Apostolicae decreta impudentissime violarent, anathematis pronunciata sententia est. Quumque adhuc contumaces & rebelles, Ecclesiae libertatem tyrannicae opprimere non desisterent, exauctorati sunt, & ab Imperio depositi, subditis eorum a juramento fidelitatis absolutis: in his autem omnibus Synodis Gregorianum decretum confirmatum est, nusquam vero de illius sanctitate & aequitate disceptatum. Nimirum omnium tunc insidebat animis, & in ore omnium versabatur vetus illud effatum: juris esse Apostolicae Sedis de omnibus judicare, de illius autem judiciis nemini judicare permissum. Quare quum anno 1085. in Berbacensi Conventu partium Henricianarum Episcopi sententias a Gregorio VII. contra Henricum Regem latas retractari vellent; Otto Sedis Apostolicae Legatus Synodum Quintilineburgi cum Episcopis & Abbatibus Germaniae celebravit: De qua haec inter cetera ex Bertoldo proferunt Conciliorum Collectores: *Quum ergo omnes juxta ordinem suum consedissent, prolata sunt in medium decreta Sanctorum Patrum de primatu Sedis Apostolicae: quod nulli unquam liceat ejus judicium retractare, & de ejus judicio judicare. Quod de totius Synodi publica professione laudatum, & confirmatum est. Et hoc utique contra Henricianos, qui Fideles Sancti Petri constringere voluerunt, ut excommunicationem Divi Papae Gregorii super Henricum cum illis retractare praesumerent. Quidam autem Bambergensis Clericus nomine Gunibertus, Romani Pontificis primatui derogare volens, in mediam Synodum se contulit, asserens, Romanos Pontifices hunc sibi primatum adscripsisse, non aliunde concessum hereditasse, videlicet ut nullus de eorum judicio judicare debeat, nec illi alicujus judicio subjaceant. Qui quum aperte a tota Synodo confutaretur, praecipue tamen a quodam Laico convictus est per illud Evangelicum:* Non est discipulus supra Magistrum. *Quum enim hoc generaliter in omnibus Ecclesiasticis ordinibus observandum deputetur, ne majore a minore judicetur, quis hoc Vicario Sancti Petri denegare potuit, quem omnes Catholici pro Domino & Magistro venerentur?*

Quot Romani Pontifices Gregorii VII. Successores Victor III. Urbanus II. & Paschalis II. labores exantlarint,

larint, ut sanctissimi Decessoris decreta ubique obtinerent, & investituras e Laicorum Principum manibus extorquerent, & Ecclesiam in libertatem adsererent, pluribus narrat, ac fuse describit Nat. Alex. Dissert. IV. in Histor. Ecclesiast. Saec. XI. & XII. Artic. IV. & sequentibus, ad quem Lectorem remitto, qui inde petere poterit, quae hîc minus necessaria videntur. Attamen omittere non possum, quae in Ecclesia Catholica dicta gestaque sunt, postquam Paschalis II. Henrico V. a quo captivus detinebatur, & extrema Ecclesiae Romanae mala metuebat, investiturarum privilegium concessit. Inde enim patebit, quam irretractabilis, etiam ante Synodum oecumenicam, haberetur Gregoriani decreti adversus investituras auctoritas. Ac primùm considerandum occurit, quod privilegium Paschali II. ab Henrico Imperatore adversus Praedecessorum decreta, & Apostolicas Constitutiones per summum nefas extortum constantissime improbarunt Johannes Tusculanus aliique Cardinales, qui in Imperatoris manus non inciderant, neque illius vim ac tyrannidem experti fuerant: parumque abfuit, quin inter eos, & qui Paschali adhaeserant, ut Em. Annalium Parens testatur, schisma conflaretur. At imminentem tempestatem Pontifex prudenter avertit. Ipso enim ab Urbe digresso, Cardinales, qui foedus cum Imperatore initum improbabant, convenientes in unum, praeside Johanne Cardinali Episcopo Tusculano, confirmarunt decreta Gregorii VII. & Urbani II. contra Laicorum investituras, nihilque roboris obtinere decreverunt, quidquid adversus ea ab ipso Paschali, & ipsi adhaerentibus Cardinalibus, quovis praetextu actum fuisset. Id ubi Paschalis accepit, litteris Tarracina datis primum quidem eorum facinus, utpote minus Canonicum, eorumque praefervidum zelum reprehendit, qui magis ex aemulatione, quam ex caritate proficisci videbatur: *Id*, inquit, *quod in personam nostram, imo in Patrem vestrum, praeter ipsius Ecclesiae judicium atque praesentiam vos egistis; etsi vobis ex zelo Dei visum sit; non tamen ut mihi videtur, Canonico tramite incessistis. Non enim caritas, sed aemulatio id dictasse perspicitur.* Attamen ut eorum leniret animos, neque majus ex eorum dissensione incendium excitaretur, vulnus Ecclesiasticae disciplinae illatum se se reparaturum promisit, notasque & maculas abstersurum, quas Sedi Apostolicae suoque nomini inusserat: *Nos tamen confisi de misericordia divina pro animae nostrae salute cogitamus; & commissum, quod pro fratribus atque filiis, pro excidio Urbis, & universae provinciae fecimus, emendare curabimus &c.* Haec Paschalis, scite quidem, ut observat Baronius, atque prudenter admodum occurrens schismati, quod eo modo inchoari jam videbatur. Sed non sedatur tumultus mirum in modum concitatus.

Bruno Signinus Episcopus & Cassinensis Abbas, vir insignis sanctimoniae, Guala Rhegino Episcopo, Roberto Pasiensi, aliisque Cardinalibus & Episcopis sibi adjunctis, Paschali II. imminebat, ut privilegium Imperatori concessum rescinderet, eumque anathemate configeret: alii privilegium illud tuebantur. Magna animorum dis-

dissensione ac pertinacio de illo disputari coeptum. Paschalis Brunoni quasi hujus dissidii & scandali incentori graviter succensuit. Ille vel praesens, quemadmodum Petrus Diaconus in Chronico Cassinensi significare videtur, vel per literas, vel utroque modo Pontificem conveuit, suam agendi rationem excusaturus. Se ejus Sanctitatem colere & ex animo diligere contestatus est, nec ullum alium ipso vivente, suscepturum Pontificem: sed prae illo diligere Deum, cujus amori omnis humana necessitudo, ipseque Parentum amor postponendus est. Ideoque se improbare privilegium de retinendis investituris Henrico Imperatori concessum, ut contrarium pietati, religioni, fidei. Illud repugnare Apostolorum decretis, & Apostolicae Sedis Constitutionibus, quibus qui contradicit, haereticus est. Brunonis, seu Bruni litteras tum ad Paschalem Pontificem, tum ad Episcopum Portuensem ex Codice Cassinensi depromtas Annalibus Baronius inseruit ad annum MCXI. num. XXX. & sequenti, ex quibus aliqua describemus, ex quibus constabit, quam Vir sanctus inviolabilem ac penitus irretractabilem judicaret Sedis Apostolicae adversus Investituras constitutiones: *Foedus autem illud*, inquit in litteris ad Pontificem, *tam foedum, tam violentum, cum tanta proditione factum, tam omni pietati & religioni contrarium, ego non laudo. At vero neque tu, sicut pluribus referentibus audio. Quis enim illud laudare potest, quo fides violatur, Ecclesia libertatem amittit &c. ? Habemus Canones, habemus sanctorum Patrum Constitutitiones a temporibus Apostolorum usque ad te. Via regia incedendum est, neque ab ea in aliquam partem declinandum. Constitutio tua, & constitutio Apostolorum una est, & ipsa quidem multum laudabilis...... Haec namque constitutio Apostolorum & tua sancta est, Catholica est; cui quicumque contradicit, Catholicus non est..... Hanc igitur tuam & Apostolorum Constitutionem, Pater venerabilis, iterum confirma: Hanc in tua Ecclesia, quae omnium Ecclesiarum Caput est, palam & cunctis audientibus praedica: Hanc haeresim, quam tu ipse haeresim esse, saepi dixisti, Apostolica auctoritate damna & mox videbis totam Ecclesiam tibi esse placatam &c.* Et in Epistola ad Episcopum Portuensem: *Audivimus*, inquit, *quod quidam de fratribus nostris non solum non damnant ea, quae modo contra sanctam Ecclesiam facta sunt, verum etiam satis impudenter defendere conantur: omnis autem, qui haeresim defendit, haereticus est. Nemo autem, hanc non esse haeresim dicere potest, quam sancta & Apostolica Ecclesia in multis Conciliis haeresim nominavit. Et illae quidem specialiter dicuntur esse haereses, quae in Conciliis judicatae & damnatae sunt. Unde & Guibertus non immerito haeresiarcha dictus est, simul que cum suis sequacibus damnatus & excommunicatus. Quicumque igitur Catholicam Ecclesiam relinquentes, ad partem Guiberti transierunt, & ejus impiam haeresim defendunt ac tenent; eos haereticos excommunicatos, & Apostolicis vinculis ligatos esse, non dubium est.* An proprie damnatarum a Sancto Gregrorio VII. investiturarum usurpatio haeresis esset, non una erat illo aevo Catholicorum opinio; etsi illas unanimi sententia reprobarent, & ampla

quadam ac minus propria significatione haeresim appellari, nemo repugnaret. Brunus ejusmodi usurpationem inter haereses recensebat, hac ratione, quod a Sede Apostolica, & in multis Conciliis proscripta fuerat; quorum tamen nullum inter oecumenica numerabatur: & adhuc ingens turbatio in Italia & Germania omnia susdeque miscebat, & Imperatori praefracte Investituras retinere volenti, quamplures Germaniae Proceres & Episcopi adhaerebant; qui jam Paschalis privilegio nitebantur, quod quidam ex ipso Romano Clero palam improbare non audebant, quidam & palam defendere minime verebantur. Nec tamen in tanta rerum perturbatione Signinus Episcopus opus esse oecumenica Synodo judicabat, qua res tanta retractaretur, & controversiae, quae tot offensiones pepererat, & Sacerdotium & Imperium scindebat, *communi sententia atque judicio* finis imponeretur. Sed Vir sanctus Apostolicis Rescriptis finitam esse caussam intelligebat, & citra Concilii generalis auctoritatem, palam haereticos appellare non dubitabat, qui Sedis Apostolicae decretis refragabantur.

Ceterum quod ad Paschalem Pontificem spectat, is ubi Capuam pervenit, coacta Synodo, cujus est mentio in Epistola Friderici Leodiensis Episcopi ad Ecclesiam Mechliniensem, apud Martene in amplis. Veter. Monument. Collect. Tom. I. coacta, inquam, Capuae sollenni Synodo, quidquid Imperatori vi coactus concesserat, totum id irritum & quasi infectum esse sancivit, privilegiumque, non jam privilegium, sed pravilegium vocari decrevit. Scripsit deinde varias ad diversos Episcopos litteras, quibus ea se retexuisse significat, quae schismatis metu commotus Imperatori Henrico promiserat, hortaturque omnes, ut adversus investituras Episcoporum magno animo insurgant. Dedit ejusmodi litteras ad Gerardum Episcopum Engolismensem Apostolicae Sedis in Gallia legatum, qui anno sequenti Lateranensi Synodo adfuit, nec non & ad Guidonem Episcopum Viennensem, qui utrarumque meminit in Epistola Synodica Concilii Viennensis ad ipsum Paschalem. Similes & ad Praesules aliquos provinciae Senonensis misit, quarum ipsi in Synodica ejusdem Provinciae ad Johannem Archiepiscopum Lugdunensem mentionem faciunt. Sed & Ivo Carnotensis Episcopus ad Henricum Angeriacensem Abbatem scribens testatur, sibi scripsisse Paschalem, *se coactum fecisse quod fecit, & adhuc se prohibere quod prohibuit, quamvis quaedam nefanda quibusdam nefandis permiserit*.

Neque his contentus Paschalis, anno sequenti 1112. longe frequentiorem ac celebriorem in Lateranensi Basilica Synodum celebravit, cujus acta ex variis Auctoribus collecta Conciliorum Editores exhibent. Sub ipsum Synodi initium hunc Pontifex ad Patres sermonem habuit: *Scriptum illud, quod magnis necessitatibus coactus, non pro vita mea, non pro salute aut gloria, sed pro solis Ecclesiae necessitatibus, sine fratrum consilio aut subscriptionibus feci, super quo nulla conditione, nulla promissione constringimur, sicut prave factum cognosco, ita prave factum confiteor, & omnino corrigi, Deo praestante, desidero: cujus correctionis modum fratrum, qui convenerunt, con-*

filio judicioque constituo, ne forte per hoc in posterum detrimentum aliquod Ecclesiae, aut Animae meae praejudicium relinquatur. Postrema vero Concilii die ut omnes a se suspiciones amoveret, fidei professionem emisit, in qua inter cetera haec ait: *Amplector... decreta sanctorum Patrum Romanorum Pontificum, & praecipue decreta Domini mei Papae Gregorii, & beatae memoriae Papae Urbani: Quae ipsi laudaverunt, laudo; quae ipsi tenuerunt, teneo; quae confirmaverunt, confirmo; quae damnaverunt, damno; quae repulerunt, repello; quae interdixerunt, interdico; quae prohibuerunt, prohibeo in omnibus & per omnia, & in his semper perseverabo*. Tum Gerardus Engolismensis Episcopus Sedis Apostolicae per Aquitaniam Legatus, Summi Pontificis totiusque Synodi assensu, hanc sententiam promulgavit: *Privilegium illud, quod non est privilegium, neque vero debet dici privilegium, pro liberatione captivorum & Ecclesiae, a Domino Paschali Papa per violentiam Regis Henrici extortum, nos omnes in hoc sancto Concilio cum Domino Papa congregati, canonica censura, & ecclesiastica auctoritate, judicio Sancti Spiritus damnamus & irritum esse judicamus, atque omnino cassamus, & ne quid auctoritatis & efficacitatis habeat, penitus excommunicamus. Et hoc ideo damnatum est, quod in eo privilegio continetur, quod electus canonice a Clero & populo, a nemine consecretur, nisi prius a Rege investiatur. Quod est contra Spiritum Sanctum & canonicam institutionem*. Qua perlecta sententia, ab universo Concilio acclamatum est, *Amen, Amen, Fiat, Fiat*.

Habita est hoc eadem anno XVII. Kal. Octob. Synodus Viennensis in Gallia a Guidone illius Urbis Metropolita, & Sedis Apostolicae Legato, qui postea Callixti II. nomine adscito Sedem Apostolicam tenuit, & primam Lateranensem oecumenicam Synodum celebravit. Viennensi Concilio adfuerunt inter alios S. Godefridus Ambianensis, & S. Hugo Gratianopolitanus, Antistites; conditique in eo tres Canones, quibus investiturarum usurpationem, privilegium ab Henrico Imperatore, & ipsum Henricum anathemate perculerunt: Notandus imprimis, & animadversione dignus est primus Canon: *Investituram Episcopatuum, & Abbatiarum, & omnium Ecclesiasticarum rerum de manu laica, Sanctae Romanae Ecclesiae auctoritatem sequentes, haeresim esse judicamus*. Falluntur quidem, quum investiturarum usum velut haeresim damnant, eaque in re Sedis Apostolicae auctoritatem obtendunt: Neque enim Romani Pontifices Gregorius VII. Victor III. Urbanus II. & Paschalis II. qui toties illas damnaverant, nusquam earum defensoribus haereseos notam inusserant: eumdem tamen errorem & Goffridus Vindocinensis Abbas erravit Epist. XI. libri III. ad Rainaldum Andegavensem Episcopum, ubi investiturarum propugnatores, Gregorii VII. in Concilio Romano Canone fretus, tamquam haereticos insectatur: *Qui autem*, inquit, *cognoscere voluerit, quid Catholica & Apostolica Ecclesia de investitura senserit, quid docuerit, quid judicaverit, quid constituerit, legat in primo Capitulo illius Concilii, quod tempore Gregorii VII. Papae factum est: & ibi omnes Clericos, qui de manu Laici investituram accipiunt, haere-*

haereticos vocatos, & ideo damnatos & excommunicatos inveniet. Memoria, inquit Nat. Alex., fefellit Goffridum Vindocinensem. In Synodorum enim a Gregorio VII. celebratarum decretis eos, qui investituras de manu laica susciperent, excommunicatos legimus; Haereticos vero appellatos non legimus. In eadem opinione & Bruno Signinus Episcopus, de quo supra, & Johannes Lugdunensis in Epistola ad Daimbertum Senonensem Archiepiscopum, versabantur: quorum opinio hac tantum ratione defendi potest, quam Ivo Carnotensis in Epistola ad laudatum Johannem Lugdunensem proponit; ut nimirum haeresis esse dicatur, *si quis Laicus ad hanc prorumpit insaniam, ut in datione & acceptione virgae putet se tribuere posse sacramentum, vel rem sacramenti Ecclesiastici. Illum*, inquit Ivo, *prorsus judicamus hæreticum*. Vel, ut eamdem opinionem loco citato idem Johannes Lugdunensis exponit; ut scilicet exterior investitura tunc in haeresim desinat, quum quis pertinaciter contendit, eam licite fieri posse: *Et licet*, inquit, *exteriores investituras per Laicos factas non satis proprie haeresis nomine censemus; sentire tamen ac defendere fieri debere, indubitata haeresis est*. Quo forte vel altero sensu Paschalis Papa descriptum superius Viennensis Concilii Canonem intellexit, quum illius Synodi acta data ad Guidonem Archiepiscopum ceterosque Patres Epistola confirmavit. Utcumque tamen eorum se habuerit opinio, mihi perinde est, qui id unum contendo, solius Apostolicae Sedis auctoritate illatam fuisse investiturarum usui irretractabilem damnationem. Quod profecto efficacius & evidentius eorum testimonia demonstrant, qui sequentes, ut eis videbatur, ejusdem Sedis Apostolicae auctoritatem, eamdem usurpationem haeresim esse judicabant.

Mitiorem, & Ecclesiae Romanae sensui magis consonam cum de Investituris, tum de Pontificis lapsu, opinionem Ivo Carnotensis habebat in Epistola, quam Daimberti aliorumque Provinciae Senonensis Episcoporum & suo nomine scripsit ad Johannem Lugdunensem, qui ipsos ad Concilium apud Ansam celebrandum invitaverat, *in quo*, inquiunt, *tractare disposuistis de fide, & investituris Laicorum..... quas quidam inter haereses computant*. Ipsi autem minime probant, ob ejusmodi caussam Synodum celebrari; quod videlicet excusandum potius quam propalandum existimarent Romani Pontificis facinus; qui investituras Imperatori coactus concesserat, & priora decreta sua revocare paratus erat: *Quod enim propter vitandam populi stragem paterne in se admisit Summus Pontifex, coegit necessitas, non approbavit voluntas..... Quod si adhuc in Teutonicum Regem debitam severitatem non exercet, credimus, quia consulte differt secundum quorumdam Doctorum judicia, qui consulunt, quaedam admittenda pericula, ut possint vitari majora*. Quod S. Augustini ex libro tertio contra Parmenianum testimonio & auctoritate confirmant.

Non modo autem Synodi in hac caussa consilium improbant, quod tegi potius vellent, quam vulgari Paschalis lapsum; verum etiam quia de persona Pontificis agebatur, quae solius Dei, nullius autem hominis, proindeque nec ullius Synodi judicio subjacet: *Non videtur nobis utile*

consilium ad illa Concilia convenire, in quibus non possumus eas Personas, contra quas agitur, condemnare vel judicare: quia nec nostro, nec ullius hominum probantur subjacere judicio. Unde nos constat esse immunes, si facta eorum oris gladio ferire formidamus: quum ipse Mediator obedire eis praecipiat, si ea quae ad Cathedram pertinent, recta praecipiant, ea vero minime faciant.

Pergunt deinde idem Paschalis erratum pluribus rationibus extenuare, ac potissimum ostendunt, illum concedendo Investituras Imperatori, decreta suorum decessorum proprie non fuisse praevaricatum, quia id studiose non fecerat, sed subreptione fallente vel necessitate cogente: *His verbis excusatos nos credimus, quod a laceratione Domini Papae linguas nostras reprimimus: & si quid contra sententiam suam, suorumque Praedecessorum, de remissis Germanico Regi investituris fecisse videtur, filiali caritate excusamus. Non enim praevaricator est legis, qui delinquit in lege, aliqua fallente subreptione, vel impellente necessitate; sed qui legem impugnat studiose, & delictum suum non curat agnoscere.*

Denique investituram haeresim dici non posse propugnant, quum ad fidei materiam nullatenus pertineat, & in sola manuali actione dantis & accipientis versetur. Si tamen aliquis Laicus reperiretur adeo stolidus & vecors, ut persuasum haberet, se conferre aliquod Sacramentum aut Sacramenti effectum, cum baculum & anulum tradit, illum haereticum esse censendum; non quidem ratione investiturae manualis, sed ob diabolicam illam praesumtionem: Investituram tamen illam manualem invasionem esse juris alieni, & sacrilegam usurpationem, quam rescindere penitus oporteat, si id fieri possit absque periculo schismatis: *Si vero congrua volumus rebus nomina dare, possumus dicere, quod manualis illa investitura per Laicos facta, alieni juris est pervasio, & sacrilega praesumtio; quae pro libertate Ecclesiae & honestate, salvo pacis vinculo, si fieri potest, funditus abscindenda est. Ubi ergo sine schismate auferri potest, auferatur; ubi sine schismate auferri non potest, cum discreta reclamatione differatur.* Ex quibus constat, & ipsos, quamvis de investituris mitiorem foverent opinionem, non dubitasse tamen, quin aequum esset & sanctum Gregorii VII. aliorumque Romanorum Pontificum illas damnantium decretum, & hoc tantum ab aliis dissensisse, quod non omnino damnandum Paschalis facinus judicabant, ac prudenti oeconomia differri potuisse censebant illiusmodi decreti executionem ad vitanda graviora mala, & schismatis periculum avertendum.

Haec opinionum dissonantia non modo in Galliis, verum & in Italia fervebat, ut ex ultimo Concilio Lateranensi colligitur, quod pro damnandis investituris Paschalis II. anno MCXVI. celebravit; ubi Signinus Episcopus privilegium Henrico Imperatori concessum tamquam haereticum damnat; alius pravum quidem fuisse, non abnuit, sed haereticum fuisse negat; alius ad liberandum populum Dei bonum fuisse contendit. Pontifex autem suam demisse culpam agnoscit; primus in illud anathema intorquet, & ad ejus damnationem universam Synodum excitat; S. Gregorii VII. decre-

tum

tum iterum promulgat: Denique Cononis Episcopi Praenestini, & aliorum Sedis Apostolicae Legatorum habitas ubique terrarum adversus investituras & Henricum Imperatorem plurimas Synodos Apostolica auctoritate confirmat: Sedique Apostolicae in retinenda Catholica fide, ac damnandis haeresibus immobilem & ineluctabilem vindicat firmitatem. Haec constant ex actis hujus Concilii, quae fusissime Urspergensis Abbas descripsit; unde pauca subjungere operae pretium existimo: *Tunc Apostolicus caussam Concilii, & animi sui intentionem his verbis exposuit*: „ Postquam Dominus de „ Servo suo fecit quod voluit, & me „ Populumque Romanum tradidit in „ manus Regis: videbam quotidie „ passim fieri rapinas & incendia, cae- „ des & adulteria. Haec & hujus- „ modi mala cupiebam avertere ab „ Ecclesia & populo Dei: & quod „ feci, pro liberatione populi Dei „ feci: feci autem ut homo, quia „ pulvis sum & cinis. Fateor, me „ male egisse, sed rogo vos omnes, „ orate pro me ad Deum ut indulgeat „ mihi. Illud autem malum scrip- „ tum, quod in tentoriis factum est, „ quod pro pravitate sui Pravilegium „ dicitur, condemno sub perpetuo „ anathemate, ut nullius unquam sit „ bonae memoriae; & rogo vos om- „ nes ut idem faciatis. *Tunc ab universis conclamatum est*, Fiat, Fiat. *Bruno autem Signinus Episcopus altius exorsus est*: „ Gratias agamus omni- „ potenti Deo, qui Dominum Papam „ Paschalem, qui praesenti Concilio „ praesidet, audivimus proprio ore „ damnantem illud Privilegium, „ quod pravitatem & haeresim conti- „ nebat. *Ad haec quidam cavillatorie subjunxit*: „ Si Privilegium illud hae- „ resim continebat, qui illud fecit, „ haereticus fuit. *Johannes autem Cajetanus Episcopus ad haec commotus Signino respondit*: „ Tu ne hîc & in „ Concilio, nobis audientibus, Ro- „ manum Pontificem appellas haere- „ ticum? Scriptum quod fecit Domi- „ nus Papa, malum quidem fuit, sed „ haeresis non fuit. *Et alter quidam adjecit*: „ Imo nec malum dici debet: „ quia si liberare populum Dei bonum „ est, quod Dominus Papa fecit, bo- „ num fuit: sed liberare populum „ Dei, bonum est auctoritate Evan- „ gelii, qua praecipimur animas quo- „ que pro fratribus ponere. *Ad haec patientia Domini Papae, horrendo haeresis nomine pulsata, expergefacta est, & manu silentium indicens, diffidentium clamores & murmur tali oratione compescuit*: „ Fratres & Domini mei au- „ dite: Ecclesia ista nunquam habuit „ haeresim, imo hîc omnes haereses „ conquassatae sunt.... Pro hac Ec- „ clesia Filius Dei in passione sua ora- „ vit, cum dixit: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua*. Ex quibus omnibus aperte colligitur, ante primam Lateranensem oecumenicam Synodum nequaquam inter Catholicos disceptatum fuisse de sanctitate & aequitate decretorum S. Gregorii VII. aliorumque Romanorum Pontificum adversus investituras: An autem haeresis esset investituras tueri; quod nullo decreto id Sedes Apostolica declarasset, non unam fuisse Catholicorum Episcoporum opinionem; quibusdam pro haereticis habentibus, qui investituras defenderent, quibusdam vero hanc non esse adfirmantibus nisi sacri-

legam

legam usurpationem.

Id etiam ut vidimus ante Lateranensem oecumenicam Synodum disceptatum: an ad graviora mala vitanda, & schismatis periculum avertendum, licitum esset, investiturarum usum & privilegium concedere; quaesitumque, an aliquod temperamentum reperiri posset ad pacem Sacerdotium inter & Imperium redintegrandam. Ivo Carnotensis aliique Provinciae Senonensis Episcopi Paschalem II. non modo excusabant, verum & laude dignum existimabant, quod oeconomia quadam Investiturarum privilegium Imperatori concesserat, ut hoc Ecclesiasticae disciplinae vulnere gravioribus malis occurreret: *Unde*, inquiunt Epistola superius laudata ad Johannem Episcopum Lugdunensem, *hunc excessum ejus non tantum non accusamus, sed dictante ratione approbamus, si imminente strage populi paterna caritate cum nonnullo vulnere suo se tantis periculis voluit objicere, ut majoribus morbis posset sincera caritate subvenire*. Quibus concinit ille, cujus verba paulo ante descripsi, qui in Concilio Lateranensi Paschalis II. consilium pro populi Dei liberatione susceptum, nec malum dici debere, sed bonum fuisse contendit: a qua tamen sententia, quam longissime ipse Paschalis aberat: qui rationes illas, quibus ad concedendas furenti Principi investituras impulsus fuerat, valere quidem ad elevandam, non autem ad abstergendam penitus culpam existimabat. Urbanus II. in Concilio Romano anni MCXCIX. non modo excommunicationem in dantes & accipientes investituras decrevit, verum etiam in eos, qui pro Ecclesiasticis honoribus hominium facerent, vel homagium praestarent: cujus decreti testes habemus Paschalem II. in Epistola ad S. Anselmum, Eadmerum lib. II. Hist. Novorum, qui cum laudato Anselmo Synodo interfuit, & Rogerium de Hoveden Par. 1. Annalium. Verum quum Henricus Angliae Rex Willelmi Praedecessoris sui vestigiis insistens nec investituras nec hominia dimittere vellet, Paschalis II. post plurimas cum eo Rege Regnique Ministris habitas concertationes, ejusmodi negotium, quod Anglicanam diu turbarat Ecclesiam, tandem Urbani II. sententiam temperando composuit; permisitque Regi, ut ipsi hominia juxta Regni consuetudinem ab Episcopis & Abbatibus fierent, modo solennes ipse per anulum & baculum investituras dimitteret; ut constat ex litteris ejusdem Paschalis II. ad S. Anselmum: *Si qui vero deinceps, praeter investituras*; hoc est, omissis investituris; *Ecclesiarum praelationes assumserint, etiam si Regi hominia fecerint, nequaquam ob hoc a benedictionis munere arceantur, donec per omnipotentis Domini gratiam, ad hoc omittendum, cor regium tuae praedicationis imbribus molliatur*.

Callixtus II. indicto Remis Concilio, cujus historiam fusius Baronius, Nat. Alex. & Conciliorum Collectores aliique describunt, nihil omisit, ut difficilem controversiam, & quae tamdiu Sacerdotium & Imperium commiserat, tandem aliquando componeret. Verum ubi se nihil ob Imperatoris perfidiam proficere animadvertit, Decessorum suorum decreta sequenti confirmare Canone disposuerat: *Investituram omnium Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum possessionum per manum*

lai-

laicam fieri modis omnibus prohibemus. Sed hujus Canonis occasione quum ingens quorumdam Clericorum, & Laicorum murmur insonuisset; ejus rigorem Pontifex temperavit, & in hanc formam Canonem redegit: *Episcopatuum & Abbatiarum investituram per manum Laicam fieri, penitus prohibemus. Quicumque igitur Laicorum deinceps investire praesumserit, anathematis ultioni subjaceat*: quo reapse cum universa Synodo in Burdinum Antipapam & Henricum Imperatorem animadvertit, solutis etiam juramento fidelitatis, qui perfido Principi obstricti erant, nisi forte resipisceret, & Ecclesiae Dei satisfaceret. Porro Canon in eam formam redactus ad investituras Ecclesiasticarum dignitatum coarctabatur; nec eo proinde investiturae pro Ecclesiasticis bonis & possessionibus damnabantur: quas hoc aevo Galliarum Reges, qui pacem cum Ecclesia Romana fovebant, absque traditione baculi & anuli retinuisse, pluribus Nat. Alex. Dissert. superius laudata Artic. XVI. demonstrat.

Quod in Concilio Remensi anno 1119. Callixtus obtinere non potuit, obtinuit tandem ac pervicit in Wormatiensi Conventu anno 1122. quo demum ad Investituras Episcopatuum & Abbatiarum, ut & bonorum Ecclesiasticorum per anulum & baculum dimittendas Imperatorem coëgit: ipsi vero Callixtus indulsit, ut Episcopi vel Abbates libere electi Regalia ab ejus Majestate per sceptrum reciperent. Pacta scripto tradita, & mutuis firmata subscriptionibus apud laudatos Scriptores legere est. Imperatorem ab excommunicatione Pontifex per suos Legatos absolvit, datisque ad eum litteris *in Beati Petri filium paternae affectionis brachiis* suscepit: eaque omnia ante Lateranensem oecumenicam Synodum anno quem diximus 1122. labente peracta sunt. Anno autem sequente, uti Cossartius & Nat. Alex. ostendunt, ea Synodus habita est, non quidem ad ea retractanda, quae Pontifex cum Imperatore transegerat; quod unum Adversariorum caussam juvaret; sed ut pax inita sollennius in Synodo confirmaretur, ac religiosius servarentur quae in publico totius Ecclesiae conventu pacta & promissa utrimque fuissent.

ARTICULUS II.

De secundo Lateranensi Generali Concilio: Ex S. Bernardo probatur, opus non fuisse Synodo oecumenica ad retractandam Innocentii II. electionem, quod in eam Christiani orbis pars maxima consentiret: unde conficitur, irretractabiles jure suo fuisse plerasque illarum caussarum pro quibus generales Synodi celebratae sunt.

Etiam quae ad hanc Synodum pertinent breviter Bossuetius perstringit: „ sub Innocentio II. non „ solum infando Petri Leonis schismate Ecclesia laborabat, sed etiam „ auctore Petro de Brueis haereses „ ubique pullulabant eae, quae postea per Albigenses in majus incendium eruperunt, Arnaldus Brixiensis in ipsa Urbe non solum seditiones agitabat, sed etiam haereses seminabat. Igitur ad schismatis reliquias exstinguendas, totque haeresium nascentium dira initia comprimenda, atque instaurandam tot tur„ bis

„ bis collapsam disciplinam, Summus „ Pontifex Concilium generale Lateranense II. habuit anno 1135. Haec Bossuetius: quid vero inde conficere valeat, aut velit, non exponit. An ergo, quoniam ad Schismatis reliquias extinguendas, ad haeresum nascentium dira semina praefocanda, ad instaurandam tot turbis labefactatam Ecclesiae disciplinam, Concilium generale Innocentius coëgit; inde consequens est, ineluctabilem non esse Romani Pontificis in fidei controversiis auctoritatem? An putas, nullam esse generalem Synodum celebratam, quae necessaria non esset, ad eas caussas retractandas ac terminandas, propter quas quaecumque Synodus generalis habita est? Falsum id esse, saepius ostendimus; atque ipsimet contrariae opinionis adsertores agnoscere ac fateri debent, nisi eas etiam Romanorum Pontificum sanctiones ac dogmaticas Constitutiones retractationi obnoxias esse contendunt, quas Catholicorum Episcoporum pars maxima, paucis ex adverso reclamantibus, amplexa est; quod paucorum hodie commentum est, qui ab ipsis Gallis Scriptoribus, quos novarum opinionum amor non in transversum abripuit, invictis argumentis, & constanti Ecclesiae Catholicae traditione refelluntur; ex qua apertissime constat, semper eas caussas esse irretractabiles judicatas, quas, Romano Pontifice praeeunte, Orbis Catholicus, paucis exceptis Refractariis, probasset, aut improbasset.

Valent etiam plurimum ad eos novarum opinionum vindices refellendos, quae S. Bernardus de hoc ipso Petri Leonis schismate differit Epist. 126. ad Episcopos Aquitaniae contra Gerardum Engolismensem, qui contra Innocentium II. partes Pseudo-Pontificis Anacleti tuebatur. Quibus enim argumentis Sanctissimus Abbas Schismaticos exagitat, qui vehementer urgebant, ut caussa utriusque Pontificis retractaretur; iisdem & eorum pervicacia revincitur, qui hodie ad generalem Synodum provocant, in qua Constitutio *Unigenitus* retractetur: *Ceterum*, inquit, *nunc judicium expetunt . . . . . ut videlicet si recusetur, justi vos videamini: Si recipiatur, litigantibus inter se partibus, dilatio redimat tempus, & interim fiat aliquid. An de vestra justitia desperatis, & damnum jam crescere non timetis, quemcumque caussa exitum sortiatur? Quidquid, inquiunt, hactenus factum sit, modo quaerimus audientiam: judicium sumus subire parati. Tergiversatio est. Quid in omni impio conatu vestro vobis relinquitur aliud, quod afferre queatis ad seducendum simplices, ad armandum malevolos, ad vestram ipsorum palliandam malitiam? Si hoc non diceretis; quid diceretis?* Optime ac merito Sanctus Doctor animadvertit, unicum ac miserabile omnium Schismaticorum ac Sectariorum esse perfugium, ut quum se a Romano Pontifice ac dispersis per universum orbem Episcopis confixos atque damnatos intelligunt, aliud judicium exquirant, & ad futuram Synodum provocent. Quid enim dicerent, quid auderent ad seducendum simplices, & ad armandum malevolos, impii ac temerarii homines, si hoc non dicerent, non auderent? Nempe quemcumque temeraria illorum petitio sortiatur exitum, non habent majora damna quae timeant. Si non indicitur Synodus, hanc semper obtendent

suae pervicaciae praetextum: *Dilatio redimet tempus, & interim fiet aliquid.* Si habebitur Synodus, parum aut nihil eorum intererit, ut postquam eos dispersi per orbem Episcopi damnaverunt, eamdem in eos damnationem in unum coacti locum confirment. Innumeri praetextus non deerunt, quibus damnationem eludant. Defuit Concilio libertas, defuit diligens ac sufficiens controversiarum examen, Episcopi ac Theologi praejudicatas ad Synodum opiniones adtulerunt &c. *Damnum jam crescere non timetis, quemcumque caussa exitum sortiatur.* Rari fuerunt qui generalis Synodi auctoritati cederent, postquam Romani Pontificis & multitudinis Episcoporum auctoritate despecta, generalem Synodum postularunt. Ceterum multitudinis Episcoporum, ac ferme totius Ecclesiae quamvis per orbem dispersae auctoritatem despicere, ac velle retractare judicium, cum quanta sit impudentia atque temeritate conjunctum, sequentibus verbis luculentissime S. Bernardus exponit: *Jam Deus judicavit, quod sero repetit homo: judicavit autem operis evidentia, non decreti sententia. Numquid Dei judicium audeat humana temeritas retractare? .... Non est consilium contra consilium Domini. Velociter currit sermo ejus in conveniendo populos in unum & Reges, ut Domino Papae Innocentio serviant, & obediant. Quis revocabit? Dei esse judicium senserunt & consenserunt Galterius Ravennas, Hildegarius Tarraconensis, Norbertus Magdeburgensis &c.* recensitisque pluribus Archiepiscopis & Episcopis, quorum, inquit, *gloria specialis, & praecipua sanctitas & auctoritas etiam hostibus reverenda, facile nobis, qui minorem & meriti & officii tenemus locum, aut errare secum, aut sapere persuasit*; subjungit: *Taceo multitudinem ceterorum, Tusciae, Campaniae, Longobardiae, Germaniae, & Aquitaniae, Galliarum denique & Hispaniarum omnium, necnon & universae Orientalis Ecclesiae, tam Archiepiscoporum, quam Episcoporum, quorum nomina sunt in libro vitae, sed Epistolae brevitas non admittit.* His adjungit varios Religiosorum hominum Coetus, *quorum*, inquit, *vita abscondita est cum Christo in gloria, ubi certe sollicite inquirunt, & non dubie inveniunt beneplacitum Dei, qui solliciti sunt quomodo placeant ei.* Hos porro laudat, quoniam *sequentes Episcopos, tamquam greges pastores suos, Innocentio firmiter adhaerent, sincere favent, humiliter parent, verum Apostolorum successorem fideliter recognoscunt. Quid Reges & Principes terrae? Nonne in eodem Spiritu, una cum subjectis sibi plebibus, Innocentium pariter amplectuntur, confitentes & ipsi Papam & Episcopum animarum suarum? Quis postremo in quocumque ordine vitae illustris & boni nominis homo idipsum non sapit? Et tamen adhuc isti, nescio qua contentiosa importunitate, & importuna contentione reclamant.* VOCANT IN CAUSSAM ORBEM, ET CUM SUA PAUCITATE UNIVERSITATEM FLAGITANT JUDICARI. Annon haec belle & aequo jure conveniunt in paucos illos, non jam Episcopos, verum secundi aut inferioris Ordinis Clericos, Monachos, Jurisconsultos, garrulas anus, deliros senes, verbosos sophistas, qui, ut verbis utar Hieronymi, scripturarum artem, & sacrorum dogmatum scien-

tiam sibi passim vindicant, praesumunt, lacerant, docent antequam discant, & quadam facilitate verborum, imo audacia, edisserunt aliis quod ipsi non intelligunt? An non, inquam, in ejusmodi homines: qui pauci quum sint, & nullius ferme in Ecclesia auctoritatis, cum Romano Pontifice, & omnium Episcoporum, Theologorum, Principum, & Catholicae plebis universitate contendunt, & ad generalem Synodum provocant, in eaque petunt damnatarum opinionum commenta retractari: ea S. Bernardi verba jure meritoque ingeruntur? Vocatis in caussam orbem, & cum vestra paucitate universitatem petitis judicari. Profecto non melior, imo hodie longe deterior eorum, qui Constitutioni *Unigenitus*, quam qui olim Innocenti II. electioni refragabantur. Non enim deerant Episcopi, qui Pseudo-Pontificis partes tuebantur, nempe Petrus Episcopus Portuensis schismaticae factionis Antesignanus, Otto Episcopus Tudertinus, Gerardus Engolismensis, & alii, Monachi Cassinenses, Rogerius Siciliae & Calabriae Dux cum Episcopis in ejus ditione degentibus, & in Galliis Comes Pictaviensis: quum tamen hodie non nisi ailquot secundi & inferiorum ordinum Clerici, Monachi, ac privatae sortis Laici in Romanum Pontificem, ac totius orbis Episcopos insurgant, eisque litem intentent, in generali, ut ipsi contendunt, Synodo judicandam. Verum ab eis cum eodem S. Bernardo quaerimus, *quos dabunt* in Synodo generali *judices sibi*; imo quos dabunt Judices mundo? Numquid Romanum Pontificem? sed ab eo constanter damnantur. Numquid Episcopos? sed ii in ipsorum insectandis erroribus Capiti suo constanter adhaerent. Numquid inferiorum ordinum Clericos, Monachos, Laicos? Sed nos Ecclesiasticum volumus judicium. Porro Ecclesiae nomine cum S. Cypriano (a) non intelligimus nisi Gregem Pastori suo adhaerentem, nec legitimos Episcopos agnoscimus nisi in Ecclesia, neque Ecclesiam nisi in Episcopis constitutam: *Illi sunt Ecclesia, plebs Sacerdoti adunata & pastori suo grex adhaerens*. Sacerdotis autem & Pastoris nomine non nisi Episcopos Sanctus Martyr intelligit. Nam statim subjungit: *Unde scire debes, Episcopum in Ecclesia esse & Ecclesiam in Episcopo; & si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse &c.* Numquid ab Ecclesiae dispersae judicio ad Ecclesiam provocant in Synodo congregatam? Sed Ecclesiam toto orbe dispersam & in unum locum coactam idem Spiritus regit, eam juxta Domini promissum in omnem veritatem deducens. *Quos ergo dabunt judices sibi*? Qui enim Ecclesiam non audiunt variis quidem locis dispersam, sed fide & caritate conjunctam, & eodem ubique veritatis Spiritu vegetatam, ii ut plurimum neque Ecclesiam audiunt in Oecumenicis Synodis adunatam. Quod ipso experimento compertum est. Nam generalia Concilia ad sistendum potius erroris progressum valuere, quam ad eorum duritiem edomandam, quos flectere non potuerat Romanorum Pontificum eisque indivulse adhaerentium Episcoporum auctoritas.

Quod pertinet ad errores Petri de Bruis

(a) Epist. LXIX. ad Florent. Pupian.

Bruis &c. damnati ii sunt in hac Synodo Oecumenica Lateranensi Can. 23. his verbis: *Eos autem, qui religiositatis speciem simulantes, Domini Corporis & Sanguinis Sacramentum, baptisma puerorum, Sacerdotium, & ceteros Ecclesiasticos Ordines, & legitimarum damnant foedera nuptiarum, tamquam haereticos ab Ecclesia Dei pellimus & damnamus, & per potestates exteras coerceri praecipimus. Defensores quoque ipsorum ejusdem damnationis vinculo innodamus.* Qui Canon idem quum sit cum tertio Concilii Tolosani anno MCXIX. Callixto II. praeside celebrati; hinc constat, haereses jam ante viginti annos a Romano Pontifice & ab Ecclesia proscriptas, hic rursus fuisse damnatas. An ergo non pudebit Adversarios dicere & Petrobrusianorum caussam & damnationem fuisse in Lateranensi Synodo retractatam; nec proinde irretractabilem fuisse, prolatam in eos a Callixto II. & Concilio Tolosano sententiam, antequam Synodi Oecumenicae auctoritate confirmaretur? Id quidem ex eorum doctrina consequi debet, si quidquam conficere volunt adversus ineluctabilem Romani Pontificis auctoritatem ex confirmata per Synodum Lateranensem Petrobrusianorum dogmatum damnatione. Sed vereor, an id aperte proferre audeant, ne videlicet fateri cogantur, ullam unquam fuisse haeresim, cujus fuerit irretractabilis damnatio, antequam ad ejus caussam examinandam generalis Synodus haberetur.

ARTICULUS III.

De Conciliis Lateranensibus III. & IV. & de prima Synodo Lugdunensi.

„ Alexander III., *inquit Illustrissimus Adversarius*, cum „ haereses & schismata succrescere „ cerneret, ipse Octaviani Apostatici Pontificis schismate diu agitatus, „ eam, quae schismatibus occurreret, „ deinceps Romani Pontificis eligendi formam, Concilii generalis approbatione sancivit. Verum id quidem, sed ob eam rationem id statuit, quae parum Adversariorum rationibus congruit. Decernit enim, ut is tantum pro Romano Pontifice habeatur, qui a duabus fuerit partibus electus; *Ex hoc tamen*, subjungit, *nullum Canonicis Constitutionibus, & aliis Ecclesiasticis praejudicium generetur, in quibus majoris & sanioris partis debet sententia praevalere: quia quod eis in dubium venerit, superioris poterit judicio diffiniri. In Romana vero Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad superiorem haberi.* Quum de simplicis Episcopi electione dissidium erat, ad Synodum Provincialem; quum de Metropolitani, ad Synodum Primatis seu Patriarchae; quum de Primatis, seu Patriarchae, ad Romanum Pontificem confugiebatur, qui utriusque Electi rationibus expensis, sententiam ferebant, & eorum alteri Sedem adjudicabant. At si Romani Pontificis electionem aliqui turbent, negat Alexander, negat Oecumenica Synodus, esse aliquem Superiorem, qui legitimum Pontificem ad caussam dicendam vocare possit, eumque suo judicio subjicere. Id

quod

quod etiam laudatus Alexander Legatis Friderici Imperatoris respondit, quum ad Papiense Concilium invitabatur, in quo ipsius & Pseudo Pontificis Octaviani caussa disceptaretur. Negavit enim se se ad eam Synodum accessurum, tum quod praeter veterem morem, & Ecclesiae Catholicae traditionem, ab Imperatore, absque consensu Romani Pontificis, indicta esset; tum etiam quia nulli fas erat de Romano Pontifice judicare. *Miramur*, inquit..... *ab eo nobis, imo Beato Petro, & Sanctae Romanae Ecclesiae honorem debitum denegari. In literis enim, quas ex parte ipsius nobis nostrisque Fratribus detulistis, hoc inter cetera tenebatur expressum, quod ipse*
„ audita dissensione, quae in Roma-
„ na Ecclesia emerserat, de quinque
„ Regnis Personas Ecclesiasticas con-
„ vocaverat; ideoque praecipiebat
„ eis ex parte generalis Ecclesiae, ut
„ in Octava Epiphaniae apud Papiam
„ convenirent ad ejus praesentiam &c.
Nimirum longe a consuetudine Praedecessorum suorum recessisse videtur, & dignitatis suae terminum excessisse, dum sine conscientia Romani Pontificis Concilium convocavit, & nos ad praesentiam suam, sicut homo super nos potestatem habens, praecepit convenire. Sequentibus autem verbis contendit, non modo Imperatorem, non modo Curiam, verum neque ullam Synodum habere aliquam supra Romanum Pontificem potestatem: *Sane Beato Petro, & per eum Sacrosanctae Romanae Ecclesiae, cujus ipse per Deum Magister exstitit & fundator, hoc privilegium a Domino Jesu Christo, Sanctisque Patribus traditum est, & per prospera & adversa, etiam cum sanguinis effusione quum oportuit, usque ad haec tempora conservatum, ut universarum Ecclesiarum caussas ipsius auctoritate discuteret ac finiret, ipsa vero nullius unquam judicio subjaceret.* Ex quibus verbis aperte colligitur, penitus irretractabiles & irreformabiles esse Romanae Ecclesiae sanctiones. Si enim omnium Ecclesiarum caussae ipsius judicio & auctoritate finiuntur; ipsa vero nullius judicio subjacet; palam est, ejus judicia retractationi ac reformationi obnoxia non esse: alioquin nec universarum Ecclesiarum caussas sua ipsa auctoritate terminaret, & generalium Conciliorum judicio subjecta saepe fuisset. Est autem illud animadversione dignum, quod Imperator Alexandrum ad Papiense Concilium invitabat nomine, sive, ut ait, *ex parte generalis Ecclesiae*: ipse autem Alexander non id obtendit, quod quinque Regnorum Episcopi satis non erant ad universam Ecclesiam repraesentandam, & generalem Synodum constituendam, cujus duntaxat judicio Romanus Pontifex subjectus esset; sed plane & aperte negat, Romanum Pontificem ullius subjacere judicio.

Pergit Bossuetius: „ damnavit hae-
„ reses, quae ab Albigensi tractu
„ inauditis fraudibus diffundere se coe-
„ perant. Easdem haereses jam ante sexdecim annos idem Alexander in Synodo Turonensi damnaverat, cui ipse praesederat, & cum septemdecim Cardinalibus & centum vigintiquatuor Episcopis interfuerat: Canone autem IV. statutum est, *ut cuncti Albigensium haereticorum consortium fugiant*. An ergo & horumce Haereticorum caussam & latam jampridem in

eos

eos sententiam in Lateranensi Synodo retractatas fuisse adfirmabimus, ut Romanorum Pontificum de fide & adversus Haereticos Constitutiones retractabiles esse, ex generalium Conciliorum decretis & celebratione probemus?

„ In convocationis litteris, *subjun-* „ *git Bossuetius*, haec habentur: In „ Ecclesia pullulare germina vitio- „ rum, zizania crescere, quae ger- „ men bonum suffocare nituntur, ho- „ rum evellendorum curam Episco- „ pis quidem omnibus, *multo tamen* „ *fortius imminere Romanae Urbis An-* „ *tistiti, qui a Domino Jesu Christo,* „ *ut Caput esset Ecclesiae in B. Petro* „ *accepit, & de pascendis Dominicis* „ *ovibus, & fratribus confirmandis,* „ *expressum & speciale noscitur ha-* „ *buisse mandatum*. Unde ipse de „ diversis partibus personas Ecclesia- „ sticas evocavit, *quarum praesentia* „ *& consilio, quae fuerint salubria,* „ *statuantur; & quod bonum, secun-* „ *dum consuetudinem antiquorum Pa-* „ *trum, provideatur, & firmetur* „ *a multis: quod si particulariter fieret,* „ *non facile posset plenum robur habere.* „ Sic ad officium confirmandi fratres „ id pertinere intelligit, ut Concilio „ generali habito decreta firmentur a „ multis, ac facile plenum robur ha- „ beant, quum statim elucescat illa „ consensio, in qua firmitudinem Chri- „ stus collocavit. Quis dubitat ad officium confirmandi fratres id pertinere, ut quum ipsi visum fuerit, Synodos oecumenicas Romanus Pontifex cogat? Deinde nemo inficiatur, quod ea, quae pro evellendis vitiis, moribus reformandis, & instauranda Ecclesiastica disciplina, vel a singulis Episcopis *particulariter fiunt*, vel etiam speciatim a Romanis Pontificibus decernuntur, non facile plenum obtinent robur; quod nimirum in iis executioni mandandis segnes ut plurimum ac desides sunt Episcopi: quos proinde utile & aliquando necessarium est in Synodos congregari, quibus ipsimet Romani Pontifices praesint, ut Capitis praesentia novum languidis membris spiritum ac robur inspiret; ipsique Episcopi ad evellenda vitiorum germina & virtutes excolendas mutuo consilio, & communi conspiratione inflammentur. Ceterum, quod ad fidem pertinet morumque disciplinam; quam Ecclesia Romana Romanusque Pontifex in Apostolorum Principe a Christo Domino acceperint potestatem, plenius ipse Alexander exponit in Epistola ad Indorum Regem, quem vulgo *Preto-Johannem* vocant: *Apostolica Sedes, cui licet immeriti praesidemus, omnium in Christo credentium caput est & magistra, Domino attestante, qui ait Beato Petro, cui licet indigni successimus:* Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. *Hanc siquidem petram Christus esse voluit in Ecclesiae fundamentum, quam praeconat nullis ventorum turbinibus, nullisque tempestatibus quatiendam. Et ideo non immerito Beatus Petrus, super quem fundavit Ecclesiam, ligandi atque solvendi specialiter & praecipue inter Apostolos alios meruit accipere potestatem: Cui dictum est a Domino:* Tibi dabo claves regni caelorum: & portae inferi non praevalebunt adversus eam &c. *Audieramus utique jampridem, referentibus multis & in fama communi, quomodo quum sis Christianum nomen professus.... tuae voluntatis sit &*

pro-

propositi, erudiri Catholica & Apostolica disciplina; & ad hoc semper intendas, ut tu, & terra tuae sublimitati commissa, nihil unquam videamini in fide vestra tenere, quod a doctrina Sedis Apostolicae dissentiat modo quolibet vel discordet. Quamobrem ipsum Pontifex laudat, & ad ejus propositum adjuvandum promtum ac paratum se exhibet; quum ejus muneris sit omnes confirmare fratres, quemadmodum Petro Christus injunxit, *quem*, inquit, *omnium Apostolorum Principem fecit.* Itaque Sedes Apostolica in Apostolorum Principe accepit, ut ominum credentium caput esset & magistra; ut petra esset & fundamentum, super quod Christus aedificavit Ecclesiam; fundamentum, inquam, firmissimum & immobile, nullis quatiendum turbinibus, nullis tempestatibus concutiendum; ne immortale aedificium, ne columna & firmamentum veritatis, super fundamentum exsurgat, quod possit aliquando pravis doctrinis corrumpi aut erroribus labefactari. Hinc merito ii commendantur, qui nihil unquam videri volunt in sua fide tenere, quod a doctrina Sedis Apostolicae dissentiat modo quolibet vel discordet.

Quartum generale Lateranense Concilium Innocentius III. indixit, & quae in eo gesta decretaque sunt ad haec capita revocat Bossuetius: „ Primum, *inquit*, explicatur fides „ Catholica de unitate Sanctissimae „ Trinitatis adversus Joachimum Abbatem: Almarici etiam doctrina „ condemnatur, non tam haeretica, „ quam insana. Eucharistiae Mysterium, ac mira illa ab omni aevo „ credita panis vinique conversio significantissimo Transubstantiationis „ vocabulo explicatur. Conduntur „ Canones, quibus Ecclesiastica disciplina reformetur. Christiani denique omnes ad sacrum bellum, & ad „ Hierosolymam recuperandam incenduntur: quas duas postremas „ Concilii convocandi caussas Innocentius commemorat; nullique Canones labentibus saeculis magis invaluere, quam ii, quos tanta Synodus constituit anno 1215. Haec ea tantum ratione ad praesentem pertinent disputationem, quatenus inde constat, ac demonstratur, Romanos Pontifices aliquando graviora Ecclesiae negotia, & quae ad morum disciplinam & fidei Catholicae doctrinam pertinent, in generalibus Conciliis una cum aliis Episcopis pertractasse. Inde vero colligi nulla ratione potest, non esse penes Romanos Pontifices sine aliorum Episcoporum consensu ad fidei morumque regulas statuendas, irretractabilem auctoritatem. Non id profecto Innocentius III. qui hanc Lateranensem congregavit Synodum, cogitabat; ut aperte constat ex ejus ad Patriarcham Constantinopolitanum Epistola, ubi disertis verbis docet, Apostolis non sine Petro, sed Petro sine Apostolis datam esse & competere quidlibet ligandi atque solvendi potestatem: (a) *Huic praeterea dictum in Evangelio & audisti saepius & legisti:* Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Caelis &c. *Quod si omnibus etiam Apostolis simul dictum esse reperias, non tamen aliis sine ipso, sed ipsi sine aliis attributam esse cognoscas*

(a) Lib. II. Epist. 209. edit. Baluz.

ſcas ligandi atque ſolvendi a Domino facultatem ; ut quod non alii ſine ipſo, ipſe ſine aliis poſſet ex privilegio ſibi collato a Domino & conceſſa plenitudine poteſtatis. Porro, quemadmodum idem Sanctiſſimus Pontifex in ſuis ad Leonem Armenorum Regem litteris animadvertit (a): *In Petro & cum Petro ſingulare illud privilegium non expiravit, quod Succeſſoribus ejus futuris uſque in finem mundi Dominus in ipſo conceſſit ; ſed praeter vitae ſanctitatem & miraculorum virtutes, par eſt in omnibus juriſdictio Succeſſorum : quos etſi diverſis temporibus, eidem tamen Sedi, & eadem auctoritate Dominus voluit praeſidere.* Itaque quemadmodum Apoſtolis non ſine Petro, ita nec Epiſcopis ſine Romano Pontifice; & quomodo Petro ſine aliis Apoſtolis, ita Romano Pontifici ſine aliis Epiſcopis quidlibet ligandi atque ſolvendi tributa eſt a Domino poteſtas. Quare quod aliquando Romanus Pontifex in Synodis generalibus una cum aliis Epiſcopis ligare velit aut ſolvere ; inde profecto non ſequitur, quod ſolus ipſe ſine aliis non habeat ad quidlibet ligandum atque ſolvendum plenitudinem poteſtatis. Hanc autem nullis eſſe obnoxiam erroribus, ac proinde penitus irreformabilem in iiſdem ad Patriarcham Conſtantinopolitanum litteris laudatus Pontifex docet, atque ex iis verbis colligit, quibus Dominus, imminente paſſionis articulo, Apoſtolorum Principem adlocutus eſt: *Ego pro te rogavi Petre &c. Ex hoc innuens manifeſte*, ait Pontifex, *quod Succeſſores ipſius a fide Catholica nullo unquam tempore deviarent, ſed revocarent magis alios, & confirmarent etiam haereſitantes ; per hoc ſic ei confirmandi alios poteſtatem indulgens, ut aliis neceſſitatem imponeret obſequendi.*

Denique de priore Lugdunenſi Concilio pauca haec Meldenſis Epiſcopus obſervat: „ Innocentius IV. ad Fridericum Imperatorem deponendum, „ Concilium generale Lugdunenſe I. „ convocavit, quo in negotio quam „ nullam perſonam Epiſcopi egerint, „ ſuo loco referimus. Cetera vero, „ quae vere & liquido Eccleſiaſtica, „ aſſerit Synodo approbante facta, „ anno 1245. Nimirum Innocentius IV. perinde ac tertius, voluit una cum aliis Epiſcopis, quod poterat ſolus decernere: quemadmodum & Petrus quam poterat ſolus ſolvere, voluit una cum aliis Apoſtolis quaeſtionem de Legalium obſervatione dirimere.

CAPUT XXXV.

„ Concilium Lugdunenſe II. ſub Gregorio X. de reconciliandis Graecis: Hujus Acta praecipua referuntur.

Gregorio X. hujuſce Synodi convocandae plures fuere cauſſae. Prima ac potiſſima, & quae proprie ad noſtrum pertinet inſtitutum, fuit Eccleſiae Graecae cum Latina unionis redintegratio, & Catholicorum dogmatum adverſus Graecorum Schiſmaticorum errores confirmatio. De Proceſſione Spiritus Sancti a Patre & Filio, ac de Romani Pontificis primatu frequentiores erant ac fervidiores Grae-

(a) Ibid. Epiſt. 220.

Graecorum cum Latinis disceptationes: quamquam & in aliis articulis suspecta fuisse videtur Latinis Graecorum fides. De Processione Spiritus Sancti differit in praesenti Capite Bossuetius, de Primatu vero Pontificis in sequenti: ejusque nos vestigiis insistemus. Nam primo ex Synodi actis quae ad Processionem Spiritus Sancti & alia dogmata pertinent, expediemus: deinde vero latius de Primatu Pontificis ex eisdem actis disputabimus.

ARTICULUS UNICUS

Ex Gregorii X. ad Graecorum Imperatorem litteris, & ex formula fidei Graecis proposita, nec non ex primo Canone Concilii Lugdunensis probatur, irretractabilem esse Ecclesiae Romanae in proponendis fidei dogmatibus auctoritatem.

Coeptum jam [a] Photii temporibus schisma, sub imperio Constantini Monomachi latius fuerat propagatum, Michaële Cerulario Constantinopolitano Patriarcha, & Leone Acridano Archiepiscopo, auctoribus; qui Praesules plerosque omnes, Clericos, Monachos, populumque in partes traxerant; Latinorum ritum Missae sacrificium in azymo celebrandi, Sabbathi jejunium, plurimasque alias Romanae Ecclesiae consuetudines damnare ausi erant. Negabant praeterea, Spiritum Sanctum a Filio procedere: Latinos anathematis vinculo de vinctos effutiebant ob additionem vocis, *Filioque*, Symbolo Constantinopolitano factam: Romani Pontificis institutum jure Divino Primatum impugnabant. Nihil tunc temporis neglexerat Leo IX. Pontifex Optimus Maximus, ut nascentis Schismatis incendium extingueret. Nihil ejus Successores omiserant. Schismatis vires Latinorum Imperium Constantinopoli fregerat: sed eo cadente, schisma invaluerat pertinacius. De Ecclesiarum unione cum Michaële Paleologo Graecorum Imperatore agere coeperant Urbanus IV. & Clemens IV. In quam se propensissimum Palaeologus demonstrabat. Unde & ad Greg. X. qui Clementi proxime successit, Nuntium misit Johann. Ordinis Minorum Professorem, Literasq; scripsit affectus sui & zeli ad pacem & unionem Populi Christiani, & reverentiae erga Sedem Apostolicam testes. Urbano IV. & Clementi IV. placuerat, ut prius de fidei verae dogmatibus, quam de concordia Graecos inter ac Latinos ageretur. Quamobrem Clemens IV. datis ad Imperatorem litteris Fidei professionem ab ejus Majestate, Clero, & Populo emittendam insecuerat; ea quae circa Romanae Ecclesiae Primatum ab iis recipi volebat, sacris apicibus plenius explicans. Ipsaque fidei Professione Imperatoris Oratoribus tradita, se ipsis satisfacturum spoponderat, si aliquis circa illam scrupulus in ipsorum mentibus oriretur. Ubi vero Græci Professionem illam fidei recepissent, & ad Ecclesiae Romanae obedientiam rediissent, si Concilium generale ad sacrum Foedus inter utramque Ecclesiam confirmandum celebrari Palaeologus postularet, Romana Ecclesia ejus votis annueret. *Non ad praedictae* (Professionis fidei) *discus-*

(a) Nat. Alex. Dissert. VII. in Hist. Saec. XIII. & XIV.

scussionem, *vel novam definitionem fidei; quam tanquam innumeris sacrae paginae auctoritatibus*, *numerosis sanctorum Patrum sententiis*, *& Romanorum Pontificum stabili diffinitione firmatam*, *nec ipse voluit*, *nec nos intendimus*, *sicut nec decet*, *nec foret expediens*, *in dubium novo ipsam exponendo examini*, *revocare*: inquit Gregorius X. in Litteris ad Michaëlem Palaeologum Graecorum Imperatorem. Itaque fidei Professionem Romanorum Pontificum stabili diffinitione firmatam in generali Synodo retractari Clemens IV. & Gregorius X. renuebant.

Verum ut in his melius perspiciamus Romanorum Pontificum indeclinabilem in proponendis fidei dogmatibus auctoritatem, ipsam prae oculis habere oportet fidei Professionem, quam Imperatori, & Graecis Episcopis, reliquoque Clero, Monachis & Populo profitendam, Constantinopolim laudati Pontifices transmiserunt. Eam Palaeologus suis ad Gregorium X. litteris inseruit, ejusque nomine in Concilio Lugdunensi a Georgio Acropolita & magno Logotheta subscripta est. In ea porro se credere profitebatur, *quod vere tenet*, *& fideliter docet*, *& praedicat Sancta Romana Ecclesia*: atque inter cetera *Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedentem*: Animas non plene purgatas *purgatoriis poenis* expiari: quae vero *nullam omnino peccati maculam incurrerunt*, aut contractam vel in praesenti vel in futuro saeculo expiarunt, *mox in caelum recipi*: *Illorum autem Animas*, *qui in mortali peccato*, *vel cum solo originali decedunt*, *mox in Infernum descendere*, *poenis tamen disparibus puniendas*. Septem esse *Ecclesiastica Sacramenta*: & in Eucharistia panem & vinum in Christi Corpus & Sanguinem *transsubstantiari*. Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere, negabant fere omnes Orientales Ecclesiae. Animas autem plene purgatas statim in caelum recipi, & cum mortali peccato decedentes mox in Infernum descendere; septemque esse Ecclesiae Sacramenta; tamquam fidei dogmata ab omnibus tenenda esse, nulla hactenus Oecumenica Synodus conceptis verbis decreverat. Haec tamen in generali Concilio Romani Pontifices retractari vetabant, quod hanc fidem Romana Ecclesia teneret, quod eam Romani Pontifices stabili diffinitione firmassent.

Postquam a Graecis fidei Catholicae formula subscripta est, qualem Romani Pontifices sua ipsis auctoritate praescripserant, & in Ecclesiae Romanae communionem cum hac fidei Professione suscepti sunt; Gregorius X. sequentem in ipso Concilio Canonem promulgavit: *Fideli ac devota professione fatemur*, *quod Spiritus Sanctus aeternaliter ex Patre & Filio*, *non tamquam ex duobus principiis*, *sed tamquam ex uno principio non duabus spirationibus*, *sed unica spiratione procedit*. *Hoc professa est hactenus*, *praedicavit*, *& docuit*, *hoc firmiter tenet*, *praedicat*, *profitetur*, *& docet Sacrosancta Romana Ecclesia*, *mater omnium fidelium & magistra*: *Hoc habet Orthodoxorum Patrum atque Doctorum Latinorum pariter & Graecorum incommutabilis & vera sententia*. *Sed quia nonnulli propter irrefragabilis praemissae ignorantiam veritatis in errores varios sunt*

prolapsi: nos hujusmodi erroribus viam praecludere volentes, sacro approbante Concilio, damnamus & reprobamus omnes, qui negare praesumserint, aeternaliter Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedere; sive etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio, tanquam ex duobus Principiis, & non tanquam ex uno, procedat. Ex hoc Canone Bossuetius colligit, opus fuisse Concilii generalis auctoritate, quo fides nondum hactenus ab Ecclesia declarata de Spiritu Sancto, *qui a Patre Filioque procederet tanquam ab uno principio*, Synodice exponeretur. At Ecclesia Romana, quae tanquam omnium fidelium Mater & Magistra, cogere potuit Graecos ad profitendam Spiritus Sancti a Patre & Filio processionem; cur eis exponere ac declarare non potuit, Spiritum Sanctum ex eis, non tanquam ex duobus principiis, sed tamquam ex uno principio, & non duabus sed unica spiratione procedere? Non enim agebatur de veritate, quae vel ex se difficilis & obscura esset, aut propter dissidentium auctoritatem ac numerum Oecumenicam Synodum posceret: sed ea consectarium erat alterius dogmatis de processione Spiritus Sancti a Patre & Filio: eam Ecclesia Romana profitebatur: ex Theologis Latinis pauci vel nulli refragabantur: Ex Graecis dumtaxat aliqui verebantur, ne dum Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere faterentur, duo Spiritus Sancti principia admittere viderentur. Quare id eis erat explanandum. Et ad hanc rem opus fuisse, ut universus Orbis commoveretur, prorsus absurdum ac ridiculum est.

Jam ergo Lugduni, sacro approbante Concilio, a Gregorio X. definitum est; Spiritum Sanctum a Patre & Filio, tanquam ab uno Principio & unica spiratione procedere. Itaque nulli deinceps fas erit de hoc fidei dogmate disputare, illudque novo examini subjicere, & ad scripturarum traditionisque normam expendere. Ut enim Adversarii confidenter adfirmant, hoc interest inter ea, quae a Romano Pontifice, & a Synodis Oecumenicis definiuntur; quod priora retractare licet, ac reipsa in Conciliis generalibus retractata sunt: at fidem in Synodis Oecumenicis definitam nunquam ad examen revocare licuit, nec eam aliquando legimus novo examine retractatam. Id perpetuo docet, ut vidimus, & inculcat Bossuetius; eique concinens Turnelius: „ Nullum, *inquit* (a), „ reipsa in monumentis Ecclesiasticis „ occurrit exemplum retractati judicii „ totius Ecclesiae circa fidem vel mores. Legimus quidem saepius in posterioribus Conciliis lectam, repetitam, confirmatam fidem in Symbolis Nicaeno & Constantinopolitano expressam: Legimus eam haereticis subinde natis oppositam: Legimus, praesertim in Tridentina Synodo, non raro discordes Patrum sententias de modo seu forma, qua decreta fidei concipi deberent; idque propter Scholae Doctores, qui sibi praejudicium inferi timebant, & aliquando conquerebantur: at fidem ipsam praecedentibus Oecumenicis Conciliis clare expressam ac definitam, rursus in controversiam adductam fuisse, & ad novum examen

(a) De Ecclesia Quaest. V. Art. III.

„ men novumque judicium revocatam, data cuilibet contradicendi „ vel redarguendi licentia, id nusquam legimus. Atqui Judicia Summorum Pontificum de gravissimis „ fidei quaestionibus rursus in Conciliis „ generalibus retractata sunt, non tantum ut acceptarentur ac probarentur, „ sed ut expenderentur ad legem Scripturae & Traditionis, data cuilibet „ Episcopo licentia, quod sibi videretur arguendi. Haec post Bossuetium Turnelius, quae oppido falsa sunt. Nam primo falsum est, fidem in Conciliis generalibus definitam nunquam fuisse ad examen revocatam, & ad legem Scripturae ac Traditionis expensam. Nam primo ut ex Ferrando haud semel docuimus, universalium Conciliorum gesta *ad Beati Petri memoriam perducta, diligentius examinantur*. Deinde Leo II. sextam Synodum non ante probavit, quam gestorum Synodalium seriem recensuit, curiosaque diligentia singula ad eorum normam exegit, quae fuerant in Romanis Synodis definita. Theodosius M. Semiarianis, & Leo Augustus Eutychianis, etsi piissimi essent Imperatores, ut de fide differerent, quam Nicaena & Chalcedonensis Synodi definierant, indulserunt; ac potissimum Leo voluit ut Chalcedenensis Concilii dogmata ad praecedentium Conciliorum fidei regulas in particularibus Synodis etiam a Catholicis Episcopis exigerentur. Verum si alia exempla deessent, Lugdunensis Canon de Processione Spiritus Sancti a Patre & Filio tanquam ab uno principio ad refellendam Bossuetii ac Turnelii observationem satis superque esset. De hoc enim Christianae fidei dogmate deinceps in Florentina Synodo sollennes disputationes habitae sunt, Eugenio IV. Graecis Episcopis indulgente, ut Catholicae doctrinae libere contradicerent, eamque ad legem Scripturae ac Traditioni expenderent, nec antea signarent, quam novo & accuratissimo examine retractassent. Deinde & illud falsum est, quod tanta fiducia & adeo generalibus verbis, post Meldensem Episcopum, Turnelius animadvertit, Judicia Summorum Pontificum de gravissimis fidei quaestionibus rursus in Conciliis generalibus retractata fuisse, data cuilibet Episcopo licentia, quod sibi videretur, arguendi. Nam Caelestinus I. Leo I. & Agatho, quorum potissimum exemplis Turnelius nititur, expressis disertisque verbis vetarunt, ne fides Ecclesiae Romanae in quaestionem adduceretur, neve ipsorum Legati certamen subirent, & in arenam descenderent; sed Apostolicae Sedis dogmata Synodis generalibus suscipienda ac subscribenda proponerent. Quorum vestigiis Clemens IV. & Gregorius X. inhaerentes, expresse & ipsi vetarunt, haberi Synodum generalem, in qua Ecclesiae Romanae doctrina Graecis proposita retractaretur. Sed etsi aliquando novum examen ex indulgentia permissum est, inde colligi non potest, jure suo retractationi obnoxias esse Romanorum Pontificum de fide definitiones. Alioquin nec Processio Spiritus Sancti a Patre & Filio generalis Concilii Canone definita, irretractabilis statim fuisset, quum & eam deinceps, ad perfringendam Graecorum obstinationem, ad novum examen Florentina Synodus revocaverit.

CAPUT XXXVI.

„ Decretum Concilii Lugdunensis II. „ de Papae auctoritate producitur : „ Ostenditur, nihil favere Adver- „ sariis.

„ PAullo diutius , *inquit Bossuetius* immorandum in eo loco, „ quo Graeci Romani Pontificis pri- „ matum confitentur : quo loco Ad- „ versarii nostram sententiam confuta- „ ri, vehementissime asserunt. Qua- „ re locum integrum producimus.

„ De hoc ergo primatu haec Im- „ perator, haec Episcopi Graeci per „ speciales Nuntios profitentur : *Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum & plenum primatum & principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse, veraciter & humiliter recognoscit : & sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere ; sic & de fide si quae subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri* . „ Addunt de appella- „ tionibus in quibuscumque causis „ atque negotiis . Subdunt : *Ad* „ *hanc autem* , Romanam scilicet „ Ecclesiam , *sic potestatis plenitudo consistit , quod Ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit , quarum multas , & Patriarchales praecipue , diversis privilegiis honoravit : sua tamen observata praerogativa tum in generalibus Conciliis , tum in aliquibus aliis , semper salva* . „ His Praelati Graeci , data spe- „ ciali Epistola , consentiunt .

„ Haec fuse retulimus , quibus „ Adversarii maxime gloriantur , „ quam immerito , vidimus , quum „ de Florentino Concilio ageremus , „ in quo eadem , quod ad rerum „ summam attinet , repetuntur . Et nos ergo ad eum Illustrissimi Auctoris locum copiosius hac de re & uberius differemus .

„ Sane docebimus , a nostris in „ Summo Pontifice agnosci plenitu- „ dinem potestatis , neque id pro- „ hibere , quominus ea potestas ab „ universali Concilio dirigatur , & „ secundum Canones exerceatur ; „ quod etiam ex Concilio Florenti- „ no saepe probavimus . Nos contra saepius ostendimus , Romanos Pontifices Conciliis Oecumenicis leges & regulas praefixisse , quibus dirigerentur , & quas ullo modo transgredi non liceret : unde aperte luculenterque conficitur subesse Romanis Pontificibus Synodos generales ; quum tamen nullo satis firmo argumento probari possit , Conciliis generalibus Romanos Pontifices esse subjectos . Quod enim hic Adversarius indicat de Romani Pontificis potestate secundum Canones exercenda , suo loco , cujus momenti sit , expendemus .

„ Quam vero aptoque sensu Ro- „ manus Pontifex super universam „ Ecclesiam primatum ac principa- „ tum obtineat , ex Concilii Con- „ stantiensis certo , atque a Marti- „ no V. expresse approbato dogma- „ te , & ex Concilii Florentini do- „ ctrina , & ex Adversariorum con- „ sensu ostendimus . Quaenam isto- rum verborum ; *summum & plenum*

pri,

primatum & principatum super universam Ecclesiam Catholicam, *& potestatis plenitudinem obtinet*; vis ac potestas sit; & quam ejusmodi verborum formulae, perpetuo & constanti Ecclesiae Catholicae usu consecratae, molestae sint Adversariis, quam eorum rationibus incommodae, & quam ab eis libenter abstinerent, suo pariter loco data opera demonstrabimus. Quum enim haec Adversarius ad alia loca remittat, ubi fusius ab eo disputantur; & nos eorum vim, ubi ad ea loca perventum fuerit, expendemus.

ARTICULUS UNICUS.

Probatur Graecos in Concilio Lugdunensi II. agnovisse in Ecclesia Romana, & Romanis Episcopis ad fidei dogmata definienda summam & indeclinabilem potestatem.

„ Quod autem, *inquit Illustrissimus Adversarius*, ad Pontificiam infallibilitatem trahant illud: *Subortae quaestiones suo debent judicio definiri*; nec id quidem advertunt quod antecesserit, nempe id: *Sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri*. Ergo, ut non solus, sed *prae ceteris*, tenetur defendere fidei veritates: sic profecto non solus, sed *prae ceteris* quaestiones definire debet: sic scilicet ut praecipua illius autoritas sit, ut habita Synodo ipse praeeat, communemque sententiam suo quoque nomine edat, pronuntiet, exequatur: quod Cleros Gallicanus cum omnibus Catholicis confitetur.

„ Sed forte vim facient in illo verbo *definire*, quod est in Concilio Lugdunensi positum: cum profecto definire nihil aliud sit, quam definitivam, ut ajunt, ferre sententiam: quod non modo supremo atque ultimo judici, sed etiam aliis competit, superioris autoritate salva. Certe definire ac determinare pro eodem habentur. Quis autem Theologus non audiit determinationes sacrae Facultatis, aut quis eas propterea infallibiles cogitavit? Definit, determinat, qui tota sua, qualiscumque est, autoritate judicat. Quantum ea definitio ac determinatio valeat, non ex iis praecise verbis, sed ex aliis rebus, quas saepe memoravimus, repetendum.

Faciamus ergo quod faciendum monet, & ex aliis rebus, hoc est, ex ipsis sacrae Synodi actis repetamus, quantum ea definitio valere debeat, cujus edendae potestatem in Ecclesia Romana Graecorum Imperator & Graeci Episcopi agnoscunt. Id vero ex dictis in superiore Articulo facile demonstratur. Nisi enim in solo Pontifice, sed solum in ipso una cum Synodo generali, Graeci agnovissent plenam, summam, & irretractabilem ad res fidei definiendas ac determinandas auctoritatem; palam est, quod fidei formulam ipsis a Clemente IV. & Gregorio X. oblatam prius voluissent in generali Synodo examinari, quam ab eis velut inconcussa & immobilis fidei regula reciperetur: neque laudatis Pontificibus paruissent, qui eam gene-

in Synodo retractari abnuebant, utpote *Romanorum Pontificum stabili diffinitione firmatam*. At vero Graecorum Imperator & Graeci Episcopi laudatam fidei regulam pure ac simpliciter amplexi sunt, haud alia ad eam profitendam, quam Romanae Ecclesiae auctoritate permoti: *Obtulerunt*, inquit Imperator Gregorio X. scribens, *literas magnae Sanctitatis vestrae Imperio meo, in quibus inter alia de confessione fidei, quam docet, & praedicat, & confitetur sancta Romana Ecclesia, continebatur; & oportebat in his magis responsionem convenientem nos facere. Ecce hoc facit Imperium meum: Habet autem professio fidei in dictionibus taliter: Credimus &c.* Et infra: *Haec est vera fides Catholica: & hanc in supradictis articulis tenet & praedicat sacrosancta Romana Ecclesia*. Et rursum: *Eadem sacrosancta Romana Ecclesia firmiter credit, & firmiter asseverat &c. Tenet etiam & docet eadem sancta Romana Ecclesia &c.* Tandem *suprascriptam fidei veritatem, prout plene lecta est & fideliter exposita, veram, sanctam, Catholicam & orthodoxam fidem cognoscimus, & acceptamus, & ore ac corde confitemur quod vere tenet & fideliter docet, & praedicat sancta Romana Ecclesia: inviolabiliter observare eamdem professionem, & in ea omni tempore perseverare, nec ullo unquam tempore ab ipsa discedere quoquo modo, aut deviare, vel discordare promittimus*. Itaque facto ipso Graeci professi sunt, ad Ecclesiam Romanam non modo *prae ceteris*, verum & ad eam solam, hoc est nulla, ex necessitate, praemissa Synodi generalis approbatione, pertinere subortas de fide quaestiones judicio irretractabili definire. Quem ergo his Concilii Lugdunensis verbis sensum adfingimus, ut Pontifex *solus*, ut *infallibili judicio* definiat, id de nostro quemadmodum Bossuetius objicit, minime addimus, sed ex Gregorii litteris, & Graecorum confessione apertissime derivamus. Secus autem laudatus Auctor opinatur, contenditque, nostram eorum verborum interpretationem ab ipso Gregorio, Lugdunensi Concilio, ipsaque Graecorum sententia refelli. Quibus id argumentis conficiat expendamus.

„ Et Gregorius quidem, *inquit*,
„ non id sibi tribuit, ut solus definiat
„ fidei quaestiones, qui ad eas definien-
„ das Concilium generale congre-
„ gavit, fidemque non nisi *sacro*
„ *approbante Concilio*, exposuit,
„ statimque professus est, in ipsa
„ convocatione Concilii, quae essent
„ decernenda, etiam circa fidem &
„ schisma Graecorum, ejusmodi fo-
„ re, ut approbatione Concilii robo-
„ rentur. Cur vero tantus in ciendis
„ Patribus toto orbe labor, si unius
„ Pontificis auctoritate haec robur
„ obtineant? Id ergo voluit, a se
„ quidem *prae ceteris*, sed etiam
„ *approbante Concilio* quaestiones de-
finiri.

Quid adversus factorum evidentiam valeant ejusmodi conjecturae, judicet sapiens & prudens Lector: *Gregorius*, inquit, *non id sibi tribuit, ut solus definiat fidei quaestiones, qui ad eas definiendas Concilium generale congregavit, fidemque, non nisi sacro appro-*

approbante Concilio, *exposuit*. Formulam fidei, qua dogmata continebantur, de quibus aut reipsa erat, aut quidam suspicabantur, ne aliqua esset Latinos inter & Graecos dissensio, solus Gregorius Graecis Imperatori & Episcopis subscribendam proposuit. Porro tantum abest, ut ad eas fidei quaestiones definiendas Concilium generale congregarit, ut Imperatori disertis verbis Gregorius ipse significarit, primum ab ipso Imperatore ipsiusque Clero & populo suscipiendam eam fidem, cujus formulam Constantinopolim transmittebat; postmodum vero, si Imperatori liberet, Synodum celebrandam, non ut fidei quaestiones ventilarentur, aut novo examini subjicerentur; sed ad caritatis vinculum Latinos inter & Graecos solido foedere confirmandum. Quid enim quaeso his verbis disertius? *Ad quorum prosecutionem, & specialiter ad caritatis vinculum inter eosdem Latinos & Graecos solido foedere confirmandum, si post receptionem & professionem ejusdem fidei, & postquam ad obedientiam ipsius Romanae Ecclesiae Tu, ac iidem tui Clerus & Populus rediissetis, ad locum, de quo eadem Romana expedire videret Ecclesia, generale Concilium peteres convocari; satis aperte spem tribuit* (Clemens IV.) *quod tuum in hoc desiderium adimpleret. Non ad praedictae discussionem, vel novam diffinitionem fidei &c.* Quaenam ergo, amabo, sunt illae fidei quaestiones, quas solus definire Pontifex noluit & ad quas definiendas Concilium generale congregavit? Quaenam, rogo, est illa fides, quam, nonnisi *sacro approbante Concilio* exposuit? Quae sunt illa circa fidem & schisma Graecorum decernenda, quae professus est ejusmodi fore, ut *approbatione Concilii* roborentur? Nam, ut Articulo praecedenti observavimus, in Capita *de summa Trinitate & Fide Catholica* hic unus Articulus continetur, quod Spiritus Sanctus a Patre & Filio tanquam ab uno principio, & unica spiratione procedit. Hanc vero Pontifex esse declarat fidem, quam, inquit, *professa est hactenus, praedicavit, & docuit*, quam *firmiter tenet, praedicat, profitetur, & docet sacrosancta Romana Ecclesia mater omnium fidelium & Magistra*: quam proinde Synodi retractationi & examini subjectam esse noluerat in suis ad Imperatorem litteris; & quam Graeci ante Synodum coacti fuerant velut inconcussam & immobilem veritatem profiteri. Quod ergo eos, qui contra sentirent, *sacro approbante Concilio*, damnavit ac reprobavit, profecto argumento non est, quod ejusmodi fidei Catholicae articulum Synodi examini ac retractationi subjecerit, aut quod propter eum definiendum tantum subire voluerit in ciendis Patribus toto orbe laborem.

Subjungit Illustrissimus Adversarius: „ Tum nec Graeci tulissent, ut pro „ certo fidei articulo figeretur, Pa„ pam vel solum esse infallibilem, „ quod hactenus nullo in Symbolo, „ nulla in definitione fidei scriptum „ haberetur. Et quidem mens Grae„ corum fuit, ut ea omnia Papae „ tribuerent, quae ante schisma tri„ buissent; diserte enim scriptum „ legimus in Epistola Episcoporum „ ad Gregorium X. *Nihil denegamus* „ *eorum quae ante schisma praestabant*

„ *Patres nostri*. Neque quidem aliud
„ Latini, aut ipse Pontifex postula-
„ bat; neque profecto promoverent,
„ sed disturbarent concordiam, si
„ Graecis concordiae maxime oblu-
„ ctantibus eum articulum propone-
„ rent, qui & ante schisma inauditus
„ fuisset, & gravissimus omnium vi-
deretur.

Ecclesiae Romanae fidem, firmam prorsus & inconcussam nullique obnoxiam errori, ac proinde certam omnino esse & irreformabilem Catholicae doctrinae regulam passim in suis fidei Confessionibus longe ante schisma Graeci orthodoxi profitebantur. Nam ab ineunte saeculo sexto hoc fidei suae libellis exordium ut plurimum praemittebant: *Prima salus est rectae fidei regulam custodire, & a constitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis:* Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam &c. *Haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus: quia in Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica servata religio. De qua spe & fide minime separari cupientes, & Patrum sequentes instituta, anathematizamus omnes haereses &c.* Ita incipit fidei Professio, quam suis ad Hormisdam litteris Johannes Constantinopolitanus inseruit: Ita & libellus, quem laudatus Hormisda ad Johannem Nicopolitanum per Pulionem transmisit: Ita & fidei Confessio, quam Justinianus Imperator Agapito Pontifici obtulit. Idem quoque est initium libelli, quem ad octavam Synodum (quae proxime Photianum schisma praecessit) Hadrianus II. misit, ab iis subscribendum, qui ad Synodum & Ecclesiae Catholicae communionem admitti vellent. Quis autem in his verbis non videt Sedis Apostolicae fidem atque doctrinam velut inerrantem & indeficientem fidei ac doctrinae Catholicae regulam praedicari? dicitur enim, quod in Sede Apostolica semper sine macula & inviolabilis Catholica est conservata religio; idque propter Christi Domini verba & promissionem Apostolorum Principi factam: *Tu es Petrus &c.* Hoc autem posito velut inconcusso & immobili fundamento, damnantur ac reprobantur in iis libellis omnes haereses & omnes haeretici, quos eadem Sedes Apostolica damnabat ac reprobabat: ac praeterea haec adjiciuntur, quae cum superioribus conjuncta maximi ad rem nostram momenti sunt: *Unde, sicut praediximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & praedicantes ejus omnia constituta, spero, ut in una communione vobiscum, quam Sedes Apostolica praedicat, esse merear, in qua est integra & verax Christianae religionis & perfecta soliditas. Promittens etiam, sequestratos a communione Ecclesiae Catholicae, id est, non consentientes Sedi Apostolicae, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria.* Igitur, quoniam juxta Christi Domini promissionem, in Ecclesia Romana sine macula semper exstitit, proinde & semper erit (nam Christi Domini promissio deficere nunquam potest) inviolata religio; doctrinam ejus & communionem in omnibus amplectuntur, in iisque integram, & veram, atque perfectam Christianae religionis soliditatem agnoscunt. Quibus rogo disertioribus ac luculentioribus verbis profiteri poterant Sedis Apostolicae in-

san-

sanciendis & constituendis fidei Catholicae dogmatis immobilem & irrefragabilem, & *infallibilem* auctoritatem? Quum ergo Formulam fidei *Romanorum Pontificum stabili diffinitione firmatam*, Gregorius X. irretractabilem esse voluit, & a Graecis absque Synodi generalis examine ac retractatione signari; quum Ecclesiae Romanae ac Sedi Apostolicae tribuit, ut subortas de fide quaestiones suo tantum & irreformabili, quemadmodum ejus nos verba intelligimus, judicio finiret, idque Graecos ad ejusdem Sedis Apostolicae communionem adspirantes agnoscere ac fateri voluit; nihil ab eis exegit, quod non Patres eorum disertis verbis ante schisma profiterentur.

„ *Denique*, habemus, *inquit Bossuetius*, apud Pachymerum (*a*) graves sub Michaële Palaelogo Patriarchae & Antistitum Graecorum contentiones de pacis conditionibus; habemus sub Andronico graviores pacis jam factae criminationes: Patriarchae, qui paci obsisterent, sub Michaële depositi: depositus sub Andronico Patriarcha Johannes Veccus, qui pacem approbasset: sub Michaële non ferebant Papae nomen inter sacra recitandum: gravissimi flagitii loco objectabant fuisse recitatum; quod haeresis auctor Papa videretur; quanto gravius vociferarentur in pacis conciliatores, & Michaëlis asseclas, si quod inauditum erat, Papam infallibilem praedicassent? Non id autem queruntur, non id in Palaeologo, non id in Andronico Pachymerus harum rerum scriptor diligentissimus attigit: non id habent tam multa per eam aetatem pro pace & contra pacem divulgata scripta, ab eodem Pachymero aliisque recitata: non ergo id quisquam in animum induxerat.

Ejusmodi conjecturae tum ex se levissimae sunt, tum omnem penitus vim amittunt, quum disertis luculentisque testimoniis ostenditur, persuasum fuisse Graecis, hanc a Latinis Romano Pontifici auctoritatem vindicari, ut ipse solus subortas de fide quaestiones supremo & irretractabili judicio definiat. Neque hoc tantum, imo & eosdem Graecos hunc nefario schismati obtentum praetexuisse, quod quaestio de processione Spiritus Sancti a Patre & Filio sola fuisset Romanorum Pontificum auctoritate definita, nec eam aliquando in Oecumenica Synodo retractari, iidem Romani Pontifices permisissent. Patet id ex Nili Thessalonicensis, qui post Concilium Lugdunense scripsit, lib. I. de Primatu Papae, ubi diserte hanc negat fuisse caussam defectionis Graecorum ab Ecclesia Romana, quod Latini utcumque Primatum Romano Pontifici vindicarent; sed quod ipsi potestatem & auctoritatem tribuerent fidei controversias, suo tantum judicio, eoque irretractabili, terminandi: *Neque vero*, inquit, *illud in caussa est, quod Latini affirmant, nos nobis Primatum arrogare velle, & in secundis post Romanorum Principatum nolle consistere, simulque idcirco pacem detrectare. Neque enim unquam*

(*a*) In Vit. Palaeol. lib. V. cap. XI. & seq.

quam cum Romana Ecclesia de Primatu contendimus, neque de secundo loco nunc agitur. Sed neque vetus consuetudo, neque Patrum decreta nos latent, quibus Romana Ecclesia antiquissima omnium Ecclesiarum πρεσβυτάτη πασῶν Ἐκκλησίων, *declaratur: alioqui neque aequum fuerit, ut id quod inficiamur, nobis objiciatur, certaque hujus rei demonstratio hoc praetextu occultetur*. Itaque Primatum Papae exciti Graecos inter & Latinos dissidii caussam fuisse negat. Videamus ergo, quamnam ille tandem funestissimi schismatis rationem adferat. Hanc ille sequentibus verbis exponendam aggreditur: *Quaenam igitur tandem est hujus dissidii caussa?* Respondet, *quod quaestio controversa* (de processione Spiritus Sancti a Patre & Filio) *communi Oecumenicae Synodi decreto non sit confirmata; quod ejus solutio explicatioque non fiat ex veteri Patrum in ejuscemodi negotiis consuetudine: Sed quod Romani quidem Magistrorum in hac quaestione partes sibi sumunt, alios vero instar discipulorum dicto audientes habere velint. Ceterum non hoc volunt veterum Patrum decreta .... in quibus, in communis fidei caussa, communis quoque omnium sententia quaeritur*. Id imprimis hodieque nobis ab Adversariis objicitur, ut vel ex hoc ipso Meldensis Episcopi Opere apparet, in quo passim inculcat, juxta veterem consuetudinem & traditionem communes caussas esse communi Ecclesiarum judicio terminandas. At Latini apud Nilum id omnino conceptisque verbis Graecis reponunt, de quo tota nobis hodie cum Parisiensibus concertatio est: quod nimirum Papae, quum *Summus Sacerdotum princeps, & pastor, & pater* sit; eodem jure, quo ad ipsum pertinet *universalem Synodum convocare; & privatim, absque aliis, de Ecclesiasticis negotiis statuere licet*. Respondet Nilus, quod *& Julius Papa erat, & Damasus, & Caelestinus, & Leo, & Agatho, quorum insigni pietati Patres testimonium perhibuerunt: neque tamen unquam haec dixerunt: sed una cum aliis fratribus convenientes, adjuvante bono spiritu, & dogmata stabiliebant, & pacem Ecclesiis conciliabant. Quod si unica hac ratione dogmata stabiliebantur, id vero hodie minime fiat; quis dubitet, omnem dissidii caussam hac in re esse positam? In nobis certe hujus rei culpa non haeret*. Deinde contendit, inutilem prorsus ac minime necessariam fore Conciliorum generalium convocationem, si penes Romanum Pontificem potestas & auctoritas sit, privatim & absque aliis, supremo & irreformabili judicio fidei controversias dirimendi: *Si Papae tribunal his decernendis sufficit, superfluus ac supervacaneus omnino fuerit Sanctorum Patrum conventus. Verum non ita se res habet, nequaquam, quamdiu Spiritus Sanctus per beatos illos loquatur. Nam & Papam Agathonem, & divinum illum Caelestinum, & Leonem privatim quidem de rebus controversis Synodum convocasse videmus; ita tamen ut quae illic particulariter disceptata fuissent, ad universalem Synodum referrentur, & communi sententia veritatem stabiliri postularent. Alioqui, si Papa privatim Synodum cogente, reliquos ejus decretis assentiri necesse est, nemine con-*

contradicente, supervacaneum plane foret Oecumenicum tribunal. Huic argumento, quod Adversariis nostris achilleum est, & in quo stabiliendo toto hoc libro Meldensis Episcopus versatur, summatim apud eumdem Nilum Latini reponunt, quod nos uberius & invictis, ut nobis videtur, argumentis probavimus; nempe *universalibus Conciliis nequaquam propositam fuisse veritatis inquisitionem, sed convenisse, ut eam confirmarent: ideoque etiam nunc, non in dubium vocari hoc dogma justum esse, sed stabiliri*. Si pauci refragentur, si insignes Ecclesiae minime reluctentur, opus non esse Synodo generali, etiam Nilus agnoscebat: sed quum ex quinque Patriarchalibus Sedibus, quatuor ab Ecclesia Romana de processione Spiritus Sancti a Patre & Filio dissentirent, non debuisse ejusmodi controversiam sola Romani Pontificis auctoritate, & absque Synodo Oecumenica definiri: *Si quidem nulla universalium Ecclesiarum contradicat, aut alioquin una sola, aut pauci aliquot, assentior & ego. Si vero quum quinque sint Ecclesiae universales, una reliquis contradicit; annon justum sit, omnes convenire, & infinitis votis, summaque disputatione habita, dogma stabiliri?* Superius autem dixerat: *Si e vulgo tantum hominum aliqui dissiderent, praetextum aliquem haberet eorum oratio, atque adeo iniquum censeri posset, tanti quosdam facere, ut ipsorum caussa totum orbem concutere velimus. Nunc vero quum capita orbis terrarum propemodum inter se dissentirent; an non valde absurdum fuerit de universali fide aliter quam cum universo orbe simul statuere atque decernere; quum Patres ipsi hoc tum dictis, tum factis proclament?* Ad quae verba merito Thomassinus observat [a] „ Nilum ipsum plura fere largiri, „ quam e nostratibus (*hoc est, Parisiensibus*) aliquos, quorum adeo „ error perspicuus est. Nam si modo nulla Patriarchalium Ecclesiarum contradicat, aut una tantum, „ vel pauci aliquot, annuit & ipse, „ standum definitioni Cathedrae Pe- „ tri, nec Oecumenica Synodo opus „ esse. Quos Thomassinus indicat, videmus hodie, quod quum pauci sint & ex hominum vulgo; eos tamen ab Apostolicae Sedis Constitutionibus toto orbe susceptis ad universalem Synodum provocare, ac totum sua ipsorum caussa concutere velle orbem terrarum, minime pudet: quod Nilus iniquum esse fatetur. Verum non aliquot dumtaxat, sed omnium fere Parisiensium doctrinam hoc loco, si bene perpendatur, Nilus evertit. Non enim tantum si pauci ac privati homines contradicant, Synodo Oecumenica opus non esse, ac frustra orbem terrarum concuti agnoscit; verum & si aliqua universalis, hoc est, Patriarchalis Ecclesia, ceteris sibi invicem consentientibus, refragetur, abstineri posse docet ab universali Concilio: quod certe Parisienses, & cum eis Meldensis Episcopus, non admittunt; qui sufficere existimant, ut insignis aliqua Ecclesia, veluti Gallicana, vel Hispanica, ceteris reluctе-

(a) Differt. XII. in Conc. Chalc. num. III.

luctetur, ut res ultimo & irretractabili judicio terminanda ad generalem Synodum omnino deferri debeat. Qua in re minus Romano Pontifici tribuunt, quam olim Graeci schismatici tribuebant: qui, ut ex his quae hactenus ex Nilo in medium adduximus, manifestissime patet, non de Primatu Romani Pontificis cum Latinis digladiabantur, sed hoc unum querebantur, quod hujusce Primatus ratione Papae tribuerent, ut privatim & sine ipsis in generale coactis Concilium, fidei controversias suo ipse judicio irretractabiliter definiret.

Nec solum post Lugdunensem Synodum Nilus verum & longe antequam illa celebraretur, non ad primatum Romano Pontifici adsertum, Graeci caussam schismatis revocabant; sed eam nefariae divisioni rationem praetexebant, quod Papa tanquam Summus Pontifex & Sacerdos sine ipsis in Concilio Oecumenico congregatis ad fidei dogmata definienda fuisset aggressus, quorum postea ab ipsis professionem exigeret. Ita enim apud Anselmum Havelburgensem Nechites Nicomediensis Episcopus disserit (a): *Primatum Romanae Ecclesiae, quem tam excellentem mihi proponis, ego non nego, neque abnuo: Siquidem in antiquis nostris historiis hoc legitur, quod tres Patriarchales Sedes sorores fuerant, videlicet Romana, Alexandrina, Antiochena, inter quas Roma eminentissima Sedes Imperii primatum obtinuit, ita ut prima Sedes appellaretur: & ad eam de dubiis caussis Ecclesiasticis a ceteris omnibus appellatio fieret, & ejus judicio ea, quae sub certis regulis non comprehenduntur, dijudicanda subjacerent.* Quid rogo amplius hac in re Adversarii nostri Romano Pontifici tribuunt? Addit Capite sequenti Nechites, hujusce primatus ratione Romano Pontifici convenire, ut Oecumenicis Conciliis praesit, primumque in eis locum obtineat. At ferendum non esse, quod Monarchico quodam jure omnibus Ecclesiis dominari velit; & quum ipse cum suis tantum Latinis Synodos habeat, velit earumdem Synodorum legibus ac decretis Graecas Ecclesias teneri, quae illis minime interfuerunt: *Verum Romana Ecclesia, cui nos quidem inter has Sorores primatum non negamus, & cui in Concilio generali praesidenti primum honoris locum recognoscimus, ipsa se propter sui sublimitatem a nobis sequestravit, quando Monarchiam, quod sui officii non erat, invasit, & Episcopos & Ecclesias Occidentis & Orientis, diviso Imperio, divisit. Et ob hoc si aliquando cum Occidentalibus Episcopis Concilium sine nobis celebrat, illi decreta ejus suscipiant, & debita veneratione observent, quorum consilio dictat ea, quae dictanda judicaverit, & quorum conniventia statuuntur, quae statuenda decreverit. Nos quoque quamvis in eadem Catholica fide a Romana Ecclesia non discordemus; tamen quia Concilia his temporibus cum illa non celebramus; quomodo decreta illius susciperemus, quae utique sine consilio nostro, imo nobis ignorantibus scribuntur? Si enim Romanus Pontifex in excelso throno gloriae suae residens nobis tonare, & quasi projicere man-*

(a) Lib. III. Dialog. cap. VII.

mandata sua de sublimi voluerit, & non nostro consilio, sed proprio arbitrio, pro beneplacito suo de nobis, & de Ecclesiis nostris judicare, imo imperare voluerit; quae fraternitas, seu etiam quae paternitas haec esse poterit? Quis unquam aequo animo sustinere queat? Tunc nempe veri servi, & non filii Ecclesiae recte dici possemus & esse &c. Et infra: *Quid igitur nobis scripturarum scientia? Quid nobis literarum studia? Quid magistrorum doctrinalis disciplina? Quid sapientum Graecorum nobilissima ingenia? Sola Romani Pontificis auctoritas, quae, sicut tu dicis, super omnes est, universa haec evacuat. Solus ipse sit Episcopus, solus magister, solus praeceptor, solus de omnibus sibi soli commissis, soli Deo sicut bonus Pastor respondeat. Quod si in vinea Dei voluerit habere cooperatores, ipse quidem conservato primatu suo, exaltatus glorietur in humilitate sua, & non contemnat Fratres suos, quos veritas Christi non in servitutem, sed in libertatem in utero matris Ecclesiae generavit.* Quibus quaeso aliis argumentis suas hodie Adversarii quas vocant libertates tuentur? Quas proinde tueri non possunt, nisi simul Graecorum adversus Latinos caussam agant: atque omnino necesse est, ut caussa Graecis adjudicetur, si firma sunt earumdem libertatum fundamenta. Quid enim Nechitae Parisiensis Theologus respondebit cum Latinis expostulanti, quod Graecos adigere vellent ad ea dogmata profitenda, & Canones observandos in Conciliis editos, quae sine ipsis Romani Pontifices celebrabant? Ne mussitare quidem adversus haec audebit, quum eadem quotidie tela adversus Romanos Theologos intorqueat: ut merito Cl. Thomassino observatum sit, quod [a] „ qui contra nobis hac in parte dicent, „ non aliis poterunt nos, quam a „ Nilo, seu a schismatis officina, „ depromtis lacessere telis: non poterunt non totam Latinae Ecclesiae caussam adversus Graecos in „ dogmate de processione Spiritus „ Sancti labefactare. Ibi enim Latini decretis Apostolicae Sedis ita „ inhaesere, ut ea veluti dubia, „ deinceps in controversiam vocari, „ ne in Oecumenicis quidem Conciliis passi sint. Ex quibus omnibus compertum est, neque ante, neque post Synodum Lugdunensem ob primatum Romano Pontifici adsertum Graecos a Latinis Theologis discordasse, aut ab Ecclesiae Romanae communione aversos fuisse: sed hanc nefario schismati caussam praetexuisse, quod ratione primatus eam Romano Pontifici potestatem & auctoritatem adsererent, qua subortas de fide controversias absque Synodis Oecumenicis, aut saltem absque praecipuarum & insigniorum Ecclesiarum adsensu, judicio irretractabili definirent.

CAPUT XXXVII.

„ Idem ex Graecorum in Basileensi „ & Florentina Synodis Doctrina; „ Eugeniique Papae ac Latinorum „ consensu ostenditur.

CONcilii Florentini decretum, quo de Romano Pontifice sancitum est, eum *in universum orbem tenere pri-*

(a) Dissert. XII. in Conc. Chalced. num. III.

primatum : totius Ecclesiae caput , & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem exsistere : & ipsi in Beato Petro pascendi , regendi , ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse ; Hoc , inquam , Florentinae Synodi decretum alibi expendemus ; & jure ex eo confici demonstrabimus , majorem esse Romani Pontificis, quam Concilii Oecumenici auctoritatem. Decrevimus enim Adversarium consequi κατὰ πόδα , ejusque omnino vestigiis insistere . Quare hîc ea dumtaxat ex Florentina Synodo ad trutinam revocabimus , quae ad suam , ut ipsi visum est , illustrandam opinionem , Bossuetius excerpsit .

ARTICULUS PRIMUS .

Quae Bossuetius ex Florentina Synodo in medium adfert , aut nihil probant adversus Romani Pontificis ineluctabilem auctoritatem ; aut probant , vel secundam Synodum Lugdunensem non fuisse oecumenicam , vel retractationi ac novo examini subjectas esse ipsas quoque Conciliorum generalium dogmaticas definitiones .

„ Libet , *inquit Illustrissimus Adversarius* , hîc reminisci ea , „ quae de Graecorum sententia ex „ actis Basiliensibus & Florentinis „ ostendimus : *Non posse unionem fieri „ nisi in Synodo universali ; in qua „ Occidentalis Orientalisque Ecclesia „ conveniant : Ecclesiam in unum con„ gregatam de rebus dubiis judicare : „ communi consensu sententiam ferre : „ communiter haec agi , & quae com„ munia sunt communi consensu termi„ nari oportere : plurimorum senten„ tiam praevalere : sanctam Ecclesiam „ in sacris dogmatibus nullo modo posse „ errare , communi quidem ac Syno„ dica consideratione utentem* . Haec „ Graeci profitentur , quae usqueadeo „ ipsi Eugenio IV. probata erant , ut „ haec ad Graecos loqueretur: *Proferatur libere veritas per sacramentum ; „ tur & quod pluribus videbitur , hoc „ amplectemur & nos & vos* . Quod „ neque Graeci , neque Eugenius „ dicerent , si Papam vel solum in„ fallibili judicio quaestiones definire , „ jam inde a Lugdunensis Concilii „ tempore constitisset .

Aut Illustrissimus Adversarius vim argumenti constituit in verbis & auctoritate Graecorum , aut in verbis Eugenii Graecorum verba & orationem , ut ipse contendit , adprobantis . Si primum dixerit ; consequens est , ut cum eisdem Graecis pariter neget , secundam Synodum Lugdunensem pro oecumenica esse habendam . Nam quum Graeci petebant , generalem Synodum celebrari , contendebantque , unionem non posse fieri nisi in Synodo universali ; pro certo manifestissime habebant , nondum pro negotio unionis & pacis , ac discutiendo dogmate de Processione Spiritus Sancti , de quo maxime cum Latinis digladiabantur , ullam ejusmodi Synodum , hoc est , Oecumenicam habitam esse . Id passim ex eorum verbis & orationibus patet . Speciminis loco sint haec Bessarionis verba in Oratione dogmatica ad Synodum Orientalem (a) sessio-

(a) Capite primo .

sione XXV. Concilii Florentini, unde sua quoque Meldensis Episcopus discripsit: *Verum demus, non recte illos* [Latinos] *fecisse, quod sine totius Ecclesiae congregatione de rebus gravibus ad fidem Christianam pertinentibus tractarint .... nunc autem quum ejusmodi culpa vacent, sponteque in generalem Synodum convenerint, ac omnia se facturos affirmarint quae ratio persuaserit; & ipsi se omni accusatione prorsus immunes reddiderint: & nos oportet, non mediocre studium cogitationemque adhibere, ut quae agenda a nobis sint, caute prudenterque agamus: ne quod* ANTE HUNC DIEM *objicere Latinis consuevimus, in nos recidat: denique ne ea accusatione judicemur, cujus illos olim reos agebamus. Nam si, ut dicere ipsi consuevimus, nondum advocata Synodo generali, accusandi erant Latini, quod suo dumtaxat judicio de re adeo gravi credidissent; quidni nos quoque, quum id quod quaerebamus factum sit, omnesque in unum convenerimus, magnum ingredi certamen, ingensque subire periculum necesse est, ut absque culpa hinc abire possimus?* Quibus verbis tanquam certum & exploratum sibi Bessarion sumit, nondum in aliquo Oecumenico Concilio de pacis & unionis negotio actum fuisse, nec dogma de Processione Spiritus Sancti a Patre & Filio Synodi generalis auctoritate sancitum. Eaque de re neque Gregorius Proto. Syncellus in Apologia adversus Marcum Ephesium, neque Georgius Scholarius in suis de Pace Orationibus dubitant. Quare si Graecorum admittenda auctoritas est, secunda Synodus Lugdunensis erit nobis e Conciliorum generalium numero expungenda.

Si autem Adversarius non quidem Graecorum verbis & auctoritate nititur, sed Eugenii, ea quae a Graecis prolata sunt, ut ipsi videtur, probantis; hinc plane & aperte sequitur, non modo Romanorum Pontificum, verum & generalium Conciliorum de fide sanctiones retractationi & examini subjectas esse, neque omnino irreformabiles esse & indeclinabilis auctoritatis. Quod ut efficacius probetur, integrum Eugenii textum in medium adferamus: *Itaque denuncio serenissimo Imperatori, Fratrique Patriarchae, & universae Orientali Ecclesiae, & dico haec: Quatuor sunt quae vobis proponuntur. Primum, si satisfactum vobis est per clarissimam & evidentem demonstrationem, qua demonstravimus ex scripturis, Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio, bene. Sin minus, dicite, de quo ambigatis, & qua ex parte illud non recipitis, ut remedium adhibeamus; & evidenter perspicueque probemus, Processionem hanc vere etiam esse ex Filio. Secundum, si habetis ex scripturis auctoritates contrarium asserentes iis, quae dicuntur a nobis, ut eas proferatis. Tertium, si habetis valida scripturae loca, quibus probetur, melius esse magisque pium, quod vos tenetis, quam nostrum dogma. Quartum, si haec non vultis, conveniamus simul, fiatque Synodus: Conficiat sacrum Sacerdos; jus jurandum demus Latini pariter & Graeci; proferatur libere veritas per juramentum; & quod pluribus videbitur, hoc amplectemur & nos & vos.* Quum haec Eugenius Græcos adloquebatur, non utique oblitus erat, fuisse in secunda Lugdunensi Synodo definitum, Spiritum Sanctum ex Patre &

Filio, tanquam ex uno principo & unica spiratione procedere: nec pariter ignorabat, eam Synodum ab Ecclesia Romana inter Oecumenicas recenseri. Quare si quid valet, quod ex Graecorum & Eugenii verbis Bossuetius conficit argumentum, dicendum omnino est, quod ea „ neque Graeci, neque „ Eugenius dicerent, *non modo* si „ Papam vel solum, *sed etsi ipsum* „ *cum Oecumenica Synodo*, infallibili „ judicio quaestiones definire, jam „ inde a Lugdunensis Concilii tem„ pore constitisset. Aut dicendum est non modo Graecos, sed neque ipsum Eugenium, Concilium secundum Lugdunense inter Oecumenicas Synodos numerasse. Aut certe agnoscere tandem ac fateri Adversarii debent, non recte inde probari, Romani Pontificis non esse irreformabiles alicujus dogmatis definitiones, quod eae oeconomia quadam & indulgentia fuerunt aliquando ad novum examen in generalibus Synodis revocatae. Si enim id tueri pergitis, fateri omnino debetis, non modo Graecis, verum & Eugenio Latinisque Patribus visum esse, Canonem Concilii Lugdunensis de Processione Spiritus Sancti a Patre & Filio non fuisse ante Synodum Florentinam irreformabilis & irretractabilis auctoritatis.

Quod si de Concilii generalis Canone judicare absurdum est; quum ipsi pariter Latini & Graeci in eadem Synodo Florentina conceptis disertisque verbis profiteantur, summam esse & ineluctabilem Conciliorum generalium auctoritatem; quidni id ipsum de Romanorum Pontificum definitionibus adfirmemus; quum non minus diserte & Eugenius ac Latini Patres, nec non quidam ex Graecis, eamdem Romano Pontifici in definiendis fidei dogmatibus auctoritatem adsererent? Id alibi fusius ostendimus: quare hic ea dumtaxat Patrum Florentinorum loca ad examen revocabimus, quae nobis frustra Adversarius conatur eripere.

ARTICULUS II.

Aliquot Florentinorum Patrum loca, quibus diserte Romano Pontifici in definiendis fidei dogmatibus inerrantia tribuitur, ab Episcopi Meldensis exceptionibus vindicantur.

„ At enim, *inquit Illustrissimus* „ *Adversarius*, objiciunt duos „ Viros praestantissimos in eadem „ Synodo disserentes, Rhodium Ar„ chiepiscopum & Julianum Cardi„ nalem. Et Rhodius quidem pro ad„ ditamento, *Filioque*, certans ait: (a) „ Latinorum Patres id multa cum „ reverentia suscepisse, *quod expla*„ *navit Romana Ecclesia*: *sedem Pe*„ *tri solam esse, in qua potestas sit* „ *explicandi fidem*: *ab hac ipsa Ec*„ *clesia, cujus est explicare omnes fi*„ *dei veritates, susceptam esse hanc* „ *de Spiritus Sancti Processione ve*„ *ritatem*.

Quid enim vero disertius? Conatur tamen adeo praeclarum pro nobis testimonium sequentibus verbis eludere: „ Quae omnia, *inquit*, eo „ pertinent, ut Sedi Apostolicae id „ incumbat officii, neque sine ejus „ auctoritate fidei veritates definiri „ pos-

(a) Conc. Flor. Sess. VII.

„ possint. Quod tamen officium si so-
„ la praestare posset, seclusa Eccle-
„ siae Catholicae consensione & au-
„ ctoritate, non erat cur Eugenius
„ Florentinam Synodum convocaret,
„ in eaque testaretur, valituram eam
„ fidem, ipso etiam praesente, quae
„ frequentis Synodi sententia ac te-
„ stimonio vinceret.

Si hoc pacto licet testimonia Patrum eludere, nullum erit adeo perspicuum & evidens, quod non proclive sit in alium sensum & quo volumus detorquere, & ex semel conceptis ac praejudicatis opinionibus colorem detortis expositionibus allinere. *Sedem*, inquit Archiepiscopus Rhodius, *Petri solam esse in qua potestas sit explicandi fidem*; nimirum, certo & indeficienter, ac sine ullo, errandi periculo: quare statim subjungit: *Propter quod nunquam portae inferi, hoc est, haereses praevaluere adversus eam, imo ne attigerunt quidem*. Quae a doctissimo Praesule eo referuntur, ut probet, solam Petri Sedem sine Concilii generalis auctoritate, potuisse particulam *Filioque*, Symbolo addere, & ad ejus professionem omnes compellere, qui aeternae salutis compotes esse velint: nec opus esse post Sedis Apostolicae oraculum, de eodem dogmate inquirere, aut alios libros auctoresque consulere: *Sed haec*, inquit, *in praesenti dicta sufficiant, si hoc unum dicamus: ab hac ipsa Ecclesia, cujus est explicare omnes fidei veritates, susceptam esse hanc veritatem, utpote necessariam ad hominum salutem: nisi enim illa implicite vel explicite credatur, fieri non potest, ut salus hominum consistat. Propterea Romana Ecclesia poterat, & debebat facere, quod fecit*: hoc est, sola sua & absque Concilii generalis auctoritate, addere fidei Symbolo tanquam certam, inconcussam & immobilem veritatem, & ab omnibus certa fide sollenniter profitendam, quod Spiritus Sanctus ex Patre *Filioque* procedit. *Si vultis ergo, Patres, una nobiscum fateri, quod nos hodie protulimus, non opus erit aliis negotiis: sed libris clausis amplectamur hanc veritatem, simusque in Ecclesia Dei conjuncti?* Quid ergo juvat adeo perspicuum testimonium inanibus conjecturis eludere, quae, ut superiori articulo ostensum est, si quid probant, illud etiam suadent, nec secundam oecumenicam Synodum Lugdunensem auctoritatem habuisse ad hanc veritatem irretractabiliter definiendam. Consultius proinde duxit Nat. Alex. fateri [a], *Rhodio Archipraesuli in disputationis aestu aliqua non satis accurate dicta excidisse, & quae benigna interpretatione molliri opus habeant*. Sic illi benignas interpretationes appellant, quae manifestae sunt nativi ac legitimi sensus depravationes.

Verum haec doctissimo Archipraesuli in disputationis aestu minime excidisse, nec quidquam protulisse, quod benigna interpretatione opus habeat, sed ex communi Patrum Latinorum sententia disseruisse, inde facile suadetur, quod Julianus Cardinalis in Concilio sedens, ejus orationem non modo non improbavit, ve-

(a) Dissert. XII. in Hist. Saec. XIII. & XIV.

rum & laudavit, & Agathonis auctoritate ex ejus ad sextam Synodum Synodica Epistola confirmavit: *Quoniam vos, Domini, recitastis superiori sessione epistolam Agathonis Papae, illamque valde authenticam existimatis, duo volo addere verba ad quod dixit Dominus Rhodi Praesul. Primum dixit*: „ Quotiescumque „ error aliquis emerserit, Papae in„ cumbere necessitatem docendi po„ pulos Catholicam veritatem: *Po„ stea dicit*: „ Totam Christi Ca„ tholicam Ecclesiam, & Patres om„ nes suscepisse auctoritatem Roma„ nae Ecclesiae, & secutos esse per „ omnia ejus doctrinam. *Recitabo „ epistolam Agathonis Papae*: Si „ silentio texero veritatem, quam „ erogare numulariis jussus sum per „ illa verba: *Pasce oves meas*: Et: „ *Tu aliquando conversus confirma „ fratres tuos*: quandoquidem nobis „ incumbit necessitas docendi Christia„ nos quae pertinent ad veritatem: „ *Et paulo ante*: Tota Christiano„ norum Ecclesia Catholica & om„ nes universales Synodi fideliter „ amplectentes ejus doctrinam, & „ omnes Sancti Doctores & Eccle„ siae Luminaria in omnibus ejus „ doctrinam secuti sunt. *Et reliqua. Hinc patet, quoties de fide aliqua oritur dubitatio, Romanum Pontificem debere ac teneri illam declarare: atque illo docente, omnes Synodos, & Ecclesiam universam debere hujusmodi veritatem sequi. Et hoc dicit Epistola recitata, & approbata in sexta Synodo*. His doctissimus Cardinalis Rhodii Archipraesulis orationem confirmavit, qua Romano Pontifici auctoritatem vindicabat, ut solus & absque Synodi generalis consensu fidei dogmata irretractabiliter definiret.

Horumce verborum lacinias adfert & Bossuetius, summamque doctrinae, quam Julianus tradidit, hanc esse animadvertit: „ Officium esse Ro„ mani Pontificis docere veritatem: „ Conciliorum officium, eo maxime „ praeeunte, veritatem sequi; eum„ que in Ecclesia consuetum esse or„ dinem docendae veritatis. Quod „ & Parisienses ubique, & Ecclesia „ Gallicana maxime praedicant. At nemo non videt, quam haec doctrina Rhodii Archiepiscopi & Juliani Cardinalis disputationi & scopo parum accommodata sit: quorum nimirum mens & propositum erat ostendere, potuisse Romanum Pontificem solum & absque Synodi generalis auctoritate, processionem Spiritus Sancti a Patre & Filio addere Symbolo tanquam veritatem ab omnibus Catholicis irretractabiliter profitendam.

Id illi esse objiciendum Bossuetius vidit; quis enim non videret? Quare objectionem occupans haec subjungit: „ Nihil agit, inquies, si „ id tantum velit: *Respondet*: Imo „ vero id agit, ut constet, Latinos „ nihil novi molitos, qui Romanum „ Pontificem rite officio functum, „ ac de Spiritus Sancti processione „ vera & antiquitus tradita praedi„ cantem, pro Ecclesiastico more, „ autorem sequuti sint. Quid si of„ cio non fungatur, nec veritatem „ doceat? etiamne aberrantem sequi „ tenerentur? Id fieri nequit, in„ quies; Jam id tu quidem dicis, „ non ipse Julianus. Imo id Julianus expresse docet, quum Rhodii

Archie-

Archiepiscopi orationem probat, qui non errandi privilegium Sedi Apostolicae vindicat., Christi Domini promissione fretus, quod adversus eam nunquam portae inferi, id est, haereses praevalebunt, imo illam ne attingent quidem. Docet etiam, quum S. Agathonis verba refert adfirmantis, *omnes Synodos Romanorum Pontificum doctrinam secutas*; indeque probat, & sequi *per omnia* debuisse. Quid enim fingi potest ineptius quam Synodos generales, quae falli nequeant, secutas esse & sequi *per omnia* debuisse regulam errandi periculo obnoxiam? Porro absurde quaeritur „ indiscussamne secutae sint, an examinatam, & facta demum discussione firmatam? & absurdius respondetur: *Examinatam certe*. Quum enim id quaeris, idque respondes, cum Graecis caussam adjudicas contendentibus, nec processionem Spiritus Sancti a Patre & Filio debuisse inter inconcussas fidei Catholicae veritates in Symbolo recenseri, antequam Synodi generalis discussione firmaretur; tum Romanos Pontifices Clementem IV. & Gregorium X. tirannidis arguis, qui, ut superius vidimus, ad eam veritatem amplectendam ac profitendam, tanquam *Romanorum Pontificum stabili difinitione firmatam*, Graecos adegerunt, nondum licet Synodi generalis examinatione discussam.

Pergit Adversarius: „ meminerimus sane, Julianum Cardinalem „ eum esse, quo Praeside Constantienses Canones, Basileae toties „ innovantur. Qui eorum autoritate „ Eugenium perpulerit ad revocandam Basileensis Synodi dissolutionem; qui proinde crederet, ac „ vehementissime assereret, Papam „ etiam in fidei caussis subesse Concilio: non ergo per se infallibilem. Haec probant, eo pluris esse faciendam doctissimi Cardinalis auctoritatem, qui profecto nisi gravibus permotus rationibus sententiam deseruisset, qua antea in praeceps cum aliis Basileensibus agebatur. Ipsum namque a priore opinione recessisse, frustra Bossuetius quaerit testes, quibus probemus: Id enim satis cum ex adlatis ejus verbis perspicuum est, tum ex disputatione Johannis Provincialis de Primatu Papae par. II. Conc. Flor. Collat. XXII. quam laudatus Cardinalis, ut illam Archipraesulis Rhodii, non modo probavit, verum & quaedam identidem suggessit, quibus confirmaretur, quae profecto, ut alibi demonstrabimus, cum Basileensium & Parisiensium opinionibus conciliari nullatenus potest.

„ Atque ut jam mittamus, *inquit*, doctissimum quidem, sed „ tamen unum hominem Julianum; „ non aliter sensit Graecorum ac Latinorum Patrum multitudo, a „ quibus quippe vidimus, definiendae Catholicae veritatis autoritatem & vim in communi deliberatione & consensione collocatam. Ita Illustrissimus Adversarius ad hunc communem confugit locum, quotiescumque nihil ipsi solidi occurrit, quod claris luculentisque testimoniis reponat, quibus Ecclesiae Romanae doctrinam & auctoritatem tuemur.

Adjungit: „ & Marcus quidem „ Ephesius, aliique in Synodo Florentina ineundae initaeque pacis inimici, de Papa quidem multa, il-

„ lud

„ lud vero nunquam objecerunt ; quod „ eum infallibilem Conciliisque omnibus superiorem fecissent ; aut in „ ipso solo vim omnem reponerent : „ adeo haec nemo cogitabat . Prorsus inane & nullius momenti sunt ejusmodi conjecturae , & negantia , ut vocant, argumenta , quum disertis , & positivis , & adfirmantibus testibus refelluntur . Quid generatim Romano Pontifici tribuerent , & quibus in rebus ejus primatum reponerent Latini Patres , qui per haec tempora Eugenio Quarto , hoc est , unico & legitimo totius Ecclesiae Capiti & Pastori adhaerebant , patet ex eorum placitis in Diaeta Moguntina expositis , quae Augustinus Patricius sub hoc titulo refert (*a*) : *Assertiones Eugenianorum pro auctoritate Pontificis* . Sunt autem ejusmodi : *Claves Ecclesiae soli Petro , & successoribus datae ; cui dictum est* : Tibi dabo claves regni caelorum . . . . . *Papam omnibus Christianis praeesse ; & ita Concilio generali , ut illi potestatem tribuat . Generale Concilium non habere potestatem immediate a Christo , sed a Beato Petro , & ejus successoribus . . . . . Summum Ecclesiae tribunal , & in terris supremum judicium apud Papam solum esse . . . . . Exercitium Clavium in plenitudine potestatis in terris Papae tantum competere , qui omnia potest in terris . Generale Concilium veluti arenam sterilem esse , nisi a Papa foecundetur* . Videat ergo Adversarius , quo pacto tueri possit suam illam generalem propositionem : *Adeo haec nemo cogitabat* ! nimirum Papam infallibilem Conciliisque omnibus superiorem esse , aut in ipso solo vim omnem esse repositam .

Neque a Latinorum Patrum ac Theologorum sensibus diffidebant Graeci , qui Florentinae Synodi acta decretaque a Marci Ephesii & aliorum schismaticorum objectis vindicarunt . Ita Josephus Episcopus Methonensis Romanae Ecclesiae potestatem tribuit ad ceteras omnes Ecclesias gubernandas , & in fide confirmandas ; sed negat , cum ipsam opus habere , ut ab aliis regatur , & in fide confirmetur ; tum etiam esse in aliis ad haec praestanda illiusmodi auctoritatem (*b*) : *A te porro* , inquit ille Marcum Ephesium adloquens , *emendari Romanam Ecclesiam , nil opus erat : Nam illa cunctarum est gubernatrix Ecclesiarum , & aegrotantibus Ecclesiis peritissime medetur ; quum potestatem a Christo acceperit regendi alias & gubernandi , confirmandi & corrigendi , non ut ipsa confirmetur ab aliis* : Et ut , *inquit Salvator ad Petrum* , aliquando conversus confirma Fratres tuos ; *non dixit* : Confirmare a fratribus tuis , *sed* , Confirma . *Oportebat igitur , te etiam ab illa confirmari , quemadmodum sapientiores & doctiores te confirmati sunt* .

Ita & Gregorius Proto Syncellus & Patriarcha , qui adversus eumdem Ephesium verbis Theodori Studitae Romano Pontifici vindicat dignitatem Patris ac Doctoris omnium Christianorum , eidem in definitione Florentinae Synodi adsertam ; & cum ea dignitate conjunctum non errandi concessum illi divi-

(*a*) Hist. Concil. Basil. Florent &c. Cap. CXVIII.
(*b*) Resp. ad Libel. Marci Ephes. in Append. ad Acta Conc. Flor.

divinitus privilegium (a) : *Quod de Papa dicimus* , ait ille , *non ex nobis dicimus* . *Nam Theodorus Studita scribens ad Michaelem Imperatorem nomine omnium Hegumenorum in Epistola* , *quae sic incipit* : Nos omnes in unum congregati &c.,, Si quid vero, ,, *inquit*, dubitat,.... jubeat....a Seniore Roma mitti sibi hujus rei declarationem, ut per antiquam traditionem ,, ab initio servatum est . Haec est, ,, imitator Christi Imperator , supremus apex Dei Ecclesiarum , cui ,, primus praesedit Petrus , ad quem ,, Dominus : *Tu es Petrus* , *&c.* *Idem Theodorus in alia Epistola ad Naucratium* , *cujus initium est* : Non ,, complebuntur aures meae &c. Deum , *inquit* , hominesque contestor; sejunxerunt se a corpore Christi , & coriphaea sede , in qua Christus posuit fidei claves ; adversus ,, quam non praevaluerunt per omne ,, saeculum , nec praevalebunt usque ,, ad finem saeculi inferi portae , ora ,, videlicet haereticorum , sicut promisit ille , qui non mentitur. Praevalerent autem , aut saltem adversus Ecclesiam Romanam praevalere aliquando possent inferi portae , hoc est, haereticorum ora , si Ecclesia Romana errandi periculo subjaceret: a quo tamen tam remota est , quam deficere non possunt promissiones illius, qui non mentitur . Hinc autem , atque ex aliis , quas adfert , auctoritatibus laudatus Auctor colligit , quod *jure* Romanus Pontifex *Christianorum omnium Doctor in definitione* Florentinae Synodi *inscribitur* .

Sed nemo pressius Latinorum Patrum , quae supra retulimus , placitis ac decretis insistit , quam Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus in Expositione pro Concilio Flor. Cap V. Nam primo cum eisdem Patribus docet (b) , *eum solum* , hoc est , *Romanum Pontificem obtinere potestatem omnem Ecclesiam absolute dirigendi & gubernandi* , *ligandi & solvendi &c. solumque illum habere facultatem de fide & sacerdotio exquirendi* . Quod probat S. Theodori Studitae auctoritate in Epistola quadam ad Paschalem Papam . Quaerit autem , undenam , & qua de caussa tam insignis praerogativa Romanae Ecclesiae tributa sit ? respondetque , propterea quod omnibus haeresibus superior sit , quod ad eam haereses attingere non possint ; quod mergi procellis nequeat , tanquam tutissimus portus , & civitas refugii , in qua Christus caeli claves deposuit : quod rursus ejusdem Theodori Studitae in eadem Epistola testimonio probat . *Undenam hoc ? non ob aliquid aliud* , *nisi quia is habebat potestatem ceteras Ecclesias confirmandi, tanquam qui omnibus haeresibus superior esset* , *longeque positus esset ab omni procella haereticorum* . *Hujus rei ipsemet* (Theodorus) *testis est in Epistola ad Paschalem dicens* : ,, Vos igitur verae illimis ,, fons ac sincerus jam inde a principio , verae fidei ; vos ab omni ,, haereticorum procella longe positi ; ,, securus totius Ecclesiae portus ; ,, vos a Deo electa Civitas ad salutis ,, refugium : *Intelligis* , *quo pacto securum portum appellat totius Ecclesiae Romanum Pontificem* ? *Ad quem* , *ut*

(a) Apolog. advers. Marc. Ephes. ibid.
(b) Sect. XVI. vid. & Sect. VII. & Sect. IX.

ut navigia ab undis in medio maris agitata in portum profugiunt, ne foris relicta a fluctibus atque aestu merguntur: Sic & omnes Ecclesiae ab haereticis tanquam a fluctibus vexatae ad Romanum Pontificem velut ad portum salutis confugiunt, ubi tranquillitatem & quietem omnem nanciscuntur: nam eo loci fidei claves Christus apud Petrum Apostolum deposuit, ut Ecclesiam totam pasceret atque gubernaret; nec apud illum tantum, sed etiam apud ejus successores, ipsi dicens: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos: *quae quidem non soli Petro contigerunt, sed & ejus successoribus.* Quod statim aliquot Romanorum Pontificum exemplis demonstrat, qui alias, ac praecipue Graecorum Ecclesias, adversus insurgentes haereses confirmarunt. Secundo ex ea Ecclesiae Romanae Romanique Pontificis praerogativa aliam cum eisdem Latinis Patribus colligit; nimirum (a) *quod sine illius assensu non potest Oecumenica Synodus, vel omnino vocari Synodus, vel auctoritatem habere.* Denique eidem Ecclesiae Romanae disertis verbis inerrantiae privilegium & praerogativam vindicat, haud secus atque ipsimet Catholicae Ecclesiae. Occurrens enim schismaticorum objecto, quo Romanam Ecclesiam non recte sentire adfirmabant, propterea quod contra communes Patrum & Doctorum sententias quaedam praescribebat: *Si ergo*, inquit (b), *illa divina Sedes non recte sentit, mentitur Christus.... Is enim Ecclesiae pollicitus est, se cum ea fore, & portas inferi non praevalituras adversus eam. Ideo ne Christum mendacem efficiamus?.... Inerrantem Dei Ecclesiam esse dicimus: quam rem testificabitur rursus ipse Theodorus Studites ad Michaelem Imperatorem scribens ex persona omnium Praepositorum hoc pacto...... Et iterum idem in alia Epistola ad Naucratium &c.* Verba refert ex his duabus Epistolis, quae supra cum Gregorio Proto Syncello descripsimus; ac deinde subjungit: *Audis, quo pacto ea est caput Ecclesiae Christi, cujus Petrus est primus Praeses: & quod nunquam praevaluerunt, neque praevalebunt usque ad consummationem saeculi effraenata ora, secundum promissionem veracis Salvatoris? Si ergo nunquam praevaluerunt haereticis adversus Christi Ecclesiam; quomodo audetis dicere, eam errare, quae inerrans a Doctoribus praedicatur?* Ex eo quod Ecclesia Catholica errare non potest, Sedi Apostolicae eamdem praerogativam vindicat; perinde ac stare non possit & consistere immobili ac firmum aedificium, si fundamentum labefactetur. Quare si Ecclesia errare non potest; consequens est, quod neque Sedes Apostolica: quae petra est & fundamentum, super quod universae Ecclesiae aedificium consurgit, & immobile perseverat.

CAPUT XXXVIII.

„ Viennense Concilium sub Clemente V. Ejus aevi Scriptor nobilis Guillelmus Mimatensis Episcopus, Speculator dictus, a Papis jussus de habendo Concilio scribere, quid senserit.

De Mimatensis Episcopi sententia alibi cum Illustrissimo Adversario disserimus. Quare in ea hoc loco

(a) Sect. X.

(b) Sect. XVII.

loco expendenda immorari non libet: sed majoris momenti disputationem aggrediar de sensu Clementinae unicae in hoc Concilio Viennensi editae *de summa Trinitate ac fide Catholica*: quae ut lucem mutuabitur ex his, quae superiori Articulo ex Latinis Graecisque saeculi sequentis Auctoribus disputavimus; ita iis pondus adjiciet.

ARTICULUS UNICUS.

De sensu hujusce propositionis: Ad solum Romanum Pontificem pertinet eorum quae sunt fidei, declaratio, sive judicium &c.

OStendimus in articulo superiori, communem fuisse Florentini Concilii tempore Latinorum Graecorumque Patrum sententiam atque decretum, ad solum Romanum Pontificem, Sedemque Apostolicam pertinere, Ecclesiam universam dirigere & gubernare, fidei caussas examinare, deque illis judicium ferre. Huic autem sententiae maximum pondus accedit ex Clementina unica in Concilio Viennensi edita *de summa Trinitate & fide Catholica*, ubi Pontifex de Christi latere post mortem percusso quaestionem tractans, sic ait: *Nos igitur ad tam praeclarum testimonium, ac Sanctorum Patrum & Doctorum communem sententiam Apostolicae considerationis*, AD QUAM DUMTAXAT HAEC DECLARARE PERTINET, *aciem convertentes, sacro approbante Concilio, declaramus &c.*

Refert haec verba Illustrissimus Adversarius, aitque: „ Clarum esse illud *duntaxat*, intelligi, haec sine Sede Apostolica tractari non posse: alioquin excluderetur etiam Concilium, quo approbante illa definiuntur atque roborantur. Nec valerent ea, quae semper, atque illo presertim tempore valebant, ut quae universalem Ecclesiam tangerent, ab universali Ecclesia communi consensu decernerentur; quibus vel maxime contineri fidem consentiunt omnes.

At nos meliorem expetere ac dare non possumus verborum Clementis V. interpretem, quam Clementem VI. ejus post XXX. circiter annos in Sede Apostolica Successorem, doctissimum Pontificem, olim in Academia Parisiensi sacris litteris institutum, sacrae Facultatis Doctorem, Sorbonae Provisorem, Archiepiscopum Senonensem atque Rothomagensem; qui proinde optime perspectam atque exploratam habebat Ecclesiae Gallicanae doctrinam. Is igitur in Epistola ad Consolatorem Catholicon Armenorum, eum urgens, ut de Romani Pontificis primatu & auctoritate fidem suam absque ambagibus aperiret, haec habet: *Tertio decimo, si credidisti, & adhuc credis*, SOLUM ROMANUM PONTIFICEM, *dubiis emergentibus circa fidem Catholicam, posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhaerendum, finem imponere: & esse verum & Catholicum quidquid ipse auctoritate clavium sibi traditarum a Christo determinat esse verum; & quod determinat esse falsum & haereticum, sit censendum.* An haec quoque Meldensis Episcopus eo trahet ut sine Sede Apostolica illa tractari non possint? Sed vereor,

reor, an cuiquam Viro prudenti adeo a Clementis verbis alienam interpretationem esset adprobaturus. Non enim hîc quaeritur, quid Romanus Pontifex cum Concilio oecumenico, aut cum Ecclesiae totius assensu, sed quid solus possit, traditarum sibi auctoritate clavium, ac determinationem authenticam emittendo. Itaque ad *solum* Romanum Pontificem pertinet de rebus fidei judicare; judicio, quod controversiis finem imponat, cui sit inviolabiliter inhaerendum, quod tanquam certissima & immobilis regula habeatur, cui qui consonat, Catholicus; a qua vero qui dissonat, haereticus judicetur.

Sed ais, numquid & Concilia Oecumenica hac eadem auctoritate de fidei rebus judicare non possunt? Numquid & eorum authenticis definitionibus inviolabiliter adhaerendum non est? Numquid non & haereticus judicatur, qui ipsorum de fide regulis ac decretis pertinaciter contradicit? Ita profecto est; nec tamen minus verum ac ratum fixumque manet, ejusmodi, hoc est, omnino firmum & irretractabile de fidei rebus judicium ad solum Pontificem, quemadmodum a duobus Clementibus Quinto & Sexto, alijsque pluribus Auctoribus proditum est pertinere. Quum enim dicitur Ex. Gr. solus Rex habere in Regno jus sanguinis, vel ad eum solum pertinere de bello ac pace decernere, sensus harumce propositionum non est, quod Senatus, cui Rex ipse praesit, vel Rex ipse, approbante Senatu, capitis sententiam ferre non possint, aut de bello & pace statuere: sed sensus est, quod Rex id potest sine Senatu, Senatus autem non potest sine Rege. Ita profecto quum Pontifices, quum Patres, quum Theologi docent, ad solum Pontificem pertinere, de fidei rebus judicare, fidei controversiis finem imponere, fidei regulam constituere; sensus non est, quod Concilium Oecumenicum, cui Pontifex per se ipsum vel per suos Legatos praesit, vel Pontifex ipse, sacro approbante Concilio, ista praestare non possint: sed quod ista non potest Concilium sine auctoritate Pontificis; potest autem Romanus Pontifex sine Concilio Oecumenici auctoritate. Qui sensus apertissime patet in illis Florentinorum Patrum *adsertionibus*, quas in Diaeta Moguntina Basileensibus proposuerunt: *Summum Ecclesiae tribunal, & in terris supremum judicium apud Papam solum esse . . . . qui omnia potest in terris*. Et: *Generale Concilium veluti arenam sterilem esse, nisi a Papa foecundetur*. Non enim negant Conciliorum generalium utilitatem atque auctoritatem; sed eam volunt, nullam esse, nisi a Pontifice velut a capite ac fonte derivetur. Quo etiam sensu Archiepiscopus Tarentinus in Oratione habita pro Eugenio IV. coram iisdem Basileensibus ad solum Romanum Pontificem retulit plenissimam & absolutam potestatem de rebus fidei decernendi; quod nimirum solus ipse vocatus sit in plenitudinem potestatis ceteri autem in partem solicitudinis; quod potestas & auctoritas per eum in alios diffundatur; quod solus potestatem clavium aliis communicandam acceperit [a]: *Cui soli* (Romano Pontifici)

(a) Append. I. Conc. Basil. cap. XLV.

ci) *potestatem plenissimam & absolutam tradidit ad omnia fidei mysteria exequendum, ut ad eum principaliter de gregis salute & directione, & fidei unitate ac integritate, dispositio, judicium, ac sententia spectarent; & ut per eum ad alios hujusmodi Mysteriorum usus & auctoritas diffunderetur. Hinc primo Pastori ante Ascensionem suam Dominus dixit*: Pasce oves meas. *Et ante passionem suam*: Tu iterum conversus confirma fratres tuos. *Et illi soli promisit*: Tibi dabo claves regni caelorum; *ut ostenderetur* (*inquit beatus Doctor* S. Thomas) *quod potestas clavium per eum esset ad alios diffundenda usque ad saeculi finem, juxta illud Isaiae*: „ super solium David, & super re„ gnum ejus sedebit, ut confirmet „ illud, & corroboret in judicio & „ justitia, amodo & usque in sem„ piternum.

Neque ad hoc sensu abludit, aut longe abest in ipsis Concilii Viennensis convocationis litteris, quas nobis Bossuetius objicit, Clemens V. *Sane*, inquit, *Romana Ecclesia, mater alma fidelium, caput est, disponente Domino Ecclesiarum aliarum omnium, & Magistra: a qua, veluti a primitivo fonte, ad singulas alias ejusdem fidei rivuli derivantur; ad cujus regimen voluit Christi clementia Romanum Pontificem vice sui deputare Ministrum, ut instructionem & doctrinam ipsius, eloquio veritatis Evangelicae traditam, cuncti renati fonte Baptismatis teneant, & conservent: ut qui sub hac doctrina cursum vitae recte peregerint, salvi fiant; qui vero ab ea deviaverint, condemnentur*. Si ab Ecclesia Romana velut a Matre omnium Ecclesiarum & Magistra, & velut a capite & fonte, in alias omnes Ecclesias fidei rivuli derivantur; palam est, quod eadem ratione, qua de rege vere atque jure dicitur, quod ad eum solum pertinet Regni negotia disponere, etsi aliquando quae majoris momenti sunt, non absque Senatus approbatione decernat; eadem, inquam, ratione vere atque jure de Romana Ecclesia & Sede Apostolica ab eodem Clemente dictum est, ad eam *dumtaxat horum*, hoc est fidei dogmatum, *declarationem pertinere*; etsi ad graviora Ecclesiae negotia pertractanda, generalem Synodum convocaverit, & quae tenenda essent, *sacro approbante Concilio*, decreverit. Quod nimirum quemadmodum juris dicendi & interpretandi auctoritas & potestas in inferiores Magistratus a Rege, velut a fonte promanat: ita ab Ecclesia Romana sacrorum dogmatum doctrina & instructio in alias omnes Ecclesias, velut a primitivo fonte rivuli derivantur. Non ignoramus quidem, ejusmodi doctrinam hodie Parisiensibus Theologis improbari, & exosam esse; secus autem, ut alia in praesenti saecula omittam, eo temporis intervallo, de quo nunc agimus, & quod inter utrumque Clementem V. & VI. Romanos Pontifices intercessit. Florebat enim hoc aevo in Galliis Petrus Bertrandus (a) juris utriusque Professor in Academiis Avenionensi, Monspeliensi, Aurelianensi, & Parisiensi, Aniciensis Ecclesiae Decanus, deinde Johannae Reginae Francorum, & Burgundiae

(a) Nat. Alex. de Script. saec. XIV. art. IV.

Comitiſſae Cancellarius, poſtea creatus Epiſcopus, primum Nivernenſis, tum Aeduenſis anno 1325. demum S. R. E. Cardinalis a Johanne XXII. Pont. Max. renunciatus eſt die XX. Decembris anno 1331. quum ante biennium, die ſcilicet XV. Decembris anno 1329. juriſdictionem & libertatem Eccleſiae adverſus Petrum de Cugneriis Regium Advocatum luculenta diſputatione tuendo, coram Philippo Valeſio Rege Chriſtianiſſimo, de Religione praeclare meritus eſſet. Is igitur tantus Vir, & Eccleſiae Gallicanae ornamentum, Spiritualis poteſtatis originem ad regendam univerſalem Eccleſiam in Apoſtolorum Principe ejuſque Succeſſoribus collocabat, qui eam a Chriſto *immediate* habeant, per ipſos in ceteros derivandam: *Inter Chriſtianos*, inquit (a), *neceſſaria eſt ſpiritualis poteſtas, quam Chriſtus dedit Beato Petro, quando ei commiſit regimen univerſalis Eccleſiae. Origo hujus poteſtatis immediate fuit a Deo videlicet a Chriſto tradente eam certae Perſonae, ſcilicet Petro pro ſe, & ſuis Succeſſoribus, a quibus derivatur in alios.*

Non igitur Epiſcopis, & Conciliis, potiſſimum generalibus poteſtas adimitur judicandi de rebus fidei, quum dicitur, ad ſolum Romanum Pontificem pertinere dogmatum fidei declarationem: Id enim, ut ex Clementis VI. litteris diſcimus, de declaratione intelligitur, quae dubiis emergentibus circa fidem Catholicam, per determinationem authenticam, cui ſit inviolabiliter adhaerendum, finem imponat. Quam certe auctoritatem, omnium ſententia, ſingulares Epiſcopi non habent; quamcumque autem habent in Synodis ſeu particularibus, ſeu generalibus congregati, a Romano Pontifice mutuantur, ſine cujus auctoritate & adſenſu finem quaeſtionibus de religione ſubortis imponere non poſſunt; quum ipſe tamen etiam ſine Synodis & aliorum adſenſione auctoritatem habeat ad eas judicio irretractabili terminandas. Sed de hac re juxta veterem & conſtantem ſuperiorum ſaeculorum traditionem ſequenti libro cum Meldenſi Epiſcopo uberius ac data opera diſſeremus. Haec enim in praeſentia ſatis eſſe videntur, ad Clementis V. in Concilio Viennenſi propoſitionem, ex horumce temporum, in quibus verſamur doctrina illuſtrandam, & ab Adverſariorum inſultibus ac ludibriis, quibus male vexatur, ac miſere detorquetur, vindicandam.

CAPUT XXXIX.

„ Lateranenſis Synodus ſub Julio II.
„ ex ea Conciliorum neceſſitas,
„ & auctoritas.

Conciliorum neceſſitatem, ſeu potius utilitatem, atque auctoritatem luculenta oratione demonſtrare aggreſſus eſt, & oratorio ſtylo, quo plurimum valebat, extulit atque exaggeravit, ſeſſione prima Concilii Aegidius Viterbienſis Auguſtiniani Ordinis Generalis. Ex ea Oratione quaſdam lacinias adfert Illuſtriſſimus Adverſarius; additque & animadvertit, quod „ ceteri qui in eadem „ Sy-

(a) De Orig. Juriſd. quaeſt. II.

„ Synodo perorarunt, dispari eloquentia, eodem fere sensu (*unum tamen excipit Cajetanum*) Concilia necessaria demonstrarunt. Ex horumce itaque Oratorum uno, & ex aliis hujusce Synodi monumentis demonstremus, quo pacto tanta Conciliorum necessitas & auctoritas, cum suprema Romani Pontificis auctoritate consistere & conciliari valeat.

ARTICULUS UNICUS.

Ex Quinti Concilii Lateranensis Actis ostenditur, supremam Romani Pontificis auctoritatem cum Conciliorum Generalium, quaecumque ea sit necessitate & auctoritate, optime cohaerere.

CHristophorus Marcellus Oratione habita Sessione quarta Concilii, qua de munere & officio Principis disserit, eam esse significat Conciliorum necessitatem in Ecclesia, cujusmodi Consiliariorum in Regno; quorum consiliis atque sententia in statuendis legibus rebusque aliis agendis, sic Princeps indiget, utiturque, ut nihil inde ipsi auctoritatis depereat: quum leges atque jura ex suprema Principis voluntate ac potestate dimanent, eoque auctore vim habeant, ac firma consistant: *At quoniam quandoque non est ea Regis prudentia, quae universos valeat supplere defectus..... plurium consilio in statuendis legibus, aliisque rebus agendis, utatur necesse est. Ita namque multorum sententia confirmata magis, & laudabilior & gratior & acceptior cunctis efficitur*: Quae praecipuae rationes sunt, quibus Conciliorum necessitas suaderi solet: *Neque inde*, subjungit laudatus Orator, *Principi auctoritatis quidquam adimitur, sed ejus virtus, probitas, sanctitas amplius elucescit*. Quae generatim disputata ad Conciliorum necessitatem, ac Pontificis potestatem declarandam, paucis interpositis, transfert: *Quocirca toties frequentissimae Synodi, & Oecumenica, ex toto fere terrarum orbe convocatis Patribus, sunt hinc inde celebrata Concilia, sanctissimae confirmatae leges, institutiones mutatae, haereses abjectae, castigati errores, difficultates solutae, veritas probata, seditiones exstinctae, concordia restituta, una monstrata fides, una religio, unus Princeps, qui summam in terris habeat potestatem*. Hunc Principem in Ecclesia haud alium esse quam Romanum Pontificem, cujus haec omnia suprema auctoritate sancienda sint, & cui proinde ex Conciliorum convocatione ac necessitate nihil auctoritatis adimitur, sequentibus verbis aperte luculenterque demonstrat: *Quum igitur tantae Reipublicae unicus atque supremus Princeps fueris institutus, beatissime Pontifex, cui summa data potestas, ac divinum injunctum Imperium, tuum est, quemadmodum oppressam armis erexisti, amplificasti; ita moribus depravatam Ecclesiam reformare, corrigere, illustrare*. Et infra: *Ad hoc enim is tibi a Deo concessus est principatus, & totius Christianae Reipublicae dignitas, salus, vita, libertas, omniaque fortunae bona, tuae sapientiae & potestati sunt credita. Ad hoc Lateranense Concilium convocasti &c.* Quibus ille verbis tum Conciliorum necessitatem & utilitatem ad-

adstruit, tum supremam nullique subjectam, & quae summum totius Ecclesiae & Christianae Reipublicae Principem decet, Romani Pontificis potestatem auctoritatemque tuetur.

Summum hunc Romani Pontificis Sedisque Apostolicae in Ecclesia Catholica principatum, ac supremam auctoritatem, unde omnia Ecclesiae jura, leges, sanctionesque dimanent, disertis conceptisque verbis agnoscit ac profitetur, Rex Christianissimus Ludovicus XI. in suis ad Pium II. litteris pro Pragmaticae Sanctionis abrogatione, quae Sessione IV. Concilii lectae sunt; & quibus piissimus Rex praedictam Sanctionem, tanquam supremo Romani Pontificis in Ecclesia Catholica principatui summaeque auctoritati infensam, a se abrogari declarat: *Omnibus itaque victimis potiorem obedientiam intelligentes, assensi sumus his, quae tuo nomine nobis aperta sunt; ipsam scilicet Pragmaticam Sanctionem Tibi, tuaeque Sedi esse infensam ..... & dum Tibi*, A QUO SACRAE LEGES ORIUNTUR ET MANANT, *quantamlibet eripit auctoritatem*, OMNE JUS ET OMNEM LEGEM DISSOLVIT. *Illud enim exoritur, quod idem Consiliarius nomine tuae Sanctitatis adstruxit, ut dum per Pragmaticam Sanctionem ipsam summa in Ecclesia tuae sanctitatis auctoritas minuitur; dum Praelatis in Regno nostro quoddam licentiae templum praestruitur; dum congruens unitas ad alia regna conformitasque tolli videtur; abroganda sit ipsa pragmatica sanctio, tollendaque a Regno nostro, quippe quae adversus tuam Sedem, omnium Ecclesiarum matrem, ab inferioribus Praelatis lata sit, tanquam, ut Scriptura loquitur*, Quomodo si elevetur virga contra levantem se, aut baculus, qui utique lignum est. *Quae quidem, beatissime Pater, licet plerique docti homines confutare niterentur atque diluere, multaque nos dehortarentur abrogare sanctionem ipsam; te tamen Principem totius Ecclesiae, te Antistitem Sacrorum, te Dominici gregis pastorem profitemur & scimus, teque jubentem sequimur, tibi & Beatissimi Petri Cathedrae consentimus & jungimur*. Et infra: *Utere deinceps in Regno nostro potestate tua, ut voles, atque illam exerce. Nam ut hominum membra nulla contentione capite uno, atque una mente ducuntur; sic tuis sacris decretis Ecclesiae Praelati in Regno nostro & Delphinatu consonantiam & obedientiam plenam refundent. Quod si forte obnitentur aliqui aut reclamabunt, nos in verbo Regio pollicemur tuae Beatitudini, atque promittimus exsequi facere tua mandata, omni appellationis aut oppositionis obstaculo prorsus excluso; eosque, qui tibi contumaces fuerint, pro tuo jussu comprimemus & refraenabimus*.

Consona iis sunt, quae pro ejusdem Pragmaticae Sanctionis abrogatione in eadem Lateranensi Synodo Leo X. provide animadvertit. Nam quemadmodum Rex Christianissimus, omnes sacras leges, & jus omne Ecclesiae a Romano Pontifice oriri ac manare docet; & ab eo omnes Ecclesiae Gallicanae Praelatos, velut ab uno Capite & una mente corporis membra, duci & gubernari vult: ita Leo universas Ecclesiae dignitates ab Ecclesia Romana tanquam rivulos a perenni fonte derivat, atque

que eidem tanquam membra capiti obsequi vult, omniaque ex ejus placito ac voluntate peragere (a): *Primitiva illa Ecclesia in angulari petra a Salvatore nostro Jesu Christo fundata, Apostolorum praeconiis elata, Martyrumque sanguine consecrata & aucta, ubi primum juvante Domino per orbem terrarum lacertos movere coepit, provide attendens, quantum oneris humeris impositum haberet, quot oves pascere, quot custodire, ad quot etiam remotissima loca oculos intendere oporteret; divino quodam consilio Parochias instituit, Dioeceses distinxit, Episcopos creavit, & Metropolitanos praefecit, ut tanquam membra capiti obsequentia, cuncta secundum ejus voluntatem salubriter in Domino, & tanquam rivuli a perenni fonte, Romana videlicet Ecclesia, derivantes, ne angulum quidem Dominici agri irrigatum dimitterent*. Deinde, quemadmodum Rex Christianissimus in superioribus litteris Romano Pontifici in universa Ecclesia summum adserit principatum; ita Leo in eadem Lateranensi Synodo eidem Romano Pontifici super omnia Concilia plenam & absolutissimam vindicat potestatem; sine qua profecto, ut alibi ostendimus, consistere proprie non potest summus ille super universam Ecclesiam Catholicam principatus; quo videlicet universum Ecclesiae corpus Romano Pontifici tanquam capiti cohaereat, ab eoque tanquam capite & mente ducatur, & ex quo reliquae Ecclesiae dignitates tanquam rivuli a fonte dimanent (b): *Solum Romanum Pontificem pro tempore exsistentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere; nedum ex sacrae Scripturae testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, etiam Praedecessorum nostrorum, sacrorumque Canonum decretis; sed etiam propria eorumdem Conciliorum confessione manifeste constet*. Haec Leo, *sacro approbante Concilio*; Leo, inquam, qui perinde atque Julius, a quo primum Lateranensis haec Synodus indicta est, Conciliorum utilitatem, & quamdam, si ita libet, necessitatem perspectam habens, statim, atque in ejus demortui locum suffectus est, eamdem Synodum *ad Ecclesiae unitatem & exaltationem, ac fidelium omnium profectum* prorogari voluit *usque ad perfectionem caussarum*, quae ad illam indicendam Julii II. animum excitaverant. Adeo Leoni, adeo universo Concilio; e cujus coetu tot Patres pro Conciliorum necessitate luculentissime, ipsoque praesente Pontifice perorarunt; adeo, inquam, Leoni & universo Concilio; quo approbante, Romani Pontificis super omnia Concilia potestas & auctoritas praedicata est; persuasum, erat summam & absolutam, & cujusmodi a nobis defenditur, super Oecumenicas Synodos potestatem, & nulli omnino subjectam auctoritatem, cum Conciliorum utilitate, & quantalibet necessitate, & au-

(a) Session. XI. in Bulla, quae incip. *Primitiva* &c.
(b) Bull. quae incip. *Pastor aeternus* Sess. XI.

& auctoritate optime cohaerere. Quo omnis nostra disputatio collimabat.

CAPUT XL.

„ Post Lutheranam pestem, Concilii generalis habendi necessitas ab omnibus, atque adeo a Romanis Pontificibus, agnoscitur: Ea re Concilium Tridentinum convocatur.

SAepius observatum est, quum nihil aliud Adversario ex Conciliorum actis occurrit, quod ejus opinioni suffragari videatur, ad eum ipsum confugere consuetum & communem locum, ex quo illum toties dejecimus, de Conciliorum necessitate. Quod etiam unicum argumentum, quum alia omnino deessent, ex Tridentina Synodo profert. Nos autem illud eadem, qua saepius in praesenti libro usi sumus, methodo refellemus. Nam 1. ostendemus, Tridentinae Synodi Patres, qui Concilii necessitatem apertius praedicarunt, eam, quam nos propugnamus, de Romani Pontificis auctoritate sententiam tenuisse. 2. Si ex Concilii celebratione jure colligitur, obnoxias esse retractationi Romanorum Pontificum dogmaticas definitiones, inde consequens esse, nec eas esse irretractabiles, in quas Episcoporum maxima pars, ac fere universa Ecclesia consentit. 3. Imo nec eas esse certas & irreformabiles fidei regulas, quae Conciliorum generalium auctoritate constitutae sunt.

ARTICULUS UNICUS.

Ex Conciliorum generalium necessitate ac celebratione aut nostram sententiam minime labefactari; aut eodem telo ipsam quoque appeti Ecclesiae Catholicae, & ipsorum Conciliorum generalium auctoritatem.

QUod primum proposui, innumeris possem Patrum ac Theologorum, qui Tridentinae Synodo interfuerunt, testimoniis confirmare; nempe quaecumque sit illa Conciliorum generalium utilitas aut necessitas, quam agnoverunt & praedicarunt; cum ea tamen nostram consociasse doctrinam de summa & irretractabili Romanorum Pontificum in definiendis fidei controversiis auctoritate. At ne in eorum recensendis testimoniis, quae omnium oculis patent atque exposita sunt, nimius exsistam, unum dumtaxat adferam, quod ob viri praestantiam, eruditionem, & auctoritatem plurimorum instar haberi poterit. Is est Reginaldus Polus, doctrina, pietate, rebusque pro Catholica Religione gestis, non minus quam Purpura Eminentissimus. Tractatum in hac ipsa Synodo edidit *de Concilio*, quem ipse Legatorum unus aliis duobus Cardinalibus Johanni Mariae de Monte, & Marcello Cervino suis in eadem Pontificia ad Synodum Legatione Collegis obtulit; in quo vir maximus totus est, ut supremam, & indeficientem, nullique subditam generali Concilio Romani Pontificis auctoritatem tueatur; ut pene integrum tra-

tractatum describere oporteret, qui omnia vellet loca producere, quae huic dogmati apertissime suffragantur. Quare unum tantum aut alterum locum transcribam. Quaest. XXXVI. quum antea Personas; quae ut plurimum Conciliis intersunt, & Hierosolymitanae de Legalibus Synodo interfuerunt, in quatuor genera distribuisset; quaerit: *Quid vero tandem in persona Petri videmus, quod in reliquis non videamus?* Respondet: *Hoc sane primum, quod proprium est ejus, qui primas partes in Conciliis tenet,* UT FINEM IMPONAT CONTROVERSIIS, EASQUE DIRIMAT, *ut concludat, & auctoritate sua dimittat Concilium*. Et infra: *Quum autem haec in persona Petri videmus, omnium eorum, qui in Petri Cathedra successerunt, partes in Conciliis videmus; quae maxime in hoc exstare debent, ut controversias dirimant, ut gravitatem oneris a populi Dei cervicibus detrahant, & ut Concilium dimittant, omniaque auctoritate Petrae fidei, in fundamento Ecclesiae positae, faciant*. Et Quaestione LXXXIII. quum Ecclesiae reformationem ab ipso Capite inchoandam esse, antea dixisset, quaerit: *Quid tandem istuc est quod ais? An hoc ipse suades? An probas? An tanquam remedium opportunum tot malis, quibus Ecclesia est oppressa, proponis, ut summus Pontifex, Vicarius Christi, summi Sacerdotis partes agens, qui in omnibus Conciliis tanquam Judex corrigendis aliorum erroribus praeesse solet, in hoc Concilio se reum....faciat, & judicio aliorum se subjiciat?* Respondet: *Non hoc ego quidem suadeo, ut Pontifex judicio subjiciatur Concilii inquirentis eum, neque ullo pacto id probo; at nec cujusvis alterius: Verum, ut suis ipsius judicio subjiciatur, hoc maxime opto, atque ut etiam in hoc judicio se ipsum condemnet*. Quod ergo habet commune effatum tot Patrum & Conciliorum auctoritate firmatum, quod Romanus Pontifex, quod prima Sedes a nemine judicatur, etiam de Concilio Oecumenico doctissimus ac celeberrimus Cardinalis intelligit. Nec tamen quum tanta Pontifici Romano tribueret; nimirum ut controversias dirimat, ut eis finem imponat, ut tanquam Judex aliorum in Concilio sedeat, ipse a nemine judicandus, propterea Conciliorum generalium utilitatem ac necessitatem aut non agnovit aut minus dilucide praedicavit. Quaestione LXXIX. quaerit: *Quidnam est, quod materiam & caussam dedit hujus Concilii* (Tridentini) *quod nunc indictum est, convocandi?* Respondet: *Haud simplex caussa fuit sed varia & multiplex; quae tamen tribus illis capitibus, quasi terminis, quibus jam ab aliquot saeculis omnis materia Conciliorum circumscribi solet, satis qualis sit, explicatur. Quorum primum est, quod ad explicationem fidei dogmatum, & ad haeresum extirpationem pertinet: Secundum, quod ad collapsam morum disciplinam restituendam: Tertium, quod ad confirmandam pacem domesticam inter Pricipes Christianos spectat, ut externo hosti infideli, Reipublicae Christianae perpetuo insidianti, facilius resisti possit. Haec ergo in summa hujus Concilii nunc indicti materia dici potest: quae eo quidem amplior est, quo magis corrupta est mo-*

rum disciplina ; quo perniciosiora sunt intestinorum bellorum semina ; quo denique potentior est ac paratior externus hostis ad invadendas Christianorum Provincias . . . Atque eo quidem haec necessitatem imponunt gravissimam cogendi Concilii generalis , & difficiliorem reddunt de excogitandis remediis deliberationem . Itaque doctissimi Cardinalis judicio Romani Pontificis ad finiendas fidei controversias indeficiens auctoritas consistere potest cum *gravissima habendi* generalis Concilii *necessitate* .

Nunc ad alterum demonstrandum , accedamus , quod supra propositum est ; nimirum ipsas quoque Romanorum Pontificum dogmaticas Constitutiones , quibus Ecclesiae consensus accessit , non fore irretractabiles fidei Catholicae regulas , si argumento , quod ex Concilii Tridentini necessitate Adversarius ducit , quidquam inesset ponderis ac momenti . Nam nefaria Lutheri dogmata non solus Romanus Pontifex , verum & universa Ecclesia tanquam haeretica detestabatur ; ac proinde non unius Romani Pontificis , sed Ecclesiae Catholicae judicium fuisset tanquam dubium , aut nondum satis firmum in Tridentina Synodo retractatum . Quod sequentibus Cl. Thomassini observationibus demonstramus (*a*) : Lutherum ita Leonis X. censura prostravit , ut Ecclesiae universalis auctoritas Pontificiae individuis nexibus copulata ostenderetur . Ait enim Leo : *Exsurgat denique omnis coetus Sanctorum , ac reliqua universalis Ecclesia &c.* Ita ille quum Petrum & Paulum antea compellasset . Laudat mox Coloniensem & Lovaniensem Universitates , quae istiusmodi errores jam inurere praeceperant . Nec omittam , quod inter Lutheri deliramenta Pontificio hoc diplomate contrita , illud quoque legitur : *Si Papa cum magna parte Ecclesiae sic vel sic sentiret , nec etiam erraret : adhuc non est peccatum , aut haeresis , contrarium sentire : Praesertim in re non necessaria ad salutem , donec fuerit per Concilium universale alterum reprobatum , alterum approbatum* . Quod delirium vides quantis hic argumentis exsufflaverimus . Sed ut Pontifices , ita haereticos Praecessorum suorum fuisse imitatores , ex alia , quae statim ibi subjicitur , & feritur , Lutheri vecordia patebit : *Via nobis facta est enarrandi auctoritatem Conciliorum , & libere contradicendi eorum gestis , & judicandi eorum decreta , & confidenter confitendi quidquid verum videtur , sive probatum fuerit , sive reprobatum a quocumque Concilio* . Insitum ergo haereticis est , Concilii obtentu decreta Pontificia ludificare ; & ipsa mox Concilia de ridiculo habere . Usque adeo qui Pontificum anterioribus definitionibus illuserant , Concilia Oecumenica flocci fecere semper . Ut inde magis eluceat , non necesse fuisse plerumque coire Concilia : & ubi coaluere , indulgenter id datum , ut vel sic caussationibus Adversariorum occurreretur . Denique summam errorum Lutheri hanc esse Leo concludit , quod inde sequeretur , *Ecclesiam , quae Spi-*

(*a*) Dissert. XII. in Conc. Chalc. num. XXVII. & seqq.

Spiritu Sancto regitur, errare, & semper errasse. Suam ergo & Ecclesiae auctoritatem indivulse cohaerere sentit. Hadrianus VI. similiter in Brevi ad Fredericum Saxoniae Ducem objurgat acerrime plus credentes uni homuncioni, quam *tot Sanctissimis ab initio Patribus, tot universalibus Conciliis, sanctae denique Ecclesiae Catholicae &c. quam reliquo orbi universo &c. Unus Apostata tibi potuit persuadere, fefellisse priores universos, errare posteros, & in solum se, & quos decepit pervenisse regnum Dei?* Universalis, ut patet, Ecclesiae inexpugnabilem auctoritatem ubique intentat Pontifex, ut cujus consensus vicem gerat Concilii generalis. Nec aliter Concilium Senonense anno 1528. quum sola Pontificum diplomata hactenus detonuissent, fidenter Ecclesiae universae consensionem, ut veritatis facem inexstinctam novellis haereticis objectat. Nempe Pontificio decreto assentiente Ecclesia, stultum est praeterea Concilium generale expetere haereticos, qui in Ecclesiae universalis consensu inesse Concilii vim perspicere debuerant: *Voluit Deus, tantam esse Ecclesiae suae stabilitatem & potestatem, ut per eam veluti per infallibilem quamdam regulam, ad salutem mortales dirigerentur &c.* Et infra: *Quasi vero magis sit paucis iisdemque temerariis errorum satoribus credendum, quam omnibus Doctoribus, Sanctis Martyribus, Academiis, Episcopis, Summis Pontificibus, generalibus Conciliis; quo stultius dici nil potest aut furiosius*. Quae in eo Concilio sexcenties ingeminantur contra serpentem Lutheri perfidiam, quum needum de Concilio generali quidquam sonaret, quum sola Pontificum decreta irradiassent orbi, & Christianae Ecclesiae silentio velut indubitato assensu confirmata, vicem Concilii oecumenici obtinerent in antecessum.

Sed audiendus & Paulus III. in Bulla indictionis Concilii Tridentini: *Animo repetentes, majores nostros, sapientia admirabili & sanctitate praeditos, saepe in summis Christianae Reipublicae periculis, remedium optimum atque opportunissimum, Oecumenica Concilia, & Episcoporum generales conventus adhibuisse: ipsi quoque animum ad generale habendum Concilium adjecimus*. At infra quo fine Concilium post diplomata primae Sedis, habendum sit, ita declarat: *Quum peteretur a nobis, ut ab Ecclesia dissentientium quosdam articulos tolerandos declararemus, quoad per Oecumenicum Concilium illi excuterentur, & deciderentur: idque nobis, ut concederemus, neque Christiana & Catholica veritas, neque nostra, & Sedis Apostolicae dignitas permitteret; palam potius Concilium ut quamprimum fieret, mandavimus*. Et ante Concilium ergo dissentiebant ab Ecclesia novatores, nec eorum *toleranda* videbantur placita, solo nimirum Apostolicae Sedis oraculo fulminata, nec ita in Concilio discuti & decidi permissa sunt, quasi dubia ante vel tolerabilis fuissent, sed ut pluribus fulminibus obruerentur. Ita Sess. 14. Pius IV. ait: *Quum intelligeremus, ad haec sananda mala aptissimum esse remedium, quod sancta haec Sedes adhibere consuevisset, oecumenici gene-*

ralisque Concilii , ejus congregandi , & , Deo juvante , celebrandi consilium coepimus. Et tota illa tamen sessione claret, novellos tunc Evangelii & Ecclesiae desertores etiam ante Concilium albo haereticorum adscriptos fuisse, & per salvos conductus scrupulosissime trutinatos tutum sibi ad Concilium iter munire quaesisse, & nec ea ratione plerosque ipsorum in tantum discrimen conjicere se voluisse; adeo suo ipsi judicio implacatas cum Ecclesia simultates susceperant. Nec anteriori ergo Pontificum decreto & auctoritati Apostolicae Sedis derogat quidquam oecumenicum Concilium: nec superva canea sunt Concilia, quibus confecta jam haeresum portenta plenius conficiuntur, & irreparabili strage conteruntur. Alioquin non unius Leonis X. aut aliorum Pontificum Romanorum, verum & Ecclesiae totius suo Capiti consentientis de Luthero judicium, veluti non satis adhuc firmum & certum fuisset in Synodo retractandum: nec solum Meldensi Episcopo scribendum fuisset: ,, Adeo post Luthe- ,, rum a Leone X. *Clementis VII.* ,, antecessore, *verum, & ab univer-* ,, *sa Ecclesia*, damnatum, Synodus ,, necessaria videbatur, ut majore ,, luce ac certiore auctoritate firma- ,, retur fides.

Denique tertium eorum, quae supra proposui; nimirum, quod nec ipsae generalium Synodorum de aliquo fidei dogmate definitiones habendae essent tanquam certissimae & ineluctabilis auctoritatis regulae, si quod saepius Adversarius inculcat, quidquam valeret argumentum, paucis demonstro ex iis quae sessione IV. Concilii disputata sunt, quum de condendo aut confirmando sacrorum librorum Canone ageretur. Nam in privatis coetibus disceptatum fuit, an per novum examen fieri deberet sacrorum utriusque Testamenti librorum comprobatio. Cardinalis a Monte Legatus, Cardinalis Pacecus, & alii, novum examen repudiabant, res a prioribus Conciliis definitas retractandas non esse adfirmantes, secundum S. Leonis, & Gelasii I. summorum Pontificum documentum: nec praebendam esse Lutheranis occasionem gloriandi, quod suis argumentationibus suspectas falsitatis superiorum Conciliorum definitiones Catholicis reddidissent. Cervinus Cardinalis S.Crucis, & Polus Cardinalis, & alii, novam discussionem postulabant, non ad quaerendam, de qua nemo Catholicorum dubitabat, sed ad confirmandam, & tuendam ab Haereticorum objectionibus veritatem. Existimationis enim plurimum Concilii decretis accessurum censebant, ubi universae nationes audirent, Haereticorum rationes ab eo discussas & confutatas. Alioquin eam, quam Patres appellarent venerationem antiquitatis, ab aliis vocatum iri responsionis inscitiam, aut propriae imbecillitatis haud obscuram confessionem. Vicit posterior ista sententia. Haec ex Cardinali Pallavicino lib. VI. Histor. Conc. Trident. cap. XI. Natal. Alex. Dissert. XII. in Hist. Eccles. saec. XV. & XVI. Artic. II. Itaque inita est discussionis via, qua, si quidquam valet, quod saepius Meldensis Episcopus urget argumentum, non modo Romanorum Pontificum, verum & generalium Synodorum auctoritas labefa-

ctu-

ctatur. Nam harum perinde atque illorum definitiones Synodi retractationi & examini permittuntur. Si autem datur discussio & examen; ut reipsa dari primum plurimi, deinde universa Synodus sensit; quae non ad quaerendam, de qua nemo Catholicorum dubitet, sed ad confirmandam, & tuendam ab Haereticorum objectionibus veritatem, dirigantur; jam omnia concidant necesse est, quae toto hoc libro adversus summam & ineluctabilem Romanorum Pontificum auctoritatem, ex actis Conciliorum Advesarius concessit argumenta.

FINIS LIBRI PRIMI.





LIBER SECUNDUS

QUO

MELDENSIS EPISCOPI

LIBER DECIMUSTERTIUS

Examinatur & confutatur.



Ujusce Libri argumentum paucis hisce verbis Meldensis Episcopus complectitur: „ Solvuntur objectiones „ quaedam, ac præsertim illa, quae „ ex Conciliorum confirmatione pe- „ titur, ad idem Caput quartum „ Gallicanae declarationis.

Objectiones, quas Illustrissimus Auctor solvere hoc Libro aggreditur, nos pro virili parte tueri & confirmare conabimur, atque illam imprimis, quae pro Sedis Apostolicae indeclinabili auctoritate ex Conciliorum confirmatione consurgit.

CAPUT PRIMUM.

„ Objectio de confirmatis a Romano Pontifice Synodis generalibus proponitur; dissolvendae „ hujus ratio atque ordo explicatur.



Ihil in hoc Capite specialiter notandum occurrit. Aliquod pro Sedis Apostolicae summa & indeclinabili auctoritate argumenta eleganter Illustrissimus Adversarius proponit. Nos ea validissima judicamus; ipse autem infirmissima, & nullius roboris ac momenti. Uter sanius ac melius judicet, ex sequenti disputatione constabit.

CA-

CAPUT II.

„ Quid sit confirmare Ecclesiastico „ stylo, & quid autoritatis in- „ vehat: Confirmari decreta non „ modo ab aequalibus; sed etiam „ ab inferioribus passim. Tum „ speciatim explicatum, non mo- „ do a Romanis Pontificibus Con- „ ciliaria Decreta, sed & a Con- „ ciliis etiam particularibus Ro- „ manorum Pontificum decreta „ confirmari.

SI qui sunt Theologi, qui ex simplici confirmationis vocabulo probari judicent, superiorem esse quibuscumque Conciliis adeoque indeclinabilem ac prorsus ineluctabilem Romani Pontificis auctoritatem, eos in praesenti Capite egregie Adversarius refellit. Fatemur enim, quod res est, aequivocum esse confirmationis nomen, pluresque huic voci subjectas esse notiones. At quemadmodum confirmationem agnoscimus, unde confirmantis superior & major auctoritas non probatur; ita esse aliquem confirmandi modum contendimus, qui in confirmante demonstret superiorem & indeclinabilem potestatem. Esse autem ejusmodi, quem Romani Pontifices Conciliis etiam Oecumenicis impenderunt; eoque proinde recte probari summam, & ipsis etiam Conciliis Oecumenicis superiorem, Romanorum Pontificum auctoritatem. His autem tribus vis nostrae probationis continetur.

1. Concilia ex quolibet Episcoporum numero, & quamlibet ex omnibus fere orbis terrae partibus congregata, & sine Romani Pontificis aut praecedente, aut comitante, aut subsequente consensu & adprobatione celebrata, irrita ac nullius auctoritatis futura, aut saltem nunquam adeptura summam & irretractabilem firmitatem.

2. Conciliorum quamlibet generalium & Oecumenicorum gesta atque decreta, a Romano Pontifice minime confirmata, irrita & nullius roboris judicata fuisse: valitura tamen, si eis accessisset ipsius Romani Pontificis confirmatio.

3. Synodos Nationales ac Regionales, imo & locales & particulares, & ex quamlibet exiguo Episcoporum numero conflatas, & a Romano Pontifice confirmatas, in iis, quae ad fidem pertinent, summam obtinuisse & irreformabilem auctoritatem.

Ejusmodi ergo esse contendimus adhibitae a Romano Pontifice gestis ac decretis Synodorum confirmationis vim: ex eaque jure probari ac demonstrari credimus, superiorem esse quibuslibet etiam Oecumenicis Conciliis, adeoque omnino firmam, ac prorsus inexpugnabilem Romani Pontificis auctoritatem. Et horum quidem integra & lucidissima demonstratio ex iis quae ad singula Capita dicenda sunt, emicabit. Verum antequam ad ea speciatim discutienda accedamus, generatim ostendendum est, quam diversi generis sit ea gestorum Synodalium confirmatio, quae ex Romanorum Pontificum, & quae ex aliorum Episcoporum consensu derivatur.

AR-

ARTICULUS UNICUS.

Quam dispar sit ea confirmatio, quae a singulis seorsim Episcopis aut Synodis Provincialibus Conciliorum generalium aut Romanorum Pontificum decretis; & quae a Romanis Pontificibus Conciliorum gestis & Canonibus adhibetur. Hac porro recte probari, majorem esse Romani Pontificis, quam Concilii Oecumenici auctoritatem.

NOn modo a Romanis Pontificibus, verum & a singulis seorsim Episcopis, vel ab eisdem in Synodis provincialibus congregatis suo quodam modo cum Romanorum Pontificum, tum generalium Conciliorum praesertim de fide decreta suis & subscriptionibus & confessionibus confirmari; praeter ea, quae Illustrissimus Auctor in praesenti Capite adfert, plura sunt apud Cl. Thomassinum (a), & alios, quae id egregie invicteque demonstrat. Chalcedonensem Synodum numero Episcoporum, concordia, & auctoritate longe maximam, Leo tamen Imperator, ut libro superiori haud semel animadvertimus, omnium Orientis Episcoporum fecit subscriptionibus roborari. Exstantque ad Chalcedonensis Concilii calcem Epistolae Metropolitanorum triginta septem cum suis Synodis ad confirmationem ipsius Chalcedonensis Concilii conspirantium. Quae sane tot Episcoporum tam mirifica confirmatio instar habuit Synodi alterius, quam in confirmatione Synodi Chalcedonensis Leo Augustus ante meditatus fuerat, ut a Liberato in Breviario cap. XV. memoriae proditum est. Sextae Synodo ut auctoritatem suam adjungerent, rogati a Leone II. Papa Hispaniarum Episcopi, in Concilio Toletano XIV. testantur, gesta Synodi ab eis perlecta, pertractata, & adprobata fuisse: *Praefatas gestorum regulas pertractandas suscepimus, susceptas perlegimus, approbantes in his ..... recti dogmatis sensum inculpandae disputationis edictum, Apostolicae traditionis stylum*. S. Johannes Chrysostomus vel ipsi Nicaenae Synodo robur quodammodo accessisse ex orbis universi consensione, his verbis haud obscure significat (b): *At tu non illos tantum condemnas Nicaenos Patres, sed & orbem terrarum universum, qui illorum sententiam comprobavit*. Quo sensu & S. Athanasius aliique Patres ejusdem Synodi Nicaenae decretis auctoritatem ex omnium pene per universum orbem Ecclesiarum conspiratione conciliant.

Verum, ut idem Thomassinus subjungit, quamquam universus orbis Christianus, quamquam Provinciales Synodi sejunctim, quamquam singulares seorsim Episcopi generalium Synodorum acta approbare & confirmare utcumque perhibeantur, quando assentiuntur & subscribunt: non infringitur tamen singulare Petri, & Apostolicae Sedis in confirmandis Synodis privilegium. Quinimo majestas & prae-

(a) Dissert. VI. in Synod. Constant. I.
(b) Tom. V. Hom. LII. pag. 707.

& praerogativa capitis ex membrorum praecellentia exaggeratur. Nam si membris, pro suo cuique gradu, sua est tamen vis, suumque pondus in consentiendo: quanto major & longe maxima ejus est auctoritas, qui *Princeps in Episcopatu fidei* est, qui Caput, qui Occidentales omnes maxime Episcopos, strictius sibi devinctos, suo nutu circumagebat, sibi semper consentaneos, & secum gestae in Oriente Synodo vel consentientes, vel dissentientes?

Ut autem melius & apertius percipiatur, qua in re positum sit illud discrimen, quod inter confirmationem, quae ex Episcoporum, & quae ex Romani Pontificis approbatione consurgit; juvabit ea imprimis prae oculis habere, quae idem Auctor de subscriptionibus Episcoporum adjungit: Et quidem, inquit, si non cortici rerum inhaereas, sed in ipsam introspicias medullam, non latebit, quo illae pertinuerint subscriptiones Episcoporum, post quartam, quintam, sextamque Synodos corrogatae. An Chalcedonensis enim Synodus, a Leone Papa confirmata, Occidenti Orientique universo approbata, in suspendio tamen adhuc per aliquot annos fuit, donec Leo Imperator Orientalium Episcoporum novis sejunctim subscriptionibus confirmari curaret? Cui nisi vehementer insano tam delira in mentem venirent? Quae enim posthac Synodus Oecumenica non nutabit si retractari a posteris, si novis semper suffragiorum corrogationibus confirmari indigeat? Idem de sexta Synodo, & aliis id genus pronunciandum. Ergo peractae semel Synodo ceteri per orbem Episcopi suae magis confessionis, quam approbationis vel confirmationis testimonium subscribebant. Id liquet ex verbis Metropolitanorum Chalcedonensi postea Synodo succinentium, quae supra ex Facundo retulimus. Profitentur enim, quod universaliter valet in omnes receptas semel in auctoritatem Synodos; nihil iis vel addi, vel demi posse; nihil ibi constitutorum retractari debere. Item patet ex Epistola Martini Papae I. ad Episc. Gall. post Monotheleticam haeresin Romana in Synodo *Apostolico mucrone, Patrumque definitionibus, uno ore unoque spiritu condemnatam. Idcirco studeat fraternitas tua omnibus eadem innotescere, ut tam abominandam haeresim nobiscum exsecrentur, & Synodali conventione scripta una cum subscriptionibus vestris, nobismet destinanda concelebrent, confirmantes atque consentientes eis, quae pro orthodoxa fide statuta sunt*. Subscribi, & subscribendo confirmari hortatur Lateranensis Synodi statuta, sed citra novum examen. Id magis liquebit ex Leonis II. Epistola II. ad Episcopos Hispaniae, quos sextae Synodo hortatur subscribere, ut sibi consulant, non Synodo: *Ab omnibus reverendis Episcopis una vobiscum subscriptiones in eadem definitione venerandi Concilii subnectantur, ac sit profecto in libro vitae properans unusquisque Christi Ecclesiarum Antistes suum nomen adscibere; ut in unius Evangelicae fidei consonantia, nobiscum, & cum universali Sancta Synodo per suae subscriptionis confessionem, tanquam praesens spiritu conveniat: quatenus Christo quum ad judican-*

dicandum venerit, cum titulo orthodoxae confessionis occurrens, consortem se traditionis Apostolicae per manus suae demonstret signaculum. Quamquam ergo Hispaniarum Episcopi supra dixerint, gesta sextae Synodi *nostri vigoris auctoritate suffulciri*, & postea *approbari*; sed Leo tamen iterum iterumque ab iis non postularat, nisi suae *subscriptionis confessionem*, *titulum orthodoxae confessionis*, non ut novo auctoritatis pondere Synodum quasi alioqui vacillantem sustentaret: sed ut ipsi *in libro vitae scribi*, *& consortes se traditionis Apostolicae per manus suae signaculum demonstrare* properarent. Et infra idem Leo: *Quum vestrarum subscriptionum paginas susceperimus, has apud Beati Petri Apostolorum Principis Confessionem deponemus, ut eo mediante atque intercedente, a quo Christianae fidei descendit vera traditio, offeratur Domino nostro Jesu Christo, ad testimonium & gloriam ejus mysterium fideliter confitentium ac subscribentium.* Audin, non approbantium, aut confirmantium, sed *confitentium ac subscribentium testimonium?* Et rursum, ut ad quartam Synodum redeam, accipe quae Evagrius scribit lib. II. cap IX. & X. Leonem Augustum non ad Episcopos tantum, sed & ad Monachos sanctitatis laude spectabiliores scripsisse, ac prae ceteris ad Simeonem Stylitam. Num etiam Monachis jus suppetit confirmandae Synodi? Sed quid rescribunt Episcopi? *Decretis Chalcedonensis Concilii inhaesere*, ἐπεμεῖναι. Quid Simeon? *Ego abjectus, & vilis, & abortivus Monachorum, Imperatori significavi meum propositum circa fidem Chalcedonensium Patrum 630. inhaerescens, & confirmatus ab ea fide &c.* Inhaerere se & confirmari, non confirmare profitetur. Consule & Auctorem vitae Sancti Auxentii Abbatis, a quo similiter Marcianus confirmationem petiit Synodi Chalcedonensis. Haec Thomassinus de confirmatione Conciliorum generalium, quae ex Episcoporum subscriptionibus proficiscitur.

At longe aliter sentiendum esse de Confirmatione, quam eorumdem Conciliorum gestis decretisque Romani Pontifices adhibent, idem pluribus demonstrat per octo priores Oecumenicas Synodos discurrendo, quae nos ad sequentia Capita proferemus. Interim aliquot generalibus testimoniis ostendimus, ex ea demum Romanorum Pontificum adprobatione & confirmatione habere generalium Synodorum Canones, ut omnino irretractabiles sint. Docet id perspicue Ferrandus Carthaginensis Ecclesiae Diaconus in Epistola ad Pelagium & Anatolium: *Universalia Concilia, praecipue illa, quibus Ecclesiae Romanae consensus accessit, secundae auctoritatis locum post Canonicos libros habent.* Et rursum: *Quae finiuntur judicantibus Episcopis sanctis, & ad Beati Petri memoriam perducta, diligentius examinantur, atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt: in retractatione sub qualibet pietatis occasione teneri non debent.* Vides, inquit saepius laudatus Thomassinus, quam juridica, & auctoritatis summae insignibus ornata sit sententia Sedis Apostolicae, decreta Conciliorum generalium confirmantis; quandoquidem ea *diligentius examinat,*

minat, *& firmat*; & illud adjicit momentum, ex quo id consequuntur, ut deinceps irretractabilia sint. Denique idem Ferrandus infra: *Sufficere judicatur ad plenam confirmationem* (universalium Conciliorum) *si perducta ad notitiam totius Ecclesiae, nullum offendiculum moveant vel scandalum fratribus; sed Apostolicae fidei convenire firmentur Apostolicae Sedis roborata consensu*. Ubi consensum quidem totius Ecclesiae ad confirmationem generalium Conciliorum facere non abnuit; sed eo uno, quod nemo offendatur, nemo avitae fidei ea obstrepere clamitet: sed singulariter, & novo examinis atque auctoritatis pondere a Sede Apostolica confirmari.

Consona his sunt, quae Hincmarus observat lib. de Divort. Loth. & Theutber. p. 686. Tom. I. nempe, quod quemadmodum Synodus generalis Provincialium Synodorum: ita generalium, Sedes Apostolica retractat, & vel irritat, vel confirmat judicia: *Quibus omnibus demonstratur, quia Synodus Comprovincialium Episcoporum judicia; generalis autem Synodus Comprovincialium dijudicationes, sive dissensiones vel probet, vel corrigat ... Apostolica vero Sedes & Comprovincialium & generalium retractet, refricet, vel confirmet judicia; sicut Epistolae Leonis, atque Gelasii, ceterorumque Romanorum Pontificum, & Sardicensis Synodus evidenter ostendunt. Et Episcoporum recte judicantium confirmatur, & secus judicantium corrigitur, & interim funditus non perit auctoritas*. Quae de ipsis etiam Oecumenicis Synodis esse intelligenda, patet ex iis, quas laudat, Leonis & Gelasii, ceterorumque Romanorum Pontificum Epistolis, quae, ut inferius, & ad sequentia Capita demonstrabitur, harum quoque Synodorum judicia Sedis Apostolicae examini & retractationi subjiciunt.

Concinit Ratramnus lib. VI. adversus opposita Graecorum: *Siquidem omne Concilium, vel quod in Oriente, vel quod in Africa gestum esse dignoscitur; vel Romani Pontificis Vicarios semper habuit praesidentes, vel ejus auctoritate literarum, quae fuerunt decreta, firmitudinem acceperunt*. Et mox: *Et revera omnes Orientales Ecclesiae, simul & Occidentales, Romanae Ecclesiae Praesulem semper quasi caput Episcoporum veneratae sunt, & ad ejus sententiam respexerunt; & de rebus dubiis quaecumque decrevit ejus judicium sustinuerunt, ipsiusque decreto paruerunt. Quaecumque Concilia ejus sententia roborata sunt, rata manserunt: quae vero damnavit, pro nihilo reputata fuerunt, nec auctoritatem ullam habere potuerunt*.

Neque ab his abludit Ratherius Veronensis Episcopus, qui sequenti saeculo floruit, in Itinerario, quum generatim docet, cuncta ad examen apud Sedem Apostolicam revocari; & quae proba sunt & genuina pietate constant, a reprobis & spuriis ea auctoritate discerni, ut quaecumque alibi statuuntur, pro illius judicio ubique terrarum vel rata vel irrita judicentur: *Qua ignorantia quo melius exui, quo aptius possum quam Romae doceri? Quid enim de Ecclesiasticis dogmatibus alicubi scitur, quod Romae ignoretur? Illic summi illi totius orbis Doctores: Illic praestantiores enituerunt universalis Ecclesiae*

O 2 *Prin-*

Principes : Illic decreta Pontificum universorum congregatio, examinatio Canonum, approbatio recipiendorum, reprobatio spernendorum. Postremo nusquam ratum, quod illic irritum; nusquam irritum, quod illic ratum. Ubinam ergo melius insipientiae consulitur meae, quam ubi fons sapientiae cernitur esse?

Libet his addere duorum Romanorum Pontificum auctoritates: quibus, quae hactenus adlata sunt veterum Patrum hac Theologorum testimonia, egregie confirmantur. Gelasius Papa in Tomo de Anathem. *Totum*, inquit, *in Sedis Apostolicae positum est potestate. Ita quod firmavit in Synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit: quod refutavit, habere non potuit firmitatem: & sola rescidit, quod praeter ordinem congregatio Synodica putaverat usurpandum*. Loquitur de Synodo Chalcedonensi, cujus inter ceteras Oecumenicas est insignissima auctoritas. De hoc porro aliisque similibus Gelasii locis in sequentibus Capitibus differemus. Sanctus Nicolaus I. Epistola VII. ad Michaëlem Imperatorem Gelasio concinit, & quod ille de una Synodo Chalcedonensi, generatim de omnibus Oecumenicis Conciliis adfirmat: *Denique in universalibus Synodis quid ratum, vel quid prorsus acceptum, nisi quod Sedes Beati Petri probavit, (ut ipsi scitis) habetur? Sicut e converso quod ipsa sola reprobavit, hoc solummodo consistat hactenus reprobatum*.

Haec itaque Romanorum Pontificum auctoritas est, quam omnibus Oecumenicis Conciliis superiorem esse adfirmamus, adeoque ineluctabilem, & nullius judicio ac retractationi subjectam; ea nimirum, qua, ut ait Ferrandus, omnium Conciliorum acta diligentius examinantur atque firmantur; qua Sedes Apostolica, ut ait Hincmarus, omnium Synodorum retractat, refricat, vel confirmat judicia; qua Conciliorum decreta, ut ait Ratramnus, aut robur & firmitudinem acceperunt, aut pro nihilo reputata sunt, & nullius prorsus auctoritatis; qua totum, ut ait Gelasius, in ejusdem Sedis Apostolicae potestate positum est; atque adeo ipsius judicio jure debetur, ut nusquam ratum, quemadmodum ait Ratherius, quod Romae irritum sit; nusquam irritum, quod illic ratum: quod de Chalcedonensi Synodo idem Gelasius, de omnibus vero generalibus Conciliis Nicolaus I. adfirmant. Haec ergo nobis argumento sunt, Sedis Apostolicae generales Synodos confirmantis auctoritatem iis esse superiorem, ac proinde ipsius definitiones esse prorsus irretractabiles. Neque ad hujusce argumenti vim elevandam quidquam facit series illa testimoniorum, quibus Meldensis Episcopus probare in praesenti Capite aggreditur, etiam Romanorum Pontificum Constitutiones fuisse vel a particularibus, vel a generalibus Synodis confirmatas. Numquid enim vel particulares vel generales Synodi id sibi jure aliquando vindicarunt, ut ipsarum judicio starent aut caderent, rata vel irrita essent Romanorum Pontificum constituta? Imo, ut in superiore libro apertissime ostensum est, & laudatus Nicolaus Epist. IX. ad Michaelem Imperatorem praeclare docet, non de illis Concilia

Oecu-

Oecumenica, sed juxta illa tanquam certissimas & immobiles rectitudinis formulas judicarunt; ac Sedis Apostolicae judicia Conciliorum judiciis veluti lampades ac nitidissima specula praeluxerunt: *In Synodis prisco tempore collectis, Apostolicae Sedis scripta, non sub occultationis modio tegebantur; sed ut omnibus, qui in domo Dei erant, lucerent, in propatulo ponebantur; & ut si qua turpitudo, vel macula in fidei pulcritudine a quolibet tentaretur induci, facile patesceret, ac si specula in omnibus habebantur, & quasi quaedam rectitudinis formula, qua imprimi ceteri possent, posita colebantur.* Quod statim Concilii Ephesini & Chalcedonensis praeclaro exemplo demonstrat. Romani vero Pontifices, ubi ad ipsos Conciliorum acta atque decreta ipsorum suffragio & auctoritate roboranda deferebantur, non ante illis suum calculum & approbationem adjiciebant, quam illa expendissent, an cum Apostolicis litteris convenirent. Hinc illud pervulgatum & commune veterum effatum, de cujus sensu ad lib. XV. disseremus, quod Sedes Apostolica de omnibus judicat, de illius autem judicio nemini fas est judicare. Quod idem S. Nicolaus Epist. VIII. ad eumdem Imperatorem inculcat, & praeclaris suorum Praedecessorum Gelasii & Bonifacii testimoniis confirmat. Alius itaque generis & rationis confirmatio illa est, quam reliquae Synodi vel Ecclesiae aut Conciliorum generalium aut Romanorum Pontificum decretis, consensum illis & obedientiam exhibendo, praestabant; & quam eorumdem Conciliorum actis auctoritate sua Romani Pontifices adjungebant. Nam, ut ex Hincmaro Thomassinus ostendit (a), Nicaena statuta antiquitatis usus, hoc est, consensus & consuetudo Ecclesiarum, mores suos illis coaptantium, & Romani Pontifices dispari tamen ratione confirmarunt; *hi* nimirum *imperio*, *illae obsequio*. Imperio, inquam, quo Conciliorum judicia rata esse vel irrita decernere consueverunt. Quod summae potestatis & auctoritatis argumentum est: *quoniam*, ut idem S. Nicolaus in eadem Epistola observat *secundum Canones, ubi est major auctoritas, judicium inferiorum deferendum est, ad dissolvendum scilicet, vel ad roborandum.* Sed haec ad sequentia Capita in meliore adhuc lumine collocabuntur.

CAPUT III.

„ Quid in confirmandis Conciliis gestum sit; Nicaena, Constantinopolitana, Ephesina Synodi; nihil in his de illa, quam quaerimus confirmatione actum; de Ariminensi Synodo; de Epistolis Eutherii & Helladii ad Sixtum III, adversus Ephesina decreta: Christiani Lupi vanae notae.

„ JAm ne quis existimet, *inquit Illustrissimus Adversarius*, Concilia Oecumenica a Romanis Pontificibus alio sensu confirmari, aggredimur id, quod secundo loco „ tra-

(a) Dissert. VI. in Synod. Const. num. XIV.

„ tractandum recipimus, nempe ut „ exponamus, quid circa Concilia „ a Romanis Pontificibus firmata vel „ rejecta factum sit. Nos quoque an ejusmodi expositio plena, & integra, & veritati consona sit, haud segniter expendemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Synodis Nicaena, Constantinopolitana, & Ariminensi: Quomodo in duabus prioribus adprobandis, & altera irritanda Sedis Apostolicae auctoritas emicuerit.

„ INcipimus, *inquit*, a Nicae„na Synodo, ut omnium pri„ma, non tantum tempore, verum „ etiam auctoritate, in qua quidem „ de Romani Pontificis confirmatio„ne nihil actum esse constat. *Et* „ *infra*: Sane memoravimus Eccle„siasticae Historiae certa monumen„ta, quibus constat, prolatam a „ Patribus sententiam, nullo alio „ expectato decreto, statim apud om„nes caelestis instar oraculi valuis„se. Sic finitae tres maximae „ quaestiones Consubstantialitatis, Pas„chatis, Rebaptizationis, patuitque „ in Concilio I. generali, eas Sy„nodos, quibus Sedis Apostolicae „ Legatio interesset, nullius specia„lis confirmationis indigere, ut ro„bur obtineant.

Illustrissimus Auctor ignorare non potuit quid nostratibus Theologis de Sedis Apostolicae ad Synodos Legatione communiter observatum est; nimirum Summi Pontificis Legatos non solere ad Concilium accedere, ubi quaestio de fide agitanda est nisi instructos prius & monitos de Ecclesiae Romanae fide circa ea, quae sunt in Concilio finienda. Solere inquam, ait Canus [a], non item oportere. Nam Legati ad Concilium Tridentinum non potuere commode de quaestionibus differendis ante instrui, quoniam erant propemodum infinitae. Sed cetera fere Concilia ad unam, aut alteram fidei tractandam caussam coacta sunt; uti Nicaena Synodus ad tres illas Illustrissimo Adversario commemoratas: ideoque Legati de Apostolicae Ecclesiae fide prius instructi accesserunt. Non enim Vitus, Vincentius, & Hosius ignorare poterant, quaenam esset de tribus illis quaestionibus Sedis Apostolicae fides atque traditio.

Praeterea observant (*b*), posse quatuor modis contingere, ut fiat generalis Concilii definitio. Primo, consentientibus ac definientibus Patribus; Legatis autem Sedis Apostolicae dissentientibus ac repugnantibus. Secundo, consentientibus etiam Legatis, sed contra instructionem Pontificis agentibus. Tertio, consentientibus iisdem Legatis, sed qui certam ad Synodum instructionem Pontificis non adtulerunt. Quarto, consentientibus Patribus cum Legatis habentibus & sequentibus Romani Pontificis instructionem. Quid de Conciliis generalibus statuant, a quibus tribus prioribus modis fidei decreta seu definitiones eduntur, postea videbimus.

In.

(*a*) Lib. V. de Loc. Theolog. cap. V.
(*b*) Bellarmin. lib. II. de Conc. cap. XI.

Interim autem rursus observo; communem esse eorumdem Theologorum opinionem, atque doctrinam, quod si Legatis certam habentibus & sequentibus Romani Pontificis instructionem Synodus universa consentiat, non est opus nova Pontificis confirmatione, ut edita in hac Synodo definitio firma sit & inconcussa fidei Catholicae regula. Quod tamen, ut deinceps videbimus, minime prohibet, quin Pontifex suprema sua auctoritate ejusmodi Concilii acta examinet & retractet, ut illi constet, an omnia ad amussim Apostolicae doctrinae fuerint exacta; idque ubi ipsi constiterit, eadem rursus Apostolica auctoritate confirmet. Quod, ut suo loco videbimus, Leoni II. in confirmandis sextae Synodi Actis observatum est. Ita Legatis ab aliquo Principe pro belli pacisque negotiis tractandis, ad alium Principem destinatis, & juxta traditam ipsis instructionem agentibus & contrahentibus, statim natura sua validus censetur contractus, etsi penes Principem, a quo missi sunt, jus & auctoritas sit, ea quae acta sunt recensendi, ut ipsi constet, num aliqua in re Legati mandata eis tradita praeterierint aut ea omnino servaverint; unde rescindi contractus aut ratus haberi debeat. Qua in re profecto summa ipsius Principis potestas emicat, eoque acta probante, de illorum summa & irrevocabili firmitate non est jam ullus ambigendi locus. Hoc itaque sensu intelligo, quod Eminentissimus Bellarminus his verbis docet [a]: „ De quarto modo (quum videlicet Patres cum Legatis sequuntur Pontificis instructionem) „ vix dubium esse potest, videtur „ enim esse certum, tale Concilium „ non posse errare. Primum enim „ in tali Concilio invenitur expres- „ sus consensus capitis & membro- „ rum, ac proinde totius Ecclesiae, „ quae sine dubio errare non potest..... deinde.... quando Con- „ cilium definit aliquid sequens ex- „ pressam sententiam Pontificis, idem „ est, ac si confirmatum esset: *Et in- „ fra*: ipse etiam Leo in Epist. LXI. „ ad Concilium Chalcedonense, qua „ illud confirmat, indicat, non fuis- „ se opus sua confirmatione, nisi quia „ dubitabant, aliqui, an revera cum „ ejus consensu factum fuisset decre- „ tum Concilii: qua etiam ratione „ confirmavit Pontifex multa alia „ Concilia, non qui errare potuerant, „ sed ut omnibus certius constaret, „ quae Legati egerant, vere ex man- „ dato expresso Pontificis egisse. Itaque si aliquis bona fide hac de re dubitaret, haereticus habendus non esset, donec illi ex nova & expressa Pontificis confirmatione constaret: Sed de his rursus inferius.

His animadversis, constat, quid respondendum sit ad ea, quae de Nicaena Synodo Bossuetius observat. Eccui enim non exploratissima erat de tribus illis quaestionibus Ecclesiae Romanae fides atque traditio? Quis ignorabat, quae circa Paschatis celebritatem adversus Asianos Victor; quae de Haereticorum Baptismo adversus Cyprianum & Firmilianum Stephanus; quae de Verbi divinitate & con-

(a) Ubi supra.

consubstantialitate Dionysius, Romani Pontifices constituerant? Nulla ergo Romani Pontificis confirmatione opus erat, ut certo constaret, prolatam a Patribus, juxta Sedis Apostolicae de hisce controversiis traditionem, sententiam, caelestis instar oraculi habendam esse. In eo autem summa ejusdem Sedis Apostolicae auctoritas & potestas emicat; & quam illa ab omni errandi periculo tuta sit, inde haud obscure apparet, quod magna illa & celeberrima Synodus Romanae Sedis decreta velut certissimas & Apostolicas regulas sequuta est; & quamquam ingentes olim fuissent de Paschate & Haereticorum Baptismo insignium Ecclesiarum concertationes; attamen ubi in Synodum coaluerunt, & certo illis Spiritus divinus adfulsit, hoc eis constitit, non debere membra capiti reluctari, sed ab eo dirigi, seseque ad ejus nutum voluntatemque componere. Quod deinceps, ut Magnus Nicolaus Epist. X. ad Clerum Constantinopolitanum observat, in reliquis Oecumenicis Synodis factum est: nempe, qui ante Synodum in ipsa Ecclesiae unitate a suo Capite dissentire, quadam indulgentia permittebantur, eos postmodum in Conciliis Oecumenicis aut coactos esse Capiti sese obsequentes exhibere; aut contumaces a totius corporis compage revulsi sunt: *Haec sunt*, inquit, *quae de his Sedes Apostolica statuit: Haec sunt, quae Synodice regulariterque decrevit: Hac sunt, quae nos tanto studiosius oportet amplecti, tanto solicitius observare, quanto certius nostris, quae ab ea statuta fuerint, haec universalem semper Ecclesiam tenuisse. Ita ut contra singulos errores in Ecclesia exortos prior haec secundum primatus sui auctoritatem sententiae terminum dederit. Et ita demum universalis Ecclesia, licet aliquando per aliquantulum temporis in quibusdam reluctata sit, quae illa tamen probavit, quandoque probaverit: & quae illa refutavit, ipsa refutaverit*. Ita Nicaenae Synodo in condemnatione Quartadecimanorum centum amplius annis Ecclesia Romana praeivit. Ita plenariae illi, de qua S. Augustinus, totius orbis terrarum Synodo, quae iterum baptizari ab Haereticis semel tinctos vetuit, longo temporis intervallo Sedes Apostolica facem praetulit. Ita in nulla legitima Synodo unquam accidit, ut quidquam de fide praeter Sedis Apostolicae & Romanorum Pontificum constituta decerneretur. Quo profecto non video, quodnam insignius argumentum adferri possit pro Sedis Apostolicae in fidei dogmatibus definiendis inerrantia. Non enim Cypriano, non Firmiliano, non Polycrati, non Columbano, aut aliis quibuslibet, & quamlibet insignibus pietate Viris, aut etiam martyri ac doctrinae laureis redimitis, promisit Deus, cum eis mansurum Spiritum Sanctum ad omnem docendam veritatem, sed universo Ecclesiae corpori, & illud repraesentantibus Oecumenicis Conciliis promisit. Desinant proinde Adversarii Cyprianos nobis, Polycrates, Firmilianos &c. objicere: Nos enim illis potiori jure Nicaenam aliasque Oecumenicas Synodos objiciemus, quarum judicio cum isti, tum alii a veritate aberrarunt, quicumque Romanorum Pontificum sollennibus aut

de

de fide aut de morum disciplina sanctionibus restiterunt. Quamquam autem universum Ecclesiae corpus divino Spiritu regatur & gubernetur; id tamen quodam ordine fieri, & ad reliqua membra directionem a capite proficisci, tum rerum naturalis ordo suadet, tum inde persuasum habemus, quod Capiti ad rite fidei dogmata definienda divinus spiritus numquam defuit: Conciliis vero quolibet Episcoporum numero insignibus tunc solum adfuit, quum Capiti quidquam praefinienti & lucem praemonstranti indivulse ac firmiter inhaeserunt. Quum ea, statim atque a Romani Pontificis doctrina & regulis deflexerunt, lux spiritusque defecerit.

Patet id multis exemplis, atque imprimis celebre illud est & notatu dignum, quod Concilium Ariminense suppeditat, quod quamquam ex magno Episcoporum numero congregatum, attamen quoniam absque Romani Pontificis sententia & auctoritate fidei formulam condere aut subscribere aggressum est, infaustum habuit exitum illudque Damasus hac imprimis ratione irritum esse decrevit ac declaravit: suoque decreto omnes prorsus, quas ex Episcoporum numero & subscriptionibus repetere videbatur, illius vires incidit: *Neque enim*, inquit Sanctus Pontifex in Epistola Synodica [a], *praejudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt: quum constet, neque Romanum Episcopum, cujus ante omnes fuit expetenda sententia, neque Vincentium, qui tot annos Sacerdotium inlibate servavit, neque alios hujusmodi statutis consensum aliquem commendasse*. In quibus verbis hanc primam rationem adfert, cur ex numero Episcoporum Ariminensium nullum Catholicae fidei praejudicium inferri poterat, quoniam eorum actis Romanus Episcopus non consenserat, cujus tamen primum fuerat requirenda sententia. Itaque quolibet numero Episcopi congregentur, & inconsulto Romano Pontifice quidquam decernant, irritus est omnis eorum conatus.

Respondet Bossuetius, haec nihil omnino ad rem, de qua nunc agimus, pertinere: „ Primum enim, „ *inquit*, non fuit haec Synodus „ Oecumenica, ex solo scilicet Oc- „ cidente convocata, cui praeterea „ Occidentis, totiusque Ecclesiae „ Caput, Romanus Pontifex, alii- „ que permulti magni nominis Oc- „ cidentales Episcopi Arianorum frau- „ de defuerint. Deinde malum fa- „ ctum, & ipso jure nullum, quod „ rem Oecumenico Concilio, Ni- „ caeno scilicet, tota consentiente „ Ecclesia, definitam, iterum in „ quaestionem vocabant; quo spe- „ ctat illud Athanasii (b) *Quae no-* „ *va haeresis? Cur nova Synodus?* „ Quin ipsa Synodus Ariminensis „ quamdiu libere et canonice egit, „ id professa est, editaque senten- „ tia declaravit (c), post Nicaenam „ Synodum fidei jam expositae ni- „ hil

(a) Ex Collect. Lucae Holst.
(b) Lib. de Synodis.
(c) Epist. Syn. Arim. ad Const. ibid. & apud Soc. lib. II. Hist. Eccles. cap. XXIX.

„ hil addi, nihil demi oportere: „ Denique his omnibus circa ultimas actiones addita vis ac fraus. „ Quo factum, Liberio in Synodo „ Romana teste (*a*), ut *omnes Ariminensis Concilii blasphemiae ab iis „ ipsis, qui tunc decepti per fraudem fuisse videntur, anathemate „ damnatae sint*. Idem habet Romana Synodus sub Damaso (*b*). „ Cum ergo Ariani haereticorum „ more sua, quamvis inania, magnis clamoribus venditarent, facile fuit Liberio, ac deinde Damaso, postremam Synodi partem, „ per se nullam, nulloque ordine „ Canonico fultam, postulante Basilio, omnibusque Orthodoxis Orientalibus, consentiente Occidente, „ ipsis Ariminensis etiam Concilii „ Episcopis ultro petentibus, nullam „ et irritam declarare.

Ut his difficultatibus fiat satis, observandum est, vim argumenti, quod ex Damasi verbis, & ex Synodi Ariminensis abrogatione conficimus, non in eo positam esse, quod ea Synodus Oecumenica reapse fuerit, & legitima, nullaeque aliae rationes se offerant cur nulla & irrita judicetur, quam quod a Romano Pontifice probata & confirmata non fuerit. Ultro enim agnoscimus, Synodum Ariminensem reapse Oecumenicam non fuisse, nec legitimam; neque existimamus, Damasum nullis permotum rationibus eam nullam & irritam declarasse: easque rationes optime perspectas habemus. Sed vim argumenti in his duobus principiis reponimus. Primo, Episcopos quovis numero, & qui alias ad constituendam Oecumenicam Synodum satis essent, congregatos, & in unam aliquam fidei formulam conspirantes, nisi eis Romanus Pontifex facem & lucem praeferat, errandi periculo obnoxios esse; eorumque doctrinam nullius esse in Ecclesia auctoritatis, si Romano Pontifici improbetur. Id vero Ariminensis Synodi exemplo, & verbis Damasi, quibus illam irritam esse decernit, egregie comprobatur: Ait enim, ex numero Episcoporum, qui Ariminum convenerunt, Nicaenae fidei nullum praejudicium conflari posse, propterea quod eorum actis, conditaeque aut subscriptae ab ipsis formulae fidei Romanus Pontifex non consenserit. Porro tantum fuisse constat Episcoporum numerum, qui Arimini in Occidente, & Constantinopoli in Oriente Ariminensi formulae subscripserunt, ut ad impertiendam illi Synodi Oecumenicae auctoritatem satis habitus fuisset, si ad eam accessisset Romani Pontificis confirmatio: Nam, ut Sulpitio Severo lib. II. memoriae proditum est, ex Italia, Africa, Illyrico, Hispaniis, et Galliis quadringenti et amplius Episcopi Ariminum confluxerunt: eorumque fidei formulam Constantinopoli post Seleuciensem Synodum quinquaginta Orientales Episcopi confirmarunt. Quae tot Episcoporum in unam fidei formulam conspirans multitudo, si numerum spectemus, pro Oecumenica Synodo haberi potuisset, si eorum acta

(*a*) Apud Soc. lib. IV. Hist. Eccl. cap. XI.
(*b*) Conc. Rom. sub Damas. ex Collect. Holst.

acta Romanus Pontifex adprobasset. Hinc Ariani, aliorum Haereticorum more, parum de Romani Pontificis auctoritate soliciti, Ariminensem Synodum pro Oecumenica venditarunt, ut patet ex verbis Rescripti, quod Ariani per Justinam Augustam a Valentiniano extorserunt (a): *Damus copiam colligendi his, qui secundum ea sentiunt, quae temporibus Divae memoriae Constantii, Sacerdotibus convocatis ex omni orbe Romano, expositaque fide ab iis ipsis, qui dissentire noscuntur, Ariminensi Concilio, Constantinopoli etiam confirmata, in aeternum mansura decreta sunt*. Jactabant ergo Ariani Ariminensis Concilli velut Oecumenicae Synodi inconcussam auctoritatem, opusque fuit ad eorum audaciam reprimendam, ut primum Liberius, deinde Damasus, ipso etiam fatente Bossuetio, postremam Synodi partem nullam et irritam declararent.

Sed ait, ea per se, & ipso jure irrita & nulla erat. Fatemur: sed, numquid de hac re Arianis cum Catholicis conveniebat? At multas Catholici cur eam repudiarent rationes adferebant. Rursus fatemur: sed, numquid & facile non erat Arianis ejusmodi rationes eludere? Numquid Arianis de iis, quae ipsis objiciebantur, fraudibus, dolis, & malis artibus, deque vi adhibita Patribus, cum Catholicis conveniret? Numquid eorum, qui formulae subscripserant, prioris actus revocationem pro legitima poenitentia haberent, & non potius praevaricationem existimarent? Num quid qui callidiores inter ipsos erant, Ariminensem formulam reapse Nicaenae contrariam esse faterentur; quum unius tantum non necessarii verbuli omissione hanc ab illa differre jactarent, neque fraus statim plusquam trecentis Catholicis Episcopis suboluerit? Ejusmodi rerum judicium quum vulgi sermonibus ac disputationibus permittitur, veritas non illustratur, sed densioribus quotidie tenebris involvitur, magisque in dies obscuratur. Interim autem partibus litigantibus, tot Episcoporum in Synodum coactorum numerus magnum videri poterat pro Arianorum sententia praejudicium. Itaque ut simpliciores inter Catholicos ab Arianorum fraudibus tuti essent, non iis rationibus muniendi erant, quae ipsos in rerum gestarum examen conjicerent: sed aliquid simplex, & quod esset inter Catholicos pervulgatum, statuendum erat; nempe legitimas non esse & errandi periculo subjacere eas Synodos, quae sine consensu Romani Pontificis celebrantur, tum etiam nullius esse auctoritatis, nisi a Sede Apostolica confirmentur. Quare S. Basilius Magnus etsi perspectum & exploratum habebat, ea, quae Arimini gesta fuerant, per vim acta fuisse, ac proinde ipsa per sese & ipso jure nulla & irrita esse; ne tamen Episcoporum numerus, qui Ariminensi formulae subscripserant, pluribus, ac praesertim simplicioribus inter Catholicos imponeret, scribendum Damaso duxit, petendumque ab eo, quid Romae pro Ariminensium gestorum dissolutione fecisset, de-

P 2

(a) Lib. IV. Cod. Theodos. de Fide Cath.

deque hac re ad S. Athanasium ita perscripsit (a): *Nobis autem operae pretium visum est ad Episcopum Romae scribere, ut res nostras invisat, & consilium dare, ut quum illinc communi ac Synodico decreto aliquos mitti difficile sit, ipse hoc negotium suo marte aggrediatur, eligens homines idoneos ad perferendos itineris labores, idoneos ad eos, qui apud nos perversi sunt, lenitate ac animi constantia corrigendos, apte & adtemperate utentes sermone, secumque habentes quaecumque post Ariminense Concilium gesta sunt, ad eorum, quae per vim illic acta fuerant, dissolutionem*. Noverat enim Sanctus Doctor, hujusce rei ultimum ac peremptorium judicium ad Sedem Apostolicam pertinere. Quare ubi Synodi Romanae Ariminensem irritantis Epistola ipsi reddita est, statim eam suscepit, eique incunctanter adsensus est, ut ipse testatur Epist. XC. al. LXI. ad Occidentales his verbis: *Omnibus autem, quae Canonice a vestra praestantia acta sunt, adsensi sumus, Apostolicum vestrae doctrinae studium laudantes*. Et rursus Epist. XCII. al. LXIX. ad Italos & Gallos: *Revera enim*, inquit, *laude summa dignum est, quod a Domino pietati vestrae datum est, adulterinum quidem a probo ac puro discernere, Patrum vero fidem sine ulla dissimulatione praedicare: quam quidem & nos suscepimus, agnovimusque Apostolicis notis signatam: eique & ceteris omnibus, quae in Synodico scripto canonice & legitime statuta sunt, assentimus*. Itaque Romano Pontifice decernente, ac Synodice & legitime atque canonice judicante, nullas prorsus Ariminensis Synodi formula & gesta vires habuerunt.

At quemadmodum tot Occidentalium & Orientalium Episcoporum conatus, reluctante Romano Pontifice, frustra fuit: ita centum & quinquaginta Orientalium Episcoporum conventus, eorum de fide decretum eodem Damaso Romano Pontifice probante, ad Oecumenicae Synodi fastigium evectus est. Secus enim, quo pacto tantam obtinuisset auctoritatem?

De hac Synodo haec Bossuetius:
„ In secunda Synodo generali, Con-
„ stantinopolitana scilicet, certum
„ est, nullum esse locum ei, de
„ qua quaerimus, confirmationi, post
„ Synodum gestam; cum Sanctus
„ Damasus Papa ipse adfuerit Oc-
„ cidentalium Romae habitae Sy-
„ nodo, cujus consensu Constantino-
„ politana Oecumenica facta est.

At nobis id satis est, ut Constantinopolitana Synodus nonnisi Ecclesiae Romanae Romanique Pontificis consensione Oecumenica evaserit. Nam quod pertinet ad Synodum & consensum Occidentalium; quum hi a Romani Pontificis sententia nutuque omnino penderent, quae in Romanis Synodis eorum adhibito consensu decernebantur, eorum auctor solus Romanus Pontifex habebatur. Ita S. Gregorius Magnus lib. VI. epist. XXXI. de hac ipsa Synodo loquens: *Et canones quidem*, inquit, *Constantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant.... Romana autem Eccle-*

(a) Epist. LXIX. al. LII. ad S. Athanas.

clesia eosdem Canones, vel gesta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit. In hoc autem eamdem Synodum accepit, quod est per eum contra Macedonium definitum. Reliquas vero haereses, quae ibi memoratae sunt, ab aliis jam Patribus damnatas reprobat. Ergo secundam hanc oecumenicam Synodum, quam, ut alio loco testatur, instar unius e quatuor Evangeliis venerabatur, hactenus S. Pontifex recipiebat, quatenus illam Romana Ecclesia receperat, videlicet in Macedoniani erroris damnatione. Ita sexta Synodus Act. XVIII. in Prosphonetico ad Imperatorem: *Macedonius Spiritus Sancti Deitatem denegabat, sed maximus Imperator Theodosius, & Damasus adamas fidei, cujus solidamens aggressionibus atque conflictibus alienarum sectarum nullatenus erat sauciabilis; Gregorius & Nectarius illam in hac Regia urbe Synodum congregabant: & sacrilegam quidem linguam a Sacerdotio abscindebant &c.* Parum refert, ut jam ante monuimus, an ex praecedente, vel ex subsequente Romani Pontificis adprobatioae & consensu Synodus aliqua robur auctoritatis obtinuerit; quum tamen constet, non nisi Romano Pontifice consentiente & adprobante, id eam obtinere non potuisse, ut in Oecumenicae Synodi auctoritatem invalesceret. Itaque Patres sextae Synodi, spreta ratione temporum, quam nihil ad rem, de qua nunc agimus, pertinere optime intelligebant, & ipsam in se se Synodum Oecumenicam intuentes, tum omnium Episcoporum Principem Damasum ante ceteros admirantur, ut fidei adamantem, ut Macedonii debellatorem; tum eum solum ex Occidentalibus nominant, perinde atque ipsius tantum consen-[illegible] Constantinopolitana Synodus Oecume[illegible] evaserit: quem etiam quum fidei Adam[illegible] vocant alienarum sectarum aggressionibus [illegible]tenus sauciabilem, annon ipsum ex omni errandi periculo his verbis eximunt? Photius quoque de eadem Synodo verba faciens, recensitis praecipuarum in Oriente Sedium Episcopis, Timotheo Alexandrino, Meletio Antiocheno, Cyrillo Hierosolymitano, Nectario Constantinopolitano &c. quos Synodi Principes fuisse refert; ex Occidentalibus solum Damasum in medium producit, qui Synodi de fide decreta comprobans confirmaverit: *Quibus non multo post tempore etiam Damasus Romanus Antistes, eadem confirmans agnoscebatur, consentaneus decretis factus*: perinde atque ex hoc tantum profecta decretorum confirmatio, eis pondus oecumenicae auctoritatis addiderit. Itaque quemadmodum Romani Pontificis Ariminensem Synodum reprobantis auctoritas sufficere visa est ad elevandam & infringendam quingentorum fere ex Occidente & Oriente Episcoporum auctoritatem: ita idem Romanus Pontifex centum et quinquaginta Orientalium Episcoporum decreta confirmans, summam eis oecumenicae Synodi auctoritatem adjunxit.

ARTICULUS II.

De Synodi Ephesinae confirmatione, deque Eutherii & Helladii literis ad Sixtum III., & in eas Christiani Lupi notis.

QUod ad primum ac praecipuum, imo & unicum negotium pertinet, propter quod Synodus Ephesina coacta est, recte atque jure dici potest, in Actione tertia ejus esse finem ac terminum constituendum; nempe in haereseos Nestorianae damnatione, ac Nestorii ipsius depositione per Caelestini Legatos ipsius nomine & auctoritate Apostolica confirmatis. Nam ceteris Actionibus occasionem dedit Johannis Antiocheni & Orientalium schisma; quibus quum Comites & Ministri Imperatoris faverent, qui & ipsius animum in legitimam Synodum, ac praecipue Cyrillum & Memnonem concitarunt; opus fuit ad hos compescendos turbines Concilium prorogari. Quum tamen Patres Actione tertia absoluta, veluti peracta Synodo, in Relatione ad Imperatorem abeundi veniam & potestatem enixe ab ipso petierint. *Quum itaque*, inquiunt, *negotium hoc finem Majestati vestrae peroptatum, Ecclesiisque omnibus tutissimum, & fidei firmitatem adferentem jam acceperit: rogamus vestram pietatem, ut ab hac cura & peregrinatione nos tandem absolvat*. Verum excitatae a Johanne Antiocheno & Orientalibus turbae, eorumque in Cyrillo et Memnone exauctorandis, et Oecumenicae Synodi actis irritandis temerarii ausus Patres diutius Ephesi detinuerunt; aliisque Actionibus opus fuit, in quibus cum Cyrillus et Memnon, et acta Synodi vindicarentur; tum Johannis et Orientalium audacia ac temeritas coërceretur. In his autem animadvertere est, quae supra de Conciliorum confirmatione cum insignibus Theologis Bellarmino et Cano observavimus; nempe quod ubi Legati de rebus agendis ac per Synodum definiendis certa a Romano Pontifice mandata deferunt, cum iisque Synodus consentit, non est opus nova Pontificis confirmatione, ut Synodi sententia firma et inconcussa sit. Quod si Legati de aliquo negotio certam, ut ajunt, non adferunt instructionem, quod per Synodum agitur ac definitur, summam non habet et irretractabilem firmitatem, donec Pontificis accesserit confirmatio. Hujusce autem observationis praeclarum extat in hac Ephesina Synodo documentum. Quum enim tribus prioribus Actionibus juxta formam a Caelestino praescriptam Nestoriana haeresis damnata fuisset ac Nestorius exauctoratus, rebusque gestis Legati Sedis Apostolicae ex ejusdem Caelestini praescripto assensum praebuissent; de his ad solum Imperatorem, non autem ad Pontificem sub finem Actionis tertiae relatio per Synodum facta est. At quoniam de turbis per Johannem Antiochenum et Orientales Episcopos concitatis, quum ex insperato erupissent, nihil Legati in mandatis habebant; Synodus Actione quinta ad Caelestinum retulit; quid ad eorum coercendam audaciam interim decrevisset, exposuit; & Johannem tertiae Sedis Antistitem ejusque Symmystas supremo Sedis Apostolicae judicio

dicio

dicio reservavit: *Pietatis tuae judicio hoc reservavimus; interim illos excommunicationi subjicientes, omnique Sacerdotali potestate exuentes, ita ut nullum suis sententiis laedere queant ... Convenientem proinde Sanctitas tua propter ea, quae acta sunt, indignationem concipiat &c.* Cujusmodi autem fuerit ea confirmatio, quam Actione tertia Sedis Apostolicae Legati Caelestini vice ac nomine rebus hactenus gestis adhibuerunt; et quam in ea Sedis Apostolicae ac Romani Pontificis majestas et auctoritas enituerit; non est opus, ut in praesentia pluribus demonstremus, quum id nobis abunde praestitum sit ad Caput XIII. libri superioris Articulo secundo et tertio; unde repeti possunt, quae in hunc locum optime quadrant, atque iterum ingerere et inculcare piget.

Jam ergo ad Eutherii et Helladii litteras paullisper animum advertamus, ex quibus Christianus Lupus pro summa Romani Pontificis in Oecumenicas Synodos auctoritate insigne reperit argumentum, quod paucis exponit, ac refellere nititur Illustrissimus Adversarius: „ Christianus quidem Lupus nuper, *inquit*, „ edidit Epistolam *Eutherii Thyanensis, & Helladii Tarsensis scriptam* „ *ad magni nominis Romae Episcopum Sixtum* (a): in qua petunt „ ab eo, *qui a Deo productus est* „ *gubernator*, retractari ac rescindi „ Ephesinae Synodi acta adversus „ Nestorium; *ac terrarum orbem Sy-* „ *nodo adhaerentem, et cum Sy-* „ *nodo errantem adjuvari; quod est*, „ inquit Lupus (b), *autenticum in-* „ *strumentum appellationis, non ad* „ *Synodum generalem, sed adversus* „ *generalem Synodum interpositae* „ *apud Sixtum III. Pontificem*. Quo „ deinde concludit, quod Orientalis Ecclesia crediderit, *Papam esse* „ *superiorem generali Synodo*. Addere debuisset, *generali Synodo*, auctore ac praesidente per Legatos „ Pontifice gesta, quam *cum toto* „ *orbe terrarum* Sedes etiam Apostolica recepisset: hujus decreta, „ hujus etiam fidem a Romano Pontifice retractari etiam et rescindi „ posse. Sic agit Vir doctus, sed „ ubique nimius, antiquitatis indagator strenuus, parum exactus judex. Nos in egregio antiquitatis „ monumento gaudemus tantam visam esse Haereticis quoque Romani Pontificis majestatem, ut „ qui Ecclesiam perturbatam vellent, ab eo per fraudem nimia „ etiam et inconcessa, neque tantum refutanda, sed etiam irridenda peterent.

Nimia esse reapse, imo & absona, quae Eutherius & Helladius iis litteris a Romano Pontifice petierunt haud equidem diffitemur; at non propterea damus, exsufflandum esse argumentum, quod inde in rem suam & nostram Vir eruditissimus conficit. Si enim ad eas litteras animum diligenter advertimus, comperiemus, Episcopos ab Ephesinae Synodi decretis ad Sedem Apostolicam provocantes, hoc veluti Canone ac principio nixos, quod ipsis cum omnibus Catholicis Episcopis commune tunc erat, ac

(a) Var. PP. Epist. cap. CXVII.

(b) Ibid. in Not.

ac semper fuit; nimirum, quod Romanus Pontifex a Deo productus, hoc est divinitus institutus est orbis universi, id est universae Ecclesiae gubernator ac moderator; & quod hujusce muneris ipsi divinitus commissi ratione ad eum pertinet, non unam dumtaxat aut alteram Ecclesiae partem collapsam erigere, aut labantem sustinere, sed orbem terrarum universum adjuvare, munire, ab errore liberare, a naufragio eripere: *Tuam*, inquiunt, *Deus protulit sanctitatem, per quam bonae spei sumus & nos, quod orbis terrarum ab Aegyptio liberetur errore, qui Moyses novus exsistens omnem quidem Aegyptium haereticum percuties, salvabis vero omnem Israelitam orthodoxum..... Nostrum quidem est ad eum clamare, qui a Deo productus est gubernator..... Sufficit vestra Apostolica Sedes per universum tempus... ad muniendum orbem terrarum... Cujus rei gratia & nos praesuminus has supplicationes offerre, ut adjuvetis orbem terrarum; & in illa parte, quae errat; & in illa, quae tyrrannidem sustinet... Rogamus vero, & sanctis tuae Religiositatis provolvimur pedibus, ut manum porrigas salutarem, & auferas mundi naufragium*. Quis porro Catholicorum in maximis Ecclesiae tempestatibus velut ad communem portum, ad Sedem confugiens Apostolicam, non has aut similes usurpavit voces vel hisce, aut his simillimis uti, sibi unquam religioni duxit? Quis non orbe aegrotante, ad Romanum Pontificem velut ad communem medicum; & ad Sedem Apostolicam, orbe periclitante, velut ad commune omnium Ecclesiarum, ac totius orbis Catholici firmamentum, non sibi properandum existimavit? Videantur, quae superius produximus ex S. Maximo Martyre, & ex S. Sophronii, aliorumque Africanorum Praesulum Synodicis Epistolis in Synodo Lateranensi sub S. Martino I. relectis, necnon & ex S. Ignatii litteris ad Nicolaum I. actione tertia octavae Synodi recitatis; ex quibus, si cum his conferantur, quae mox ex Eutherii & Helladii Epistola descripta sunt, perspicue ac manifeste patebit, eas ad Pontificem voces communem Christianae pietatis sensum, quem non omnino exuerant, ex eorum pectoribus expressisse. Inde autem jure consequi intellexerunt; quod & S. Basilio, S. Flaviano, Theodoreto aliisque persuasum fuisse videtur; ad Sedem Apostolicam pertinere, ut eorum Conciliorum acta rescindat, & omnem auctoritatem evertat, quae ob Episcoporum qui ad ea undique confluxerunt, vel iis adhaeserunt, numerum ac multitudinem pro Oecumenicis habentur, ac propterea periculum esse videtur, ne orbis terrarum fides in discrimen eorum auctoritate adducatur. Hactenus ergo nihil Eutherio & Helladio dictum est, quod non in Ecclesia Catholica didicissent. Sed eorum error in eo versabatur, quod hisce communibus ac pervulgatis regulis ad Synodi Ephesinae eversionem perperam utebantur; quum per eam orbis terrarum fides firmata fuisset, non eversa; quum omnia in ea, non, ut ipsi queruntur, ad unius hominis, hoc est, Cyrilli Alexandrini Praesulis arbitrium; sed ex praescripta a Romano Pontifice forma regulaque peracta fuissent; quum denique, quod ab

ab eis dissimulatur, haec eadem fuissent ab ejusdem Pontificis Romani Legatis auctoritate Apostolica confirmata. Itaque Catholicorum fuisset ad Romanum Pontificem confugere adversus Synodum, cui, quamquam Oecumenica haberi posset ac vellet, Sedis tamen Apostolicae auctoritas defuisset: sed haereticorum aut schismaticorum fuit, id unum praeterire ac silentio tegere, quod eorum plane rationes conturbabat, nimirum fuisse eam Synodum auctoritate Apostolica confirmatam, unde consequens erat, iniri amplius non posse Nestorianae caussae, & Nestorianorum dogmatum retractationem.

ARTICULUS III.

De iisdem Eutherii & Helladii litteris adversus Auctorem notae, quae huicce Capiti in Opere Meldensis Episcopi subjuncta est.

QUi fusiorem notam praesenti Capite adtexuit, quum ei minus probaretur tradita ab Illustrissimo Auctore ad argumentum Lupi responsio; & in iis Episcopis, quorum proinde orthodoxiam vindicare operae pretium existimavit; statuere vellet exemplum, ac praetexere auctoritatem intolerabili quorumdam audaciae, qui Apostolicae Sedis decretis receptis ab omnibus fere totius orbis Episcopis, citra culpam, & schismatis & haereseos notam, a paucis resisti posse contendunt; imo ut etiam adversus Oecumenicae Synodi auctoritatem, quam omnibus votis expetere simulant, si quando eam celebrari contingeret, eos muniret; aliam ejusdem solvendae difficultatis viam ineundam ac proponendam esse judicavit.

Primum autem, ad funditus evertendum Lupi argumentum statuit,,, ab
,, his Episcopis non totum qua patet
,, orbem supponi adhaerentem Con-
,, cilio: adeoque minime adversus
,, generalem Synodum, aut quam ipsi
,, talem putarent, sed adversus coe-
,, tum, quem tali omnino autoritate
,, carere censebant, imploratum Si-
,, xti Pontificis auxilium.

Secundo,, & alterum illud falsum
,, esse pronunciat, quod Lupus addit;
,, nempe solius Sixti judicio permis-
,, sam ab his Episcopis caussam fuis-
,, se, in qua de Concilii generalis
,, autoritate quaereretur.

Tertio ex ipsomet Sixto Pontifice probare nititur, ne tum quidem quum pax Cyrillum inter & Johannem Antiochenum inita est, quidquam duos prædictos Episcopos *contra jus aut leges Ecclesiae peccasse*, quamquam Ephesinae Synodo adhuc obluctari pergerent,, quod ea, inquit, nondum
,, haberetur consensio, cui repugna-
,, re poenale esset, aut universalis
,, Ecclesiae autoritati contumeliosum,
,, quae nihil tota decernere cense-
,, tur, quamdiu non est ex commu-
,, ni examinatione unanimis, adeo-
,, que nec tunc insuperabilem indu-
,, cit parendi necessitatem.

Haec profecto magni, ut nemo non facile intelligit, momenti sunt. Et si quidem cum veritate conjuncta sunt, nihil egregius adferri potuit, ad funditus evertendum Christiani Lupi argumentum. Quare quibus haec omnia momentis nitantur, haud perfunctorie considerandum est.

,, Et quod ad primum quidem at-

„ tinet, absque ulla, *inquit*, ambi-
„ guitate significant, ultro advola-
„ turos ad Sixtum non ex una Pro-
„ vincia, sed *e diversis* plane *regio-*
„ *nibus, id est, Euphratesia, utra-*
„ *que Cilicia, Cappadocia, Bithynia,*
„ *Thessalia, & Moesia Domini Sacer-*
„ *dotes, qui nunc propter Ecclesia-*
„ *rum suarum periculum vice sua Cle-*
„ *ricos dirigerent & Monachos*. Un-
„ de Lupus ipse deducit, hanc ap-
„ pellationem & professionem non
„ fuisse solius Eutherii & Helladii,
„ sed omnium illarum Provinciarum,
„ quae proinde omnes nondum Sy-
„ nodum Ephesinam admiserant. Et
„ ideo *in orbe terrarum*, quem pe-
„ tunt *adjuvari*, distingui volunt par-
„ tem quidem unam, quam ipsi *er-*
„ *rantem* putabant, & alteram, quam
„ *tyrannidem pati* queruntur, & *im-*
„ *pugnari, quod assensum non prae-*
„ *beat*. Haec quidem vera esse fa-
temur; sed an usque adeo delirarent, ut tam modica pars totius orbis terrarum adimere posset Ephesinae Synodo Oecumenici Concilii praerogativam, ex his certe verbis non constat. Quamquam enim in orbe terrarum distingui velint partem quidem unam, quam *errantem* putabant, & alteram, quam *tyrannidem pati* queruntur; hanc tamen adeo modicam esse intelligebant, ut prohibere non posset, quin absolute universo orbi terrarum error adscriberetur. Laudant enim Nestorium, quod *Dei timore praelato, elegit potius multis periculis sibi injuste inferendis tradere semetipsum quam dolis haereticis praebere consensum, & confirmare* TOTIUS ORBIS *errorem*. Synodus ergo Ephesina, quae vocatum ipsis errorem sanxit & confirmavit, *totius orbis* Synodus erat, aut saltem consentientem sibi habebat orbem terrarum; quae Synodi Oecumenicae ipsissima notio est.

Demus tamen, quod Adversarius contendit: „ non eam plane sibi vi-
„ sam Synodum Ephesinam, quae
„ universitatem Christiani nominis aut
„ repraesentaret satis, aut hactenus
„ consentientem haberet: id, in-
quam, ultro Adversario concedamus, quamvis mox relata ipsorum verba aliud aperte significent; quid tum? Ut argumento Lupi sua vis constet, satis est, ut ab eorum Adversariis Ephesina Synodus pro Oecumenica haberetur. Quum enim auctoritatem quaererent, quam ipsis suis Adversariis objicere & se ab eorum sententiis & judiciis tueri possent, ac demum penes quam esset abrogare atque irrita reddere Synodi Ephesinae decreta, frustra fuisset omnis eorum labor, nisi ad Romanum Pontificem tanquam Oecumenica Synodo potiorem ac superiorem provocassent. Nam Cyrillus aliique, quorum, ut ajebant, tyrannide premebantur, Concilii Ephesini tanquam Oecumenicae Synodi decretis nitebantur, ut paullo inferius perspicuis eorum testimoniis demonstrabo. Quare nisi in Romano Pontifice auctoritatem agnovissent, qua retractare posset Concilii generalis decreta, nihil illis actum fuisset, frustraque in eo quaererent, qui *totius orbis errorem* sua auctoritate, corrigeret, quique manum porrigeret salutarem, & *mundi naufragium* auferret. Illis enim ejusmodi auctoritate vel ipsis aperte fatentibus opus erat, quam nisi in Roma-

mano Pontifice & ipsi venerabantur, & eorum Adversarii suspiciebant, de ridiculo habitum iri eorum appellationem perspexissent, ut ad Judicem interjectam, cujus in ea hypothesi non fuisset, Synodi generalis decreta rescindere ac retractare. Itaque, ne verbis ludamus, quamquam ab Eutherio & Helladio nequaquam Ephesina Synodus *Oecumenicae* appelatione donetur; attamen, vel ipsis fatentibus, *totius orbis* suffragio nitebatur, & adversus illam auctoritate sibi opus esse intelligebant, qua posset omnium conspiratione roboratus *totius orbis error* auferri. Quod profecto non erat nisi ejus, cujus in universam Ecclesiam auctoritas, omnium consensione, dominabatur.

Longe facilius evertitur, quod Auctor Notae secundo loco constituit; nempe non ad Sixtum solum tanquam Oecumenica Synodo potiorem & superiorem, sed ad omnes simul Occidentales fuisse ab his Episcopis provocatum: „ Haec enim, *inquit*, Epi„ stola perscripta est ex consilio, quod „ intimatur Alexandro Hieropolita„ no Episcopo, & ceteris Antistiti„ bus Provinciae Euphratensis in „ Epistola, quam idem Lupus ante „ hanc immediate edidit, cujus ipsis„ sima verba sunt: *Dirigendos aliquos* „ *cum communi formula & literis ac*„ *commodis ad Occidentis partes, &* „ *excitandos ad hoc pro fide certa*„ *men eos, qui illic sunt habentes* „ *insitum fidei zelum*: quibus utique „ omnibus, non minus quam Ro„ mano Pontifici, hae literae desti„ natae sunt; licet ad hunc unum „ directus sermo videatur. Et ta„ men ubi distincte petitionem suam „ enuntiant, rogant, *ut horum om*„ *nium inquisitionem jubeat fieri, &* „ *his illicitis caelestem superduci cor*„ *rectionem*; non ut ipse per se „ inquisitionem habeat, aut corre„ ctionem solus inducat.

Attamen litteras, de quibus agimus ad solum directas fuisse Romanum Pontificem, ejusque dumtaxat auxilium imploratum fuisse, nulla prorsus injecta Synodi generalis mentione, tam evidens est, ut nihil exploratius haberi possit; solisque oculis ac litterarum inspectione opus est ad omnem de hac re ex animo scrupulum evellendum. Ad quem enim alium dirigi possunt hae voces: *Contra eos, qui nunc insurrexerunt inimicos, tuam Dominus protulit sanctitatem, per quam bonae spei sumus & nos, quod orbis terrarum ab Aegyptio liberetur errore, qui Moyses novus existens &c.*? Ad quem alium & hae respicere possunt: *Nostrum quidem est ..... ad eum clamare, qui a Deo productus est gubernator, eumque pro amore veritatis, quanta possibile est edocere; tuae autem gratiae sapientiaeque est non despicere &c.*? Denique haud alium, quam Romanum Pontificem adloqui possunt iis verbis, quae mox subjiciemus, ex quibus constabit, perinde esse has litteras ad solum Pontificem destinatas, quam quae ad Regem Galliae inscribuntur, ejusque in aliqua re opem & auxilium implorant.

Quo ergo, inquis, ea verba spectant, quae Notae Auctor ex praecedenti Epistola refert? *Ut dirigatis aliquos cum communi hac formula &c. & excitetis eos, qui illic sunt &c.*

Dicimus, hosce praeter Romanum Pontificem, haud alios esse, quam qui Sedis Apostolicae, & Ecclesiae Romanae Clerum constituebant, qui Romano Pontifici in rebus gerendis adesse solent. Sic S. Sophronius Hierosolymorum Patriarcha Stephanum Dorensem *ad Sedem Apostolicam* destinans, illi in mandatis dabat, *ut non semel, non bis, sed multo saepius aperiret sacris Viris ibidem consistentibus omnia secundum veritatem, quae in istis partibus mota sunt, & non quiescas instantius expetens, atque exorans eos, donec ex Apostolica prudentia, quae in Deo est, ad victoriam judicium perducere debeant, noviter introductorum dogmatum perfectam faciant secundum Canones destructionem*. Quae verba nemo nisi insanus negaverit, ad solum Romanum Pontificem, & eos, qui Pontifici assident, pertinere: quibus utique satis virtutis & auctoritatis S. Sophronius inesse fatebatur ad debellandam impietatem, & prava dogmata evertenda, quae per universum Orientem immaniter grassabantur. Sic prorsus Eutherius & Helladius solam Apostolicam Sedem sufficere existimabant, ad reprimendam, ut ipsi ajebant, impietatem, ad muniendum orbem terrarum, eumque a naufragio eripiendum: *Et olim siquidem saepius jam ex Alexandria hujusmodi haereticis zizaniis insurgentibus, suffecit vestra Apostolica Sedes per universum tempus illud ad mendacium convincendum, impietatemque reprimendam, & corrigenda, quae necessarium fuit, muniendumque orbem terrarum, ad gloriam Christi, tam sub illo ter beato, & inter sanctos habendo Episcopo Damaso, quam sub pluribus aliis, gloriosis, atque admirabilibus. Cujus rei gratia & nos praesumimus has supplicationes offerre, ut adjuvetis orbem terrarum &c.* An & haec verba ad alium spectare possunt, quam ad eum, qui Sedi Apostolicae praesidebat? Cui si satis virium inerat ad convincendum mendacium, ad reprimendam impietatem, ad muniendum orbem terrarum; quid opus erat, ut aliorum auxilium & opem implorarent, ut ad alios legatos & litteras destinarent, ut ab aliis peterent caelestem illicitis superduci correctionem? Reapse tamen quemadmodum Sophronius Stephanum Dorensem; ita Eutherius, Helladius, et alii, qui in eodem atque ipsi luto versabantur; haud alio, quam ad Apostolicam Sedem suos & Legatos & litteras direxerunt: *Quae* inquiunt, *ex parte quidem videntes, ex parte vero audientes concurrissemus ad Sanctitatem tuam nos, qui e diversis regionibus sumus ..... nisi detineret nos Luporum terror &c. Unde coacti sumus nostra vice dirigere religiosissimos Clericos & Monachos, qui impleant locum nostrum. Quaesumus igitur, ut absque dilatione exurgatis, & fervido zelo magnum victoriae trophaeum contra aemulorum cuneos erigatis &c.* Quae omnino consona iis sunt, quae paullo ante ex Sophronio audiebamus, quibus Stephano Dorensi mandabat, ut tamdiu apud Sedem Apostolicam ageret, quamdiu ad victoriam judicium perduxisset. Ubi quaeso in iis, quae adduximus verbis, imo & in tota Epistola, Synodi generalis ab his Episcopis expetitae

vola

vola aut vestigium ? Nam quod Notae Auctor ex hisce eam verbis extundit : *Omnium horum inquisitionem jubeas fieri, & his illicitis caelestem superduci correctionem* ; vereor , ut multis suadere possit , fuisse rem tantam adeo obscuris & aequivocis ambiguisque vocibus expetitam : praecipue quum ab ipso ante petierint, ut hujusmodi quaestionem tantamque caussam ipse perscrutaretur nulli parcens labori ; ut quae perperam gesta fuerant ipse cum tota constantia & animi alacritate emendaret ; professi ad haec omnia satis esse in Sede Apostolica auctoritatis : *Tuae autem gratiae sapientiaeque est non despicere , neque otiose transcurrere hujusmodi quaestionem tantamque caussam : sed & perscrutari cum dilectione boni laboris , & imponere emendationem cum tota constantia , & Deo dilecta fiducia*. Ac statim subjungunt, quae antea descripsimus, quod non semel ex Alexandria erumpentibus haeresibus *sufficit Apostolica Sedes* ad reprimendam impietatem , & muniendum orbem terrarum .

Longe accuratius expendenda essent quae tertio loco, duabus praecedentibus propositionibus confirmandis , idem Notae Auctor adjungit ; nimirum , quod *nihil contra jus aut leges Ecclesiae peccarint* , qui Duce Johanne Antiocheno, Ephesinae Synodo restiterunt „ quod ea nondum „ haberetur consensio, cui repugnare „ poenale esset, aut universalis Ec„ clesiae auctoritati contumeliosum , „ quae nihil tota decernere cense„ tur , quamdiu non est ex commu„ ni examinatione unanimis , adeo„ que nec tunc insuperabilem indu„ cit parendi necessitatem . Propositionem, inquam , adeo temerariam accuratius expendere oporteret , ut quam illa a communi & constanti omnium saeculorum doctrina , traditione , ac disciplina abhorreat, omnibus plene ac perspicue constaret. Verum id longius me a proposito opere abduceret . Quare iis tantum refellendis insistam , quae ex quibusdam Sixti Pontificis verbis in alienum sensum insigni fraude detortis , & ex ejusdem erga Johannem Antiochenum aliosque Orientis Schismaticos oeconomia , in sui erroris confirmationem temerarius Adnotator adducit .

„ Idem , *inquit* , (Sixtus) sem„ per putavit , tam Johannem An„ tiochenum , quam ceteros Orien„ tis Episcopos , *qui sententiam suam* „ *suspenderant* , ne Helladio quidem „ nostro & sociis exceptis , quos „ Synodus Maximiani dejecerat, *su*„ *stinendos* , nec aures unquam ac„ commodare voluit instantibus , ut „ pro contemtu Synodi exerceret in „ illos auctoritatis Apostolicae seve„ ritatem . Imo post pacem testatus „ est nihil tunc a se , nisi *praeco*„ *quum* & praeceps in ipsos *agi* vel „ decerni potuisse . Hac quidem erga Johannem Antiochenum ipsique adhaerentes Orientis Episcopos usum esse Sixtum oeconomia , ultro agnoscimus ac fatemur . Sed hujusce rei ac dispensationis rationem probare non possumus , quam notae Auctor commentus est , ac sequentibus verbis exponit .

„ Quia nimirum quidquid alias per„ peram egissent contra Synodum , „ aut Cyrillum ejus Praesidem , & „ vi-

„ vices, ut ipse gloriatur, Romani „ Pontificis tenentem ; nihil tamen „ contra jus aut leges Ecclesiae pec- „ cassent, hoc circa rei caput, id „ est, caussam Nestorii, *statuentes*, „ *quod a Ducibus fidei sua deberet* „ *perfidia judicari*. Unde nec dice- „ re dubitat, *Christum Deum*, tunc „ demum *quam vere sit sua caussa* „ *monstrasse*, quando jam consum- „ mata pace, *ita res visus esset gu-* „ *bernare*, *ut tantae rei & talis ju-* „ *dicium servaret suorum conventui* „ *Sacerdotum*. Ergo quantacumque „ autoritate per se polleret Ephesi- „ na Synodus, inquisita & patefacta „ apud tam multos, inter se & cum „ Romano Pontifice consentientes, „ veritate ; non tamen adhuc abso- „ lutissime liquebat, suspenso Jo- „ hannis & aliorum Orientalium suf- „ fragio, *quam vere in ea Christi* „ *caussa acta esset*. Et hi quidem „ in Sixti sinu querelas suas depone- „ re poterant, uti fecisse videntur „ hac Epistola Eutherius & Hella- „ dius sed, *tantae rei & talis* sum- „ mum & ineluctabile *judicium* non „ ideo servabatur Sixto soli, sed, „ teste Sixto, *tali Sacerdotum Con-* „ *ventui*, in quo vel *cuncti Duces fi-* „ *dei*, ut volebat Johannes Antio- „ chenus, vel, ut loquitur ipse „ Sixtus, *Apostolici*, id est, Se- „ dium Apostolicarum rectores om- „ nes cum suis Coëpiscopis uniren- „ tur.

Haec produnt Auctoris nostri vel pessimam fidem, vel in evolvendis Veterum monumentis crassam & supinam oscitantiam : Tota enim haec fabula ex Sixti verbis composita est aut per summam inscitiam prave intellectis, aut per summam malitiam in alienos sensus nequissime detortis. Ait ergo primum, nihil Orientales contra jus aut leges Ecclesiae peccasse, circa caussam Nestorii *statuentes*, *quod a Ducibus fidei sua deberet perfidia judicari*. Et infra : *Cuncti Duces fidei*, ut volebat Johannes Antiochenus. Itaque haec Sixti verba ad Johannem Antiochenum & Orientales ex ejus sententia referenda sunt. Perperam omnino : quum Sixtus manifeste loquatur de suavi Christi Domini Providentia, qua statuerat, ut tandem ab omnibus fidei Ducibus Nestorii perfidia damnaretur ; quod tum demum perfectum est, quum Johannes Antiochenus tertiae Sedis Antistes ad damnandum Nestorium sese Cyrillo Alexandrino, ac Romano Pontifici adjunxit : *Nam quid*, inquit laudatus Pontifex, *in inventorem malorum posset aliud* (Johannes) *judicare*, *nisi quod probatur ipse per Sacerdotes suos*, *cujus agebatur caussa*, *sentire? Statuerat hoc nimirum de nostrorum desertore castrorum*, *quod a Ducibus fidei sua deberet perfidia judicari* : quorum verborum apertissimus sensus est, Quod Johannes de Nestorio aliud reapse, & potentia cum effectu conjuncta, sive ut Theologi de schola loquuntur, potentia consequente judicare non poterat, quam statuerat ille cujus per Sacerdotes suos caussa agebatur ; hic vero quis alius nisi Christus? qui aeterno suo decreto statuerat, ut ab omnibus fidei Ducibus, hoc est ab omnibus Patriarchis & praecipuarum Sedium Episcopis, Nestori perfidia judicaretur. Cui sane ordinationi, uti dictum est, resi-

resisti a Johanne re ipsa & cum effectu non potuit.

Ait praeterea notae Auctor, Sixtum dicere non dubitasse, tunc demum, *quam vere sit sua caussa monstrasse, quando jam consummata pace, ita res visus esset gubernare, ut tantae rei & talis judicium servaret suorum conventui Sacerdotum*; in quo vel *cuncti Duces fidei*, ut volebat Johannes Antiochenus, vel ut loquitur ipse Sixtus, *Apostolici*, id est, Sedium Apostolicarum rectores omnes, cum suis Coepiscopis unirentur: quum antea, suspenso Johannis & aliorum Orientalium suffragio, *quam vere in ea*, id est, in Ephesina Synodo, *caussa Christi acta esset*, nondum absolutissime liqueret. Itane vero Lectorum simplicitati illudere libet? Itane in re adeo manifesta aut fallere aut falli delectat? Conventus Sacerdotum, quem Adversarius pro Synodo obtrudit, in quam omnes fidei Duces, vel omnes *Apostolici*, id est Apostolicarum Ecclesiarum Rectores convenerint, & in qua demum demonstratum sit, quam vere in Ephesina Synodo Christi caussa acta esset; nihil est aliud, quam Conventus Episcoporum, qui Romam alia omnino de caussa, hoc est, ad celebrandum Sixti natale convenerant: accidit autem, ut quum Romae ejusmodi conventus Episcoporum adesset, literas a Cyrillo Sixtus acciperet, quibus ipsi pacem cum Orientalibus initam significabat, damnato ab ipsis Nestorio, & Maximiani in ejus locum ordinatione suscepta. Quas litteras quum ad S. Petri confessionem omnibus Episcopis perlegisset, omnium de reditu Johannis & aliorum Orientalium gratulationes suscepit: qui proinde probare visi sunt, quod Sixtus miti usus oeconomia (cui non deerant qui obloquerentur) & patientia sua & lenitate Johannis & aliorum obstinationem perfregisset, eosque tandem ad Ecclesiae Catholicae unitatem revocasset. Itaque hanc caelestis Providentiae divinam ordinationem, qua Christus providerat, ut quum ille Episcoporum conventus Romae ad Sancti Petri memorias haberetur, peractae pacis nuncias Cyrilli litteras Sixtus reciperet, eaque pax cum omnium gratulatione susciperetur, pro certo ac manifesto indicio & argumento laudatus Pontifex habuit, quod in universo hoc negotio, ac potissimum in ea miti ac benigna, qua erga Johannem & ceteros Orientales usus fuerat dispensatione, revera Christi caussa, secus ac quibusdam visum fuerat, acta esset. En Sixti verba (a): *Christus denique Deus noster, quam vere sit sua caussa, monstravit; quando ita res dignatus est gubernare, ut tantae rei & talis judicium servaret suorum conventui Sacerdotum. In unum congregati Apostoli de fide saepe tractarunt: in unum nunc convenientes Apostolici, de ejus victoria gratulantur. O relatio digna mittente, digna conventu! Gaudii caelestis judicium tales habere debuit cognitores*. Quinam fuerint ejusmodi Apostolici cognitores, & ubi fuerit habitus ille Sacerdotum conventus, sequentia ver-

(a) Epist. ad S. Cyril. Alex. 3. Par. Conc. Ephes. Cap. XLI.

verba aperte demonstrat: *Et quia res & caussa deposcit, locum quoque, ubi fuerant congregati, convenit non taceri. Ad Beatum Apostolum Petrum fraternitas universa convenit. Ecce auditorium congruens, auditoribus conveniens Audiendis. Habuerunt Coepiscopi nostri illum congratulationis testem, quem habemus honoris exordium. Sanctae namque & venerabili Synodo, quam natalis mihi dies, favente Domino, congregarat, quia sic credendum est, ipse* (S. Petrus) *praesedit; quandoquidem probatur, nec spiritu, nec corpore defuisse. Adfuit palmae, qui contentioni non defuit &c.* Haec itaque Synodus est, de qua tanta notae Auctor commentus est: Hic ille Sacerdotum conventus, de quo tam praeclara & mirifica praedicavit; in quo voluerat Johannes *cunctos Duces fidei*, vel, ut loquitur Sixtus, *Apostolicos* id est Sedium Apostolicarum rectores omnes, cum suis Coëpiscopis convenire; & in quo tandem Christus demonstrare voluit, quam vere ipsius caussa in Ephesina Synodo acta esset. Ita ne in re tam gravi bonis Viris, & nihil mali suspicantibus licet illudere? Quos ergo Sixtus Apostolicos vocat, haud alii sunt, quam Episcopi, qui ad Sedem Apostolicam convenerant, & fidem Apostolicam sectabantur, quemadmodum hujusce vocis notionem in Epistola ad Johannem Antiochenum Sixtus ipse declarat (a): *Ut sensu puro sequentes Apostolos, inter Apostolicos esse mereamur.*

Sixti verbis quam turpiter notae Auctor sit abusus, perspicue, ut mihi videtur, ostendi. Cetera ergo, quae suae confirmandae opinioni idem Auctor adducit: non sine debita censura praetereamus: „ Quod dudum, „ *inquit*, edoctus in Ecclesia Theo„ dosius Imperator, primum quidem „ cum Synodo Ephesina, sub Cae„ lestino Sixti Decessore, adhaesit, „ & Cyrillum ac Memnonem suis „ Ecclesiis reddidit, nunquam tamen „ adduci potuit, ut in Johannem & „ alios Orientales Episcopos gravius „ quidquam decerneret; e contra„ rio vero ipsius Synodi Episcopis „ edicto palam proposito significavit, „ *quod quamdiu victurus esset*, eodem „ statu rerum manente *Orientales Epis„ copos non condemnaret, in nullo co„ ram se convictos*, & paratos ubivis „ congredi, & tractare cum aliis, *ne„ mine volente cum his disceptare*. Po„ stea vero cum de pace tractari coe„ ptum est, dejectiones omnes, sive „ privationes, aut interdictiones, me„ dio tempore attentatas, irritas esse „ voluit, quas Sixtus item *praecoquas* „ judicabat & immaturas, quod ea „ nondum haberetur consensio, cui „ repugnare poenale esset &c.

Quum Regum atque Imperatorum non sit de fidei caussis & Ecclesiae judicium proferre, haec Theodosii decreta aliter probare non possumus, quam Sixto Pontifici probata fuerunt. Hic vero non ideo dejectiones Episcoporum, qui Ephesinae Synodi decretis reluctabantur, immaturas & *praecoquas* judicabat, quod ea nondum haberetur consensio, cui repugnare poenale esset &c. sed, quod Johannem Antiochenum & alios Orienta-

ta-

(a) Ubi sup. cap. XLII.

tales, quos Nestorii Personae, non dogmati patrocinari, haud immerito judicabat, ipsius quoque Nestorii damnationi ac dejectioni, & Maximiani in ejus locum subrogationi, deque his rebus decreto Synodi consensuros sperabat; ac proinde & patientia, & lenitate, ac prudenti oeconomia eos interim *sustinendos*, eorumque animos expugnandos existimabat. Hanc enim cum ipsis agendi rationem prudenti dispensationi, & Apostolicae oeconomiae tribuendam esse, latissime Thomassinus demonstrat Dissert. X. in Synod. Ephes. I. num. XLIV. et seqq. ubi inter cetera eleganter observat, ac monet: Quod Orientales in Cyrilli anathematismos & in Synodum Ephesinam moliti sunt, non jura sed facta esse; nec in exemplum trahenda, sed damnanda prorsus: etsi tunc ex indulgentia ea dissimulari ab Ecclesia Catholica necessum fuerit: Ac subjungit: Nemo ergo Johannis, nemo Orientalium abutatur exemplo. Nam quod remisso tunc jure toleratum est, id alias forsan ex juris rigore percelleretur. Dispensationis quippe non necessitas, sed potestas & arbitrium penes Ecclesiam est: aut non alia saltem, quam ex sua ipsius caritate profecta necessitas. Ceterum haec ita velle interpretari, ut quodam quasi jure nitantur, quod nondum habito Orientalium suffragio, ea nondum haberetur consensio, cui repugnare poenale esset, aut universalis Ecclesiae auctoritati contumeliosum, ab ipsius Sixti Pontificis mente per quam alienum est, qui ante initam pacem haec ad Cyrillum scripserat (a): *De Antiocheno autem, & reliquis, qui cum eo sectatores fieri Nestorii voluerunt, & de cunctis vero, qui contra Ecclesiasticam disciplinam Ecclesias regunt, accipientes, hoc definivimus custodiendum; ut si resipuerint, & cum suo Duce, rejecerint omnia, quaecumque sancta Synodus, nobis confirmantibus, rejecit, redeant in Sacerdotum consessum. Sicut enim persistentes prioribus, non potuerunt in nostra esse communione: sic volumus, eos, propter unitatem ac pacem Ecclesiarum, satisfacientes, ut diximus, suscipi. Ipsi vero invenientur in se ipsos aequam sententiam protulisse, si extra manentes ostenderint, se cum dejecto & expulso tantae impietatis socios atque participes.* Itaque Sixtus quamquam Orientales, prudenti quadam utens oeconomia, nondum e suis sedibus dejiciebat, attamen eos in sua & Ecclesiae Catholicae communione non habebat, nec eos suscipiendos, & in sacerdotum consessum revocandos decernebat, nisi resipiscentes, nisi satisfacientes, nisi rejicientes omnia, quae Synodus Ephesina per Sedem Apostolicam confirmata rejecerat: cui proinde resistere & poenale erat, & universali Ecclesiae contumeliosum; quaeque adeo jam tunc inducebat insuperabilem parendi necessitatem: ut ipsemet Illustrissimus Auctor, ad quem tandem adnotator provocat, diserte his verbis fatetur (b): „ Postremo Caelestinus ipse, re tota peracta, ad „ san-

(a) 3. Par. Conc. Ephes. ex nova Baluz. Collect.
(b) Sup. lib. XII. Cap. XIII. num. X.

„ sanctam Ephesinam Synodum mittit „ Epistolam, quam sic auspicatur ; „ *Tandem malorum fine gaudendum* „ *est*: Ubi *finem* agnoscat, Lector „ eruditus intelligit. Post damnatum „ scilicet Oecumenici Concilii, hoc „ est, totius Ecclesiae Catholicae „ INDECLINABILI AUTORITATE Ne- „ storium,

CAPUT IV.

„ De Ephesino Latrocinio : Quid „ Leo egerit : ut ultimam senten- „ tiam futurae universali Synodo „ reservavit.

FAtetur Illustrissimus Adversarius, majore verisimilitudine a nobis objici Ephesinam Synodum pro Oecumenica a Theodosio Augusto, S. Leonis consensu, convocatam, quam tamen idem Leo irritam declaravit. Respondet tamen, eam Synodum, licet legitime congregatam, ab ipsis initiis legitimae Synodi titulo caruisse. Verum actorum in ea Synodo *nullitatis* eas rationes adfert, quibus, ut supra ostendimus, quum de Chalcedonensi Synodo dissereremus, manifeste probatur, totam Oecumenicae Synodi potestatem ex Romani Pontificis auctoritate pendere; quum eo neutiquam consentiente, irrita sit & plane nulla Synodi Oecumenicae celebratio; irrita pariter & nulla sint Concilii generalis decreta, quae non juxta normam & regulam a Pontifice Romano praescriptam condita fuerint. Quae, ipsomet fatente Illustrissimo Adversario, praecipuae sunt rationes, ob quas omnes, inquit, agnoscunt, Ephesinam secundam Synodum, non modo iniquam, verum etiam per se nullam & irritam fuisse, neque tantum propter vim, sed etiam vel maxime ex defectu potestatis, quo defectu nullus est major.

„ Jam vero, *subjungit*, nemo ne- „ gat, ad Papae officium pertine- „ re, ut his provideat, detque „ operam, ne Fideles Concilii Oe- „ cumenici nomine in fraudem in- „ ducantur. Id vero nos contendimus, congrue & efficaciter fieri non posse, nisi Romani Pontificis sit, Acta Oecumenicae Synodi retractare, eaque auctoritate sua & judicio rata vel irrita declarare; auctoritate, inquam, & judicio, cui a nemine resisti possit, & quae compescere valeat eorum contumaciam, qui rationibus, quibus aliqua Synodus irrita demonstratur, minime moveantur.

Itaque officio suo continuo functum esse Leonem, Meldensis Episcopus observat: „ Verum ita, *in-* „ *quit*, sententiam temperavit suam, „ ut judicium daret, non peremto- „ rium, sed provisorium. Itaque „ Ephesinam Synodum ratam esse „ non est passus: Flavianum in com- „ munione habuit, omniaque inte- „ rim in suspenso esse voluit, quo- „ ad Oecumenica Synodus habere- „ tur. Synodo congregandae ulti- „ mam sententiam reservavit. Id probat ipsius S. Leonis, & S. Gelasii testimoniis, in quibus quanti momenti sit, postea videbimus: ac subinde quaerit: „ Quid ergo hic „ consequuntur superioritatis Pontifi- „ ciae Defensores? Nempe, *inquit*, „ ut Pontifex Synodum per se ab „ ipsis initiis nullam & irritam,

„ non

„ non admittat ille quidem; ultimum „ tamen judicium futura Synodus re- „ linquat arbitrio. Quodnam hîc „ ejus, quam quaerunt, superiorita- „ tis indicium est? Nos autem, praeter illa, quae jam indicavimus, hujusce *superioritatis* indicia & argumenta; falsum quoque omnino esse contendimus, quod ipse Illustrissimus Adversarius docet, ut, quoad ejus fieri potest, Romani Pontificis in hoc negotio auctoritatem deprimat; nempe adversus hanc Synodum Ephesinam dedisse Leonem judicium, *non peremtorium*, *sed provisorium*: Synodo congregandae ultimam sententiam reservasse: ultimum judicium futurae Synodi arbitrio reliquisse. Haec, inquam, falsa esse contendimus, & sequenti Articulo demonstrandum aggredimur.

ARTICULUS UNICUS.

S. Leo secundam Ephesinam Synodum supremo ac peremtorio judicio nullam & irritam declaravit.

SAnctum Leonem statim atque per Hilarum Diaconum, qui Epheso Dioscori tyrannidem fugiens, Romam pervenerat, certior eorum factus est, quae in Ephesino Latrocinio contra Canones ac tyrannice gesta fuerant, omnia ipsius acta in Romana Synodo rescidisse, ac penitus reprobasse, ipsemet Hilarus in Epistola ad Pulcheriam Augustam locupletissimus testis est: *Vestra*, inquit (a), *veneranda Clementia cognoscat*, *a praefato Papa cum omni Occidentali Concilio reprobari omnia*, *quae in Epheso contra Canones per tumultus & odia saecularia a Dioscoro Episcopo gesta sunt*, *& nulla ratione haec in his partibus suscipi posse*, *quae per potentiam praedicti non sine laesione fidei*, *& praejudicio sanctissimi Viri innoxiique commissa sunt*. Itaque falsum omnino est, quod quidam apud Cl. Thomassinum (b) commenti sunt, & quod idem Auctor argumentum esse docet *haereticae vertiginis & imperitiae*; nempe S. Leonem solo dissensu, non autem vero & Synodico judicio acta Ephesina irritasse: falsum quoque quod Meldensis Episcopus docet, & in idem recidere videtur, nempe laudatum Pontificem satis habuisse, quod eamdem Ephesinam Synodum ratam esse, passus non est: quod Flavianum in communione retinuit: quod omnia interim in suspenso esse voluit, quoad Oecumenica Synodus haberetur. Falsa prorsus haec esse, ex adlatis Hilari verbis apparet, quibus aperte testatur, Sanctum Leonem Ephesinae Synodi acta non modo rata non habuisse, verum ea Synodico judicio penitus reprobasse; nec tali judicio, quod a futurae Synodi judicio penderet, aut posset aliquando retractari; sed quo constabat, *nulla ratione ea suscipi posse*, quae auctore Dioscoro Ephesi gesta fuerant.

Multo autem id luculentius demonstratur ex ipsomet S. Leone Epistola XLII. ad Marcianum Augustum, in

(a) 1 Par. Conc. Chalced. cap. XXIV.
(b) Dissert. XI. in Conc. Constantinop. sub. Flav. & Ephes. II. n. XV.

in qua conceptis disertisque verbis declarat, non esse in proxima Synodo retractandum, utrum Eutyches impie senserit, & utrum impie Dioscorus judicarit; quo nihil disertius desiderari potest ad Illustrissimi Auctoris opinionem refellendam: *Nimis*, inquit, *iniquum est, ut per paucorum insipientiam ad conjecturas opinionum, & ad carnalium disceptationum bella provocemur: tanquam* REPARATA DISCEPTATIONE TRACTANDUM SIT, UTRUM EUTYCHES IMPIE SENSERIT, ET UTRUM IMPIE DIOSCORUS JUDICARIT, *qui in sanctae memoriae Flaviani condemnatione se perculit, & simpliciores quosque, ut in eamdem ruinam provolverentur, impegit*. Si Leo, ut vult Meldensis Episcopus, judicium dederat non peremptorium, sed provisorium; si omnia in suspenso esse volebat, quoad Oecumenica Synodus haberetur; si ultimum judicium futurae Synodi relinquebat arbitrio; utique in proxime futura Synodo reparata disceptatione tractandum erat, utrum impie Dioscorus judicasset. Quod tamen ne fieret, S. Leo gravissimis hisce verbis cavebat.

Praeterea idem sanctissimus Pontifex, non modo Flavianum, non modo Eusebium Dorilaeensem praedatoriae Synodi sententia dejectos, in communione retinuit, & pro Episcopis habuit; verum etiam Clero & Populo Constantinopolitano scribens apertissime protestatus est, se nunquam in sua communione, vel inter Episcopos habiturum, qui, incolumi ac superstite Flaviano, fuisset in ejus locum Regiae Urbis Episcopus ordinatus (a): *Quisquis enim*, inquit, *incolumi atque superstite Flaviano Episcopo vestro, sacerdotium ejus ausus fuerit invadere, nunquam in communione nostra habebitur, nec inter Episcopos poterit numerari*. Quod profecto Leo non scriberet, si adversus Ephesinum Concilium judicium dedisset provisorium, non peremtorium, ultimum autem de illo judicium futurae Synodi reliquisset arbitrio: juxta hanc enim hypothesim scribere debuisset, se neque in sua communione, neque inter Episcopos habiturum, quicunque Flaviani Sacerdotium ausus fuisset invadere, antequam Synodus Oecumenica haberetur, quae Ephesini Concilii acta probaret, ejusque de Flaviano judicium confirmaret. Profecto quum ea Sanctus Pontifex ad Constantinopolitanos scribebat, definitivam sententiam de Ephesino Latrocinio protulerat, cujus judicio fuerat Flavianus exauctoratus.

Quid ergo, inquis, Synodo opus fuit, si Leo peremtorio judicio Ephesinae Synodi decreta resciderat? Quid ergo, inquam, S. Leo Episcopos, qui in Ephesino Latrocinio ceciderant velut ab Ecclesiae communione submotos non nisi tanquam poenitentes, & immane facinus detestantes, atque damnantes, proque illo plenam exhibentes satisfactionem, ad eamdem revocandos esse decrevit (b)? *Qui plenius satisfactionibus male gesta condemnant, & accusare magis se eligunt, quam tueri, pacis & communionis nostrae uni-*

(a) 1. Par. Conc. Chalced. cap. XXII.
(b) Epist. XL. ad Anatol. cap. I.

unitate laetentur : ita ut digno prius anathemate, quae contra fidem Catholicam sunt recepta, damnentur. Quid, inquam, id statuit S. Leo, si omnia interim in suspenso esse volebat, quoad Oecumenica Synodus haberetur? Quid etiam, si omnia interim in suspenso esse debebant, idem S. Leo constituit, ne Dioscori, Juvenalis, & Eustathii nomina ad sacrum altare recitarentur? quoniam, inquit (a), *iniquum nimis est atque incongruum, eos, qui innocentes & Catholicos sua persecutione vexarunt, Sanctorum nominibus sine discretione misceri; quum damnatam impietatem non deserentes, ipsi se sua pravitate condemnent; quos convenit aut percelli pro perfidia*; id est, non modo a communione removeri, verum & suis Sedibus deturbari; *aut laborare pro venia*. Quid est, quod eosdem sceleris Auctores, etiam poenitentes, & a facti sui defensione cessantes, suumque damnantes errorem, proque illo satisfacientes, non tamen recipi in communionem permittit; sed Apostolicae Sedi reservari decernit, quae de illis, omnibus mature perpensis, sua auctoritate constituat (b)? *Si forte resipiscunt, & a facti sui defensione cessantes, in condemnationem proprii convertuntur erroris, horum si satisfactio talis accedit, quae non refutanda videatur, maturioribus Apostolicae Sedis consiliis reservetur, ut examinatis omnibus atque perpensis, de ipsis eorum actionibus, quid constitui debeat, aestimetur.* Denique, si ultimum judicium futurae Synodi relinquebatur arbitrio, quid est, quod Sanctus Pontifex conceptis verbis nolebat, reparata disceptatione tractari, utrum impie Dioscorus judicasset? Synodo ergo, Leonis judicio, opus erat, non ut gestorum Dioscori facta ab ipso damnatio retractaretur; sed, ut in eadem ad Marcianum Epistola statim subjungit, *multis jam ex iis, qui Ephesi ceciderant ad satisfactionis remedia conversis, & veniam de inconstanti trepidatione poscentibus, tractaretur, qualiter esset eorum precibus annuendum*: ut Dioscorus, Juvenalis, Eustathius, aliique Latrocinalis Synodi duces in futuro Concilio aut laborarent supplicarentque pro venia, aut suis sedibus pellerentur: denique, ut injuria, quae Sedi Apostolicae fuerat per male gestam Synodum, irrogata, etiam per bene gerendam Synodum, & non solum ipsius Sedis Apostolicae animadversione repararetur.

Hunc esse verborum Gelasii, quae Meldensis Episcopus objicit, genuinum sensum, adeo perspicuum est, ut mirum profectò sit, Sanctum Pontificem opinionis suae testem ab eo fuisse productum. Nam eo ipso in loco, quem Bossuetius objicit, adeo Sanctus Pontifex expresse docet, Ephesini Concilii decreta sola sua auctoritate Sedem Apostolicam rescidisse, ac rescindere potuisse, ut nihil disertius desiderari possit (c): *Sed nec illa praeterimus, quod Apostolica Sedes frequenter, more majorum, etiam*

(a) Ibid. cap. II. (b) Epist. XLVI. ad Anatol. Tom. IV. Concil.
(c) Epist. XIII. ad Episc. Dardan.

etiam sine ulla Synodo praecedente, *& absolvendi*, *quos Synodus inique damnaverat*, *& damnandi*, *nulla exsistente Synodo*, *quos oportuit*, *habuerit facultatem*. Ac duobus aliis, hoc est, in Athanasio & Chrysostomo restituendis, hujusce rei prolatis exemplis; *item que*, subjungit, *sanctae memoriae Flavianum*, *Pontificum congregatione damnatum*, *pari tenore*, *quoniam sola Sedes Apostolica non consensit*, *absolvit*; *potiusque qui illic receptus fuerat*, *Dioscorum secundae Sedis Praesulem sua auctoritate damnavit*, *& impiam Synodum*, *non consentiendo*, *submovit*, *ac pro veritate*, *ut Synodus Chalcedonensis fieret*, *sola decrevit*. Quin & adjungit, ac merito adjungit, quod quidquid adversus Ephesina decreta in Chalcedonensi Synodo decerni debuit, sola ipsa Sedes Apostolica praescripsit, ac proinde merito ad ejus tantum refertur auctoritatem: *In qua* (Chalcedonensi Synodo) *Pontificibus innumeris*, *qui latrocinio corruerant Ephesino*, *veniam poscentibus*, *sola concessit*; *& in sua perfidia permanentes*, *nihilominus sua auctoritate prostravit*. His porro Chalcedonensem Synodum consensisse: quoniam, quemadmodum quod Ephesina Synodus absque Sedis Apostolicae auctoritate decreverat, ab eaque fuerat improbatum, constare non poterat: ita quod eadem Sedes Apostolica probaverat ac decreverat, non poterat Chalcedonensi Synodo non probari: *Quam* (Sedem Apostolicam) *Congregatio*, *quae illic* (Chalcedone) *pro veritate reparanda collecta fuerat*, *est secuta*: *quoniam*, *sicut id*, *quod prima sedes non probaverat*, *constare non potuit*; *sic quod illa censuit judicandum*, *Ecclesia tota suscepit*. Itaque, Gelasii judicio Ephesinae Synodi acta Sedes Apostolica sola rescidit, & in eadem sententia confirmanda obsequentem Chalcedonensem Synodum habuit.

CAPUT V.

„ A Chalcedonensi Synodo nullam in
„ fidei negotiis confirmationem
„ petitam: Cujusmodi sit ea; quam
„ S. Leo ultro dederit.

In Concilio Chalcedonensi, quemadmodum omnes norunt, & Illustrissimus Adversarius observat, & fidei regula ac definitio promulgata est, & aliquot conditi sunt Canones ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentes. Porro in praesenti Capite de sola fidei confirmatione tractatur: De Canonibus autem per Leonem probatis aut improbatis Capite octavo disseritur: „ Et quidem, *inquit*, quod „ ad fidem, fideique caussa depositum Dioscorum, attinet; Patres „ Chalcedonenses in Relatione ad „ Leonem, nullam confirmationem „ petunt, satis esse rati, quod Leonis Epistolam praelucentem; ipsum „ sibi, *ut membris caput*, *praesidentem*, *ac spiritu praesentem* ac pene in Legatis visum, habuissent. Et nos id satis esse fatemur, ut edita per Synodum Oecumenicam fidei definitio statim invictum robur obtineat, & irretractabilem firmitatem. Verum quum ejusmodi auctoritas Conciliorum de fide decretis non adsit, nisi propter eorum cum edita a Romano Pontifice fidei Catholicae formula consonantiam; ac nisi propterea

quod

quod Patres in iis decretis condendis Romano Pontifici velut membra capiti adhaeserunt, eumque in omnibus ducentem ac dirigentem secuti sunt: quis non videat, perinde esse, ad extollendam Romani Pontificis supra Concilia Oecumenica auctoritatem, sive certam illis legem ac regulam statuat, a qua declinare non liceat; sive decretis sine hac certa regula conditis, seu quibus haec regula non praeluxit, opus sit Romani Pontificis confirmatione, ut summam & indeclinabilem obtineant auctoritatem? Utrumlibet enim contingat, perspicuum est, inde jure ac merito colligi, esse prorsus irreformabile Romani Pontificis de fidei rebus judicium; quum aut forma sit, ad quam referri ac formari debent generalium Conciliorum decreta; aut, nisi hac adhibita regula formata fuerint, Pontificis retractationi ac reformationi obnoxia sint, antequam Sedis Apostolicae auctoritate confirmentur. Utroque modo in Concilii Chalcedonensis decretis Romani Pontificis auctoritas ac potestas enituit. Et quoniam de primo, quum saepe de illo disseruerimus, non est hîc locus disceptandi; quid in altero pro nostra doctrina praesidii ac momenti sit, expendamus.

ARTICULUS UNICUS.

Quantum in confirmatione Apostolica ponderis ac momenti sit, ex Concilii Chalcedonensis decretis aut de fide, aut ad finem quodammodo pertinentibus demonstratur.

„ ET res quidem Synodi, *inquit* „ *Bossuetius*, circa fidei nego„ tium sic se habent, ut de suis „ decretis a Leone confirmandis, „ ne quidem cogitasse constet; & „ tamen S. Leo etiam non petitam „ confirmationem misit. Qua occasio„ ne ipse idoneus testis exponet. „ Quippe cum occasione improbati a „ Leone 28. Canonis maligni homi„ nes in vulgus sparsissent, Chalce„ donensem Synodum ab ipso im„ probatam, ad Episcopos, qui in „ ea congregati fuerant, haec scri„ bit (a): *Ne ergo per malignos* „ *interpretes dubitabile videatur, u*„ *trum, quae in Synodo Chalcedonensi* „ *per unanimitatem vestram de fide* „ *statuta sunt, approbem: haec ad* „ *omnes fratres & Coepiscopos nostros,* „ *qui praedicto Concilio interfuerunt,* „ *verba direxi, ut omnium Fidelium* „ *corda cognoscant, me non solum* „ *per fratres, qui vicem meam exe*„ *cuti sunt, sed etiam per approba*„ *tionem gestorum Synodalium pro*„ *priam vobiscum iniisse sententiam;* „ in sola videlicet fidei caussa, ad„ versus malignos interpretes. Quod „ factum fatebuntur omnes, non eo „ spectare, ut incerta firmentur; „ sed, ut certa, summaque & in„ de-

(a) 3. Par. Conc. Chalced. cap. XVI.

„ declinabili auctoritate facta, magis „ magisque asserantur & inculcen„ tur.

Et nos id ultro fatemur, neque in eo vim nostrae orationis & argumenti reponimus; sed illam inde accersimus, quod ex hac aliisque Epistolis constet, fuisse tum pervulgatam opinionem, S. Pontificem, qua Canonem 28. Concilii Chalcedonensis ad disciplinam spectantem, auctoritate rescidit, eadem & decretum ad fidem pertinens rescindere potuisse. Nisi enim haec invaluisset opinio, frustra & irrito prorsus conatu Chalcedonensi Concilio defectum Apostolicae confirmationis ipsius hostes objecissent. Frustra autem quisquam reponeret, ex nostra quoque sententia, Synodum, cujus decreta ad certam Sedis Apostolicae regulam exacta sunt, confirmatione Apostolica non egere. Id enim tum verum est, quum hac de re manifesto constat, aut nulla suppetit dubitandi ratio. At qui indiscriminatim acta Concilii Leone improbata fuisse effutiebant, neutiquam constare volebant de Concilii cum Romano Pontifice in unam eamdemque sententiam consensu & conspiratione; & hanc dubitandi rationem adferebant, quod quaedam hujusce Synodi acta Sanctissimus Pontifex improbaverat. Et quidem, ut ipse ait (*a*), nulla de hac re unquam exorta fuisset dubitatio, si quas ad Anatolium dederat litteras, proferre, & non potius occultare, ipse Anatolius voluisset: his enim quemadmodum eum Canonem Concilii Nicaeni decretis adversum rejiciebat: ita fidei definitionem ut Apostolicae doctrinae consonam confirmabat. Has ergo litteras quum publicae luci Anatolius invidisset, alias dedit, quibus Concilii Chalcedonensis de fide decreta confirmans, omnem de medio dubitationem auferret. Hanc *non petitam confirmationem* Leonem ultro misisse, Bossuetius narrat. Quod tamen falsum est. Hanc enim Marcianus Augustus petiit, ut ex laudati S. Leonis ad ipsum Epistola compertum est: *Quum vestro*, inquit, *praecipuo opere sit effectum, ut per Synodale Concilium, damnatis impii dogmatis defensoribus, omnes vires sacrilegus error amitteret: ad ejusdem devotionis pertinet palmam, si malum, quod in suis ducibus est oppressum, etiam in quibuscumque reliquiis deleatur. Quod facilius Clementia vestra arbitratur implendum, si per universas Ecclesias, definitiones sanctae Synodi Chalcedonensis Apostolicae Sedi placuisse doceantur. De quo quidem ratio non fuit ambigendi, quum ei fidei omnium subscribendo consensus accesserit, quae a me secundum formam Apostolicae doctrinae ac paternae traditionis emissa est &c. Quia vero omnibus modis obediendum est Pietati vestrae religiosissimaeque voluntati, Constitutionibus Synodalibus, quae mihi de confirmatione fidei Catholicae, & haereticorum damnatione placuerunt, lubens adjeci sententiam meam: Quae ut in notitiam omnium Sacerdotum Ecclesiarumque perveniat, vestrae Clementiae praeceptio ordinare dignabitur*. Delendis Eutychianae impietatis reliquiis hoc Pon-

(*a*) Vid. Epist. sup. cit. & Epist. LIX. ad Marcian. Aug. Tom. IV

Pontifex, hoc Imperator opportunum judicant esse remedium, si postquam de hac re dubitari coeptum esset, Chalcedonensis Concilii definitio per sedem Apostolicam confirmaretur. Unde colligere est, fuisse tunc omnibus persuasum, quod Synodalium decretorum auctoritas ex Romani Pontificis confirmatione penderet.

Id porro longe luculentius apparet ex iis, quae pro vindicandis aut damnandis tribus Capitulis sequenti saeculo scripta sunt. Qui enim Capitula propugnabant, non eo solum nitebantur, quod ea Chalcedonensis Synodus approbasset, verum etiam quod Concilii de illis judicium Romanus Pontifex confirmasset: Qui vero Capitulorum damnationem urgebant, eorum caussam retractari posse dicebant, quod S. Leo ad solam fidei caussam ab Eutychianorum erroribus, & Dioscori furore ac tyrannide vindicatam, approbationem & confirmationem Apostolicam coarctaverat. Quod ad primum pertinet, id constat imprimis ex Ferrando Ecclesiae Carthaginensis Diacono ad Pelagium & Anatolium pro tribus Capitulis scribente, & maxime pro Epistola Ibae: *Si quis tunc* [quum Epistola Ibae in Concilio Chalcedonensi recenseretur] *accusator Epistolae, cujus Catholica esse dictatio claruit, ad majora judicia provocaret, accusationi forsitan secundum consuetudinem locus pateret. Sed quo iret? aut ubi majores in Ecclesia reperiret Judices? Ante se habens in Legatis suis Apostolicam Sedem, qua consentiente, quidquid illa definivit Synodus, accepit robur invictum.* Et infra: *Quae finiuntur judicantibus Episcopis sanctis, & ad Beati Petri memoriam perducta, diligentius examinantur atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt, in retractatione sub qualibet occasione teneri non debent.* Itaque acta Concilii Chalcedonensis de tribus Capitulis ideo retractationi obnoxia non esse judicabat, quoniam pro certo habebat, eis ad Beati Petri memoriam perlatis ac diligentius examinatis, Apostolicae Sedis accessisse consensum, eaque consentiente, accepisse robur invictum. Paria his sunt, quae Facundus, alius eorumdem Capitulorum fervidus propugnator, in ejusdem Epistolae defensionem adfert lib. V. cap. V. *Sufficit nobis ad defensionem ipsius Epistolae, quod eam tanta Synodus, & ipsius Auctor Synodi, Vir Apostolicus, & in doctrina veritatis toto orbe notissimus, approbavit. Haec est prima, & immobilis ac secura nostra ratio, quae nos tuetur, ac firmat adversus omnes contradicentium quaestiones.* Et infra: *Cernis igitur, religiose Princeps, ad hujus Epistolae defensionem sufficere, quod eam probavimus orthodoxam a Synodo judicatam; nec a beato Leone, ut fingebatur, expulsam, sed potius cum omnibus, quae ibi sunt de fide statuta, firmatam.* Non ergo hoc tantum sufficere ad illius Epistolae defensionem existimabat, quod eam orthodoxam Chalcedonensis Synodus judicasset; verum & illud addendum esse censebat, quod Synodi de illa judicium Romanus Pontifex adprobasset.

At contra, qui trium Capitulorum damnationem urgebant, aut a quin-

ta Synodo prolatam in ea damnationis ſententiam propugnabant, id totis viribus conabantur adſtruere, quod quaecumque fuiſſet de illis Patrum in Concilio Chalcedonenſi ſententia, attamen retractari ea poterant, & novo examini ſubjici, quod hanc Synodi ſententiam nequaquam Romanus Pontifex adprobaſſet. Communem hanc fuiſſe omnibus Capitulorum hoſtibus mentem, ex eodem Facundo Hermianenſi compertum eſt, cujus haec in ejuſdem libri capite quarto verba ſunt: *Illud etiam diſquiramus, quale ſit quod dicentes, ad Romanam Eccleſiam definitionem tantum fidei, non etiam geſta Concilii Chalcedonenſis fuiſſe perlata, ex hoc volunt efficere, ut credamus, quod in ipſa tantum fidei definitione beatus Leo Synodi Chalcedonenſis decreta firmaverit, & nos quoque memoratam Epiſtolam Venerabilis Ibae damnemus . . . . Ut etiam ex hoc quos potuerint in condemnationem Epiſtolae hujus adducant, tanquam ab ipſo non fuerit approbata*. Tota fere in hoc eodem argumento verſatur per quam prolixa longeque fuſa Pelagii II. Epiſtola ad Eliam Aquilejenſem, & alios Epiſcopos Iſtriae Schiſmaticos, qui, ut ex eadem Epiſtola conſtat, propter auctoritatem S. Leonis, a quo fuerat Chalcedonenſis Synodus confirmata, damnationi trium Capitulorum pertinaciter reluctabantur. Quare ut eos ad deſerendam eorumdem Capitulorum defenſionem impellat, pluribus S. Leonis teſtimoniis demonſtrare Pelagius aggreditur, quod ſanctus Pontifex *auctoritatem Synodi in ſola fidei definitione conſtrinxit*. Unde colligit, quod etſi aliquid, ipſis etiam conſentientibus Apoſtolicae Sedis Legatis, praeter fidei cauſſam fuiſſet in Synodo definitum, propter Leonis diſſenſum, aut Apoſtolicae confirmationis defectum, nullius eſſe deberet auctoritatis. Quod ille perſpicuo ac luculento S. Leonis teſtimonio confirmat, qui haec peracta Synodo ad Maximum Antiochenae Sedis Antiſtitem ſcripſerat (a): *Si quid ſane ab his Fratribus, quos ad Sanctam Synodum vice mea miſi, praeter id quod ad cauſſam fidei pertinebat, geſtum eſſe perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantum ab Apoſtolica Sede ſunt directi, ut exciſis haereſibus, Catholicae eſſent fidei defenſores. Quidquid enim praeter ſpeciales cauſſas Synodalium Conciliorum ad examen Epiſcopale defertur, poteſt aliquam dijudicandi habere rationem*. Ex qua S. Leonis auctoritate Pelagius conficit, Epiſtolam Ibae potuiſſe damnari, quamvis eam Apoſtolicae Sedis Legati, & ceteri omnes Epiſcopi ſuis in Chalcedonenſi Synodo ſubſcriptionibus approbaſſent: *Quamvis quia approbata ſit, aut difficulter, aut nullatenus demonſtretur; licenter tamen unuſquiſque eam reprehenderet, etiamſi Epiſcopi in eodem Concilio reſidentes ſuis illam ſubſcriptionibus approbaſſent: quia poſtquam, Beato Leone ſcribente, jus retractandi & dijudicandi conceditur, etiam ſiqua eſſe poterat eorum qui interfuerant in privatis negotiis auctoritas, vacuatur*. Ex quibus omnibus perſpi-

(a) 3. Par. Conc. Chalced. cap. XVII.

ſpicue demonſtratur, quod tum Capitulorum defenſoribus, tum eorum hoſtibus & impugnatoribus conveniebat, acceſſione vel detractione approbationis Sedis Apoſtolicae fieri, ut acta Oecumenicae alioqui Synodi, retractari poſſint vel non poſſint: omnibuſque id praeſumtum animo & praejudicatum erat, ea demum rata & fixa, nec ad novae diſputationis incudem revocanda eſſe Synodi Chalcedonenſis decreta, quae Leo Pontifex confirmaſſet. Proindeque merito a nobis cum doctiſſimis Theologis conſtitutum eſt, Conciliorum generalium decreta, etiam conſentientibus Sedis Apoſtolicae Legatis, edita, antequam a Pontifice confirmentur, non obtinere ſummam & irretractabilem auctoritatem; niſi Legati ad Synodum accedant, inſtructi prius & moniti de Eccleſiae Romanae fide atque ſententia circa ea, quae ſunt in Synodo pertractanda. Quamquam enim Eccleſiae de librorum doctrina judicium proxime ad fidem pertineat; attamen judicium Synodi Chalcedonenſis de Epiſtola Ibae ad examen revocari poſſe ex S. Leone Pelagius demonſtrabat, quoniam Legatis Apoſtolicae Sedis minime conſtabat, cujuſmodi eſſet de illa Epiſtola Eccleſiae Romanae judicium.

CAPUT VI.

„ Quintum, ſextum, ſeptimum, octavum Concilium.

Quae praeſenti Capite Boſſuetius obſervat, a nobis interim omitti poſſunt. Nam ſexti, ſeptimi, & octavi Concilii decretis Apoſtolicae Sedis Epiſtolae praeluxerunt, & formam ac regulam praeſcripſerunt. Fatemur autem, per ſe valere, & nova & ſpeciali confirmatione non egere, quae ad hanc normam exacta in Conciliis Oecumenicis decernuntur. Attamen petita eſt ab his Synodis Sedis Apoſtolicae confirmatio; utique non fruſtra, nec ſine cauſſa: quis autem fuerit petitae confirmationis effectus, ad Caput nonum ac decimum exponemus; ubi etiam de quintae Synodi approbatione & confirmatione diſſeremus.

CAPUT VII.

„ Reliquae Synodi uſque ad Tridentinam.

„ Ex primarum Synodorum confirmationibus, *inquit Boſſuetius*, de reliquis judicare in promtu „ eſt. Poſt octo illas primas, quatuor omnino ſunt, quibus Romanus Pontifex non ipſe adfuerit. „ Piſana, Conſtantienſis, Baſileenſis, „ Tridentina. Ceteras per ſe ipſe „ geſſit. At nos quae ad tres priores Synodos adtinent, omittere in praeſentia decrevimus: plura enim dicenda eſſent, de quibus ſuo loco data opera diſſeremus.

Sola ergo ſupereſt Tridentina Synodus, quae, ut ipſemet Illuſtriſſimus Adverſarius obſervat, „ ultimo decreto ſuo Romani Pontificis confirmationem peti jubet eorum, *quae a ſe decreta & definita eſſent*. Eo autem uſque intellexit, „ eas definitiones vel tum valuiſſe, „ ut ſtatim poſt eam confirmationem „ petitam acclamarit Cardinalis a „ Lotha-

„ Lotharingia: *Sacrosancta Oecumeni-* „ *ca Tridentina Synodus* : *Ejus fidem* „ *confiteamur* , *ejus decreta serve-* „ *mus &c.* Talia ſentientes dum con- „ firmationem petunt , quid aliud , „ quam certa & valida magis ma- „ giſque firmari & inculcari petunt ? Hoc argumentum nullius eſſe ponderis , ex eo conſtat , quod non modo in Conciliis Oecumenicis , verum & in quibuſdam particularibus Synodis , adverſus erumpentes haereſes & haereticos ſimiles Anathematiſmi legantur : nec tamen propterea quis dixerit , ejuſmodi particularium Synodorum de haereſibus & haereticis judicia confirmatione Apoſtolica non egere , aut vim habere indeclinabilem , & ſummam auctoritatem & robur invictum , niſi a Pontifice confirmentur .

CAPUT VIII.

„ De Canonibus Conciliorum gene-
„ ralium a Sede Apoſtolica con-
„ firmatis vel infirmatis : Conſtan-
„ tinopolitani Canones , praeſer-
„ tim III. Chalcedonenſes Cano-
„ nes , praeſertim XXVIII.

NOlumus hic generatim de Canonum in Conciliis generalibus editorum auctoritate diſſerere ; & quomodo in univerſa Eccleſia recepti ſint ac vim obtinuerint ; & quo pacto in iis recipiendis & confirmandis Sedis Apoſtolicae conſenſus & auctoritas intervenerit , explicare : haec enim in alium locum rejicienda cenſemus . Quare de ſolis ſecundae Synodi Canone III. & Chalcedonenſis Concilii XXVIII. praeſentem diſputationem inſtituimus ; qua demonſtrandum aggredimur, quantum in iis rejiciendis & infirmandis Sedis Apoſtolicae in Synodos Oecumenicas poteſtas & auctoritas emicuerit .

ARTICULUS UNICUS.

Ex Concilio Chalcedonenſi ejuſque Canonibus demonſtratur , ex Romani Pontificis conſenſu vel diſſenſu pendere , quod rata vel irrita ſint , quae a Conciliis Oecumenicis decernuntur .

FUlcitur haec theſis apertiſſimo S. Gelaſii in Tomo ſeu Tractatu de Anathemate , teſtimonio : *Totum* , inquit , *in Sedis Apoſtolicae , poſitum eſt poteſtate . Ita quod firmavit in Synodo Sedes Apoſtolica , hoc robur obtinuit ; quod refutavit , habere non potuit firmitatem : & ſola reſcidit , quod praeter ordinem Congregatio Synodica putaverat uſurpandum* . Itaque ex Sedis Apoſtolicae conſenſu vel diſſenſu pendet , quod rata vel irrita ſint , quae a Conciliis Oecumenicis decernuntur ; idque ex Concilii Chalcedonenſis Canonibus demonſtratur : quoniam , ut Gelaſius obſervat , quibus illa conſenſit , quos firmavit , ii robur obtinuerunt ; quibus adſenſum negavit , quos reprobavit , iis omnem ademit auctoritatem , & enumero authenticorum , ac legitimorum , ipſis Orientalibus , ipſis Conſtantinopolitanis Epiſcopis , ipſis Imperatoribus conſentientibus , expuncti ſunt . Id vero Gelaſius ad eam auctoritatem refert , qua *totum* , ut apud ipſum Anatolius , cujus haec ſunt verba , profitebatur , *in Sedis Apoſtolicae poſitum eſt poteſtate* ; quam videlicet poteſtatem in Apoſtolorum Prin-

Principe accepit; cujus auctoritate S. Leo quae per Chalcedonensem Synodum perperam fuerant constituta, cessaverat (a): *Consensiones Episcoporum, sanctorum Canonum apud Nicaeam conditorum regulis repugnantes, in irritum mittimus, & per auctoritatem Beati Petri generali prorsus definitione cassamus*. Hinc autem illud conficitur argumentum, quod sibi solvendum his Bossuetius verbis proponit: „ Hîc ergo objiciunt, Romanum Pontificem Conciliis Oecumenicis longe superiorem, quorum Canones absque ejus approbatione non valeant, imo ab eo ex Beati Petri autoritate cassentur, ipsis Orientalibus, ipsis Constantinopolitanis Episcopis, ipsis Imperatoribus consentientibus.

Ab hoc argumento quam feliciter Meldensis Episcopus se expediat, videamus: „ Haec, *inquit*, qui objiciunt, ne statum quidem quaestionis intelligunt. Defendimus enim Constantiense Concilium, quo nempe Concilii potior autoritas cognoscatur in fide, in schismate, in reformatione generali promovenda. At Orientales Episcopi illo Canone Episcopo Constantinopolitano consulebant, Imperatori gratificabantur, non fidei, non schismati, non reformationi generali providebant. Imo vero rectum ordinem, ac primarum Sedium honorem ab antiquo institutum evertebant, qui rei universae Ecclesiasticae conducere videretur. Non ergo adversus effraenem aut extraordinariam potestatem, Canones ac jura, libertatemque Ecclesiasticam tuebantur, quod Constantienses volebant; sed Papae, Canones rectumque ac probum & canonicum ordinem defendenti repugnabant; ac proinde ad nostram quaestionem non pertinet, quidquid hic actum ab illis fuit.

Haec quidem cum aliqua veri specie ad propositi vim argumenti labefactandam adferri possent, si omnino nova, si veteris Canonis & consuetudinis auctoritate destituta, & quae in Ecclesiasticae disciplinae eversionem, in ordinis perturbationem, in Nicaenorum Canonum & aliarum Sedium injuriam manifeste vergerent, Chalcedonensis Synodus statuisset. At Patres tantum abest, ut id agnoscerent, ut etiam contenderent, quae ab ipsis statuta fuerant, & vetusti Canonis, & veteris consuetudinis auctoritate niti, paci & ordini in Ecclesiis servando apta esse & apprime necessaria, denique in ea non modo Principem religiosissimum & Senatum, quorum utique habenda esset aliqua ratio, verum & omnes Episcopos, eos quoque ipsos, quorum maxime intererat, consentire; ac proinde tum nemini injuriam, tum nullum Nicaenis decretis vulnus infligi. Haec constant ex sequentibus sanctae Synodi verbis in Relatione ad Sanctum Leonem: *Indicamus vero, quia & alia quaedam pro rerum ipsarum ordinata quiete, & propter Ecclesiasticorum statutorum definivimus firmitatem, scientes, quia & vestra Sanctitas addiscens, & probatura, & confirmatura est eadem. Eam namque con-*

(a) Epist. ad Pulch. Aug. 3. Par. Conc. Chalced. cap. VII.

consuetudinem, quae ex longo jam tempore permansit, quam habuit Constantinopolitanorum Sancta Dei Ecclesia, ad ordinandum Metropolitanos Provinciarum, tam Asianae, quam Ponticae & Thracicae, & nunc Synodali decreto firmavimus, non tam Sedi Constantinopolitanae aliquid praestantes, quam Metropolitanis Urbibus quietem congruam providentes, eo quod frequenter Episcopis vitam finientibus, multae turbae nascuntur, Clericis ac Populis, qui per easdem sunt Civitates, absque rectore remanentibus, & Ecclesiasticum ordinem confundentibus, quod nec vestram latuit sanctitatem, maxime propter Ephesios, unde quidem vobis saepius importuni fuerunt: Confirmavimus autem & CL. Sanctorum Patrum regulam, qui in Constantinopoli congregati sunt sub piae memoriae majore Theodosio, quae praecipit, post vestram Sanctissimam & Apostolicam Sedem, honorem habere Constantinopolitanam, quae secunda est ordinata &c. Quae igitur ad interemtionem totius confusionis, confirmationem vero Ecclesiasticae ordinationis definivimus, haec sicut propria & amica, & ad decorem convenientissima, dignare completi sanctissime & beatissime Pater . . . . . Rogamus igitur & tuis decretis nostrum honora judicium . . . . . Sic enim & pii Principes complacebunt &c.

De Canone tertio secundi Concilii Oecumenici, quo secundae Sedis gradus delatus fuerat Episcopo Constantinopolitano, & quo freti eamdem ipsi dignitatem Chalcedonenses Patres confirmarunt, haec Meldensis Episcopus in hoc ipso Capite observat: „ Constat in Codicem Canonum cum aliis Constantinopolitanis insertum, toto statim Oriente valuisse. Quin etiam in Chalcedonensi Synodo Legati Apostolicae Sedis Anatolium Constantinopolitanum Episcopum secundum habuerunt. Qua de re usque adeo non questi sunt, ut e contra quererentur, in quintum gradum a Dioscoro Flavianum relegatum: quo loco laudantur a Diogene Cyzicensi, quod *regulas scirent*, quas nempe Dioscorus contemsisset. Ergo intelligebant omnes Episcopi, ipsique adeo Legati Leonis, deberi Episcopo Constantinopolitano primum post se locum; non alio Canone, quam Constantinopolitano illo, quem Romana Ecclesia ignorare, ac minime probare voluisse videbatur, visumque est satis, quod nondum aperte improbasset. Eadem sed longe luculentius & uberius demonstrat Illustrissimus Petrus de Marca lib. III. de Concord. Sac, & Imp. cap. VII. §. IV.

Natalis Alex. dissertat. XXXVII. in Histor. Saec. IV. Art. IV. laudato Canone non modo collatum fuisse existimat Regiae Urbis Episcopo secundum honoris consessum post Romanum Episcopum, verum etiam Patriarchicam dignitatem & jurisdictionem in Dioceses Thracicam, Ponticam, & Asiaticam; nec tamen Nicaenos Canones eo fuisse secundae Synodi Canone violatos. Quoniam decernit quidem, inquit, Nicaena Synodus, ut sua Ecclesiis privilegia serventur: sed non prohibet, ne conferantur nova iis, quae nondum his donatae sunt: maxime si fiat ista concessio ab iis, quorum interest. Vo-

Volentibus enim non fit injuria. Porro dignitatem & jurisdictionem Patriarchicam Dioeceseon Ponticae, Asianae, & Thracicae Episcopi, quorum maxime intererat, Episcopo Constantinopolitano tribuerunt Canone tertio secundae Synodi. Dissertatione autem XV. in Hist. Saec. V. Art. I. idem Auctor statuit, quod Canon XXVIII. Synodi Chalcedonensis primatum honoris post Romanum Episcopum, & Ordinationes Dioeceseos Ponticae, Asianae, & Thracicae, quas & secunda Synodus Oecumenica Episcopo Constantinopolitano detulerat, & firmaverat consuetudo, eidem confirmavit. Ergo quod Chalcedonensi Canone constitutum fuerat, jampridem secunda Synodus Oecumenica decreverat, toto statim Oriente valuerat, consuetudo firmaverat, cum nullius injuria conjunctum erat, Nicaenis decretis non adeo videbatur infestum, utque vim legis obtineret, satis visum est, quod Ecclesia Romana nondum aperte refragaretur. Hunc tamen Canonem confirmatione Pontificis indigere, Chalcedonensibus Patribus visum est; hanc a Leone demisso animo modestisque verbis elicere satagunt; abnuit Leo, ac decretum Principis Apostolorum auctoritate rescindit; fatetur Anatolius, totum in Romani Pontificis positum esse potestate, hoc est, Conciliorum decreta auctoritate sua rata vel irrita esse decernere; tandem pervincit Leo & expugnat, ut e numero Ecclesiasticarum legum, & Chalcedonensium Canonum expungatur. Id vero nostris Adversariis non est, potestatem & auctoritatem in Synodos Oecumenicas exercere, imo qui hunc locum objiciunt, Bossuetius ait, quod *primo ne statum quidem quaestionis intelligunt*. Verum illi, si aliquod ejusmodi exemplum Pontificiae legis adferre possent, quam simili auctoritate Chalcedonensis Synodus rescidisset, acta res esset, & Parisiensium opinio non jam ex solis Constantiensium & Basileensium, verum & ex Chalcedonensium Patrum decretis, res inter judicatas reponenda esset. Sed ad ea, quae Bossuetius adjungit, animum advertamus.

„ Secundo, *inquit*, Orientales
„ Patres, hoc Canone constituto,
„ id sibi tribuebant, ut Patrum
„ limites, & Canones Nicaenos ab
„ universa Ecclesia conditos & re-
„ ceptos, inconsulto, imo vero re-
„ pugnante toto Occidente, convel-
„ lerent; quod non illis licebat.
„ Tertio in eo Canone statuendo,
„ nequaquam Concilii generalis auto-
„ ritate gaudebant, a quorum de-
„ cretis in ea actione cum Sede
„ Apostolica universus Occidens re-
„ cedebat.

Hoc, quod tantopere jactatur de totius Occidentis dissensu & repugnantia; perinde ac solius Romani Pontificis dissensus satis non esset ad irritandum Synodi Chalcedonensis decretum, nec totum, ut apud Gelasium fatebatur Anatolius, positum esset in Sedis Apostolicae potestate; inane est effugium, & quod statim praecludere in promtu est. Quum enim Occidens Concilio Chalcedonensi non nisi in Sedis Apostolicae Legatis adesset, haud aliter dici & intelligi potest, Occidentales Chalcedonensi Canoni repugnasse, quam quod eidem Legati Sedis Apostolicae inter-

intercesserunt : unde colligere est, quod repugnante vel consentiente Romano Pontifice, totus consentire vel dissentire Occidens censebatur. Quare & Synodus adversus Legatorum intercessionem non ad totum Occidentem, sed ad solum Leonem Relationem misit : neque ab omnibus Occidentalibus, sed a solo Leone confirmari Canonem postulavit ; gnara videlicet, totum in ejus esse positum potestate, *qui*, ut verbis utar Cl. Tomassini, *princeps in Episcopatu fidei est*, *qui caput*, *qui Occidentales omnes maxime Episcopos*, *strictius sibi devinctos*, *suo nutu circumagebat*, *sibi semper consentaneos*, *&* *secum gestis in Oriente Synodis*, *vel consentientes*, *vel dissentientes*. Hinc S. Leo Chalcedonensem Canonem non alicujus Occidentalis Synodi, sed solius Principis Apostolorum auctoritate cassavit. Hinc etiam, ut superius vidimus, S. Gelasius, non Occidentalium dissensui, sed unius Sedis Apostolicae auctoritati tribuit, quod Canon ille Chalcedonensis habere non potuit firmitatem : *Sola* inquit, *rescidit*, *quod praeter ordinem congregatio Synodica putaverat usurpandum*.

Petrus de Marca in dissertatione de Patriarchatus Constantinopolitani institutione, & ex eo & cum eo Nat. Alex. Dissert. XI. in Hist. Saec. V. Act. II. docent, Sanctum Leonem non ob aliam rationem repudiasse Canonem XXVIII. Synodi Chalcedonensis, quam quia Nicaenis Canonibus repugnabat : atque hac in caussa jure Primatus sui egisse, quod maxime in urgenda ac procuranda per totum orbem Christianum Canonum executione positum est : proindeque argumentum inde trahi non posse ad confirmandam Romani Pontificis in totum corpus definitionesque Oecumenicae Synodi auctoritatem : *Non ergo*, inquit Illustrissimus Archiepiscopus, *illo nomine statuta Concilii Chalcedonensis Leo reprobat*, *quasi nullas habitura vires essent*, *nisi illi collibuisset* : *sed nullitatem dicti Canonis ex repugnantia Canonum Nicaenorum petitam declarat* ; *magnifico sane & illustri Primatus sui seu Principatus privilegio*, *sed quod ad superiorem in corpus definitionesque Concilii exercendam auctoritatem extendi & porrigi non debeat*. *Si enim rite de quaestione aliqua Nicaenis regulis nondum decisa Synodus Chalcedonensis statuisset*, *tantum abest*, *ut Leo constitutioni illi*, *destitutus vitio nullitatis opponendae*, *refragatus fuisset*, *quin potius gestorum Synodalium approbatione*, *Concilii sententiae ex officio adhaesisset*. *Quod eleganter insinuat in Epistola ad Maximum Antiochenum*, *hoc de negotio loquens* :
„ Quidquid enim praeter speciales
„ caussas Synodalium Conciliorum
„ ad examen Episcopale defertur,
„ potest aliquam dijudicandi habere
„ rationem, si nihil de eo est a
„ sanctis Patribus apud Nicaeam de-
„ finitum. Nam quod ab illorum re-
„ gulis & constitutione discordat,
„ Apostolicae Sedis nunquam poterit
„ obtinere consensum".

Mirum equidem, quod haec S. Leonis verba a Viris doctis ad confirmandam suam hanc ipsorum opinionem trahantur, quum illam manifestissime evertant. Ait quidem S. Pontifex, quod rata esse non possunt, ne-

neque Apostolicae Sedis obtinere consensum, quae Nicaenae Synodi Canonibus adversantur; sed non & illud adjungit, quo tamen uno Adversariorum opinio utcumque fulciri posset; nempe quod statim valuisset, aut vim legis obtinuisset, quidquid rite de quaestione aliqua Nicaenis regulis nondum decisa, Chalcedonensis Synodus statuisset, & quod sententiae Concilii statim ex officio adhaerere Pontifex debuisset. Non, inquam, id docet S. Leo, sed potius id docet, quod hanc opinionem funditus labefactat. Nam his, quae Marca descripsit, haec Sanctus Pontifex praemiserat: *Si quid sane ab his fratribus, quos ad sanctam Synodum vice mea misi, praeter id, quod ad caussam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantum ab Apostolica Sede sunt directi, ut excisis haeresibus, Catholicae essent fidei defensores. Quidquid enim praeter speciales caussas &c.* Unde merito colligit Pelagius II. in Epistola ad Eliam Aquilejensem & alios Episcopos Istriae, quod praeter caussam fidei, quaecumque alia Concilii Chalcedonensis gesta poterant a Romano Pontifice retractari. Quod enim haec verba ad solam Patriarchicam dignitatem Regiae Urbis Episcopo praeter Nicaenos Canones adtributam trahenda non sint, ex eo Pelagius demonstrat, quod Leo de iis Synodi actis loquatur, quae consentientibus Sedis Apostolicae Legatis perfecta fuerant: at decreto, quo Sedi Constantinopolitanae is honoris gradus eaque jurisdictio conferebatur, Legati Leonis restiterant, illud etiam Leo in irritum miserat: Itaque de hoc decreto S. Leo intelligi non potest, quum ait, quod praeter caussam fidei in Synodo gesta, poterant per Pontificem retractari: adeoque erui ex his verbis nulla ratione potest, quod statim valuisset, ac vim legis obtinuisset, quidquid rite de quaestione aliqua Nicaenis regulis nondum decisa, Chalcedonensis Synodus statuisset, & quod sententiae Concilii statim ex officio adhaerere Pontifex debuisset. De his enim, quae Nicaenis Canonibus non adversantur, id Leo non docet, sed hoc solum, quod ubi ad Pontificis examen referuntur, *possunt aliquam dijudicandi habere rationem*; hoc est, ut id Pelagius II. interpretatur, retractari ea possunt, & ad judicium Pontificis revocari, potestque de illis Sedes Apostolica pro suo arbitrio statuere.

Denique respondet Bossuetius, „Chalcedonenses Patres a Leonis arbitrio „hoc negotium pendere voluisse, „quod relationis quidem verba de„monstrant: sed aperte convincit il„lud Anatolii in Epistola ad Leo„nem (a): *Cum & sic gestorum „vis omnis & confirmatio autoritati „vestrae Beatitudinis fuerit reserva„ta*. Unde nec mirum, de iis Leo„nem statuisse, quae in ipsius po„testate ipsa Synodus reliquisset. Perinde atque in Synodi potestate & arbitrio positum esset, petere aut non petere hujusce Canonis a Romano Pontifice confirmationem; aut ei per suos Legatos, ac deinde & per se ipsam, Sede Apostolica refragante, vim Canonis & Ecclesiasti-

(a) Coll. Holst. 1. Par. cap. XXII.

ſticae Legis obtinere potuerit. Id vero cum univerſae Conciliorum & Patrum traditioni, tum praemiſſis Adverſarii reſponſionibus adverſatur. Quare aut in illis nihil momenti eſt, aut haec futilis omnino eſt, & inanis. Illis enim ſtatuitur, quod ſine Romani Pontificis ac totius Occidentis conſenſione laudatus Canon robur ac firmitatem obtinere non poterat: hac autem in arbitrio ponitur Synodi petere aut non petere ejuſdem Canonis a Romano Pontifice confirmationem. Porro ſi id erat poſitum in Synodi poteſtate; non ergo ex Pontificis & Occidentis conſenſione pendebat, ut vim legis & Canonis obtineret: ſi autem Romano Epiſcopo & Occidentalibus minime conſentientibus, id adſequi non poterat: ergo opus omnino erat Romani Pontificis confirmatione; proindeque eo confugiendum non eſt, ut dicatur, *non eſſe mirum, de iis Leonem ſtatuiſſe, quae in ipſius poteſtate ipſa Synodus reliquiſſet*. Unde etiam conſequens eſt, nullis reſponſionibus labefactari potuiſſe argumentum, quo ex Chalcedonenſi Synodo demonſtramus, ex Romani Pontificis conſenſu vel diſſenſu pendere, ut rata vel irrita ſint, quae ab Oecumenicis Synodis decernuntur.

CAPUT IX.

„ Recapitulatio eorum, quae de „ confirmatione ex Conciliorum „ actis dicta ſunt: Hinc confutantur allati a quibuſdam Recentioribus Pontificiae confirmationis effectus: Eccleſiae conſenſus quatenus ultima Synodi „ bene geſtae teſtificatio: Sancti „ Gelaſii locus.

Quae ex ſexta & ſeptima Synodo, & ex Caeleſtini & Leonis II. Epiſtolis Boſſuetius in praeſenti Capite adfert, ad nos non pertinent, & noſtram opinionem minime laedunt qui videlicet non repugnamus, ea Synodorum generalium decreta ſtatim obtinere ſummam & ineluctabilem firmitatem, quibus condendis Romanorum Pontificum Epiſtolae praeluxerunt. Addimus tamen, opus eſſe aliquando clara & diſerta Romani Pontificis confirmatione, ut contra malignos Interpretes omnibus Fidelibus conſtat, Synodum, & Oecumenicam & legitimam fuiſſe; legeſque ſervaſſe, quae in definiendo ſervandae ſunt; ac potiſſimum, eam nequaquam in ſuis decretis ab Apoſtolicae Sedis regulis ac dogmatibus deflexiſſe. Ab hac doctrina neque ipſe Boſſuetius omnino abhorret: „ Illud, *inquit*, haud ab„ ſurdum, confirmatione declarari, Sy„ nodum & legitime fuiſſe convoca„ tam, & legitimo ordine proceſſiſ„ ſe, neque quidquam interveniſſe, „ quo nulla ſit: qualia multa in „ Ariminenſi atque Epheſina II. „ Synodo eveniſſe legimus: quae

„ cauſ-

„ caussa fuisse videtur, cur Leo Sy„ nodi Chalcedonensis definitionem, „ ipso etiam autore, ac per Lega„ tos praesidente factam, speciali „ Epistola confirmandam duxerit, „ *propter malignos Interpretes*, ut „ vidimus. De his itaque inter nos convenit. Sed in hoc ipsi ab eo vehementissime dissentimus, quod praeter Romani Pontificis Ecclesiarum, quoque omnium consensionem omnino requirit: nos vero Pontificis confirmationem & approbationem sufficere existimamus. Res magni momenti est, ac propterea quamquam de illa satis ex jam dictis constare possit, operae adhuc pretium erit, ut speciali Articulo discutiatur.

ARTICULUS UNICUS.

Sufficere Romani Pontificis confirmationem sive adprobationem, nec opus esse omnium omnino Ecclesiarum consensione, ut aliqua Synodus & Oecumenica & legitima, adeoque erroris expers judicetur.

PRobatur id primum ex priore Synodo Ephesina, cujus actis statim ac per suos Legatos Sedes Apostolica adsensum praebuit, Oecumenicam in suis Rescriptis ostentare coepit auctoritatem, & pro Oecumenica passim habita est, quamquam ipsi Johannes Antiochenus & Orientales Episcopi refragarentur: *Sancta proinde*, inquiunt Patres in Relatione per septem Episcopos missa, *& Oecumenica Synodus, cujus consessui adest & Caelestinus, & universa Occidentalis Synodus, totaque Africa & Illyricum &c.* Ergo ut Synodum, sanctam & oecumenicam vocent, satis esse judicant, ut ejus consessui, ex maxima Christiani orbis parte collecto, Caelestinus adsit, eique agendorum decernendorumque formam regulamque praescribat: quod etiam non minus diserte agnoscunt & profitentur in Epistola ad ipsum Caelestinum, ubi Orientalium conatus adversus Synodum ex toto orbe collectam contemnendos esse hac ratione decernunt, quod ei Synodo per suos Legatos suam Caelestinus praesentiam exhibuerat: *Etenim viri numero triginta .... qualem Synodi faciem, aut qualem vim habere poterant contra Synodum ex universo, qui sub caelo est, orbe collectam? Fuerunt enim in consessu nostro & illi quoque, qui a Sanctitate tua missi sunt, piissimi Episcopi Arcadius & Projectus, & cum ipsis Reverendissimus Presbyter Philippus, qui sua praesentia tuam nobis exhibuerunt, Apostolicaeque Sedis locum suppleverunt.* Unde, ut merito Clar. Thomassinus animadvertit (*a*), elucet, ne tantam quidem, quanta Antiochena seu Orientalis erat Dioecesis, Ecclesiae Catholicae portionem, & Episcoporum triginta, imo quadraginta & amplius multitudinem, dissensione sua Oecumenicum pondus & nomen Ephesinae Synodo detrahere potuisse. Ut ubi in Ecclesia agitur & definitur aliquid novae quaestionis, contemnatur semper paucitas dissonantium, sola superet numerositas Episcoporum, & auctoritas Sedium, &

(*a*) Differt. X. in Synod. Ephes. I. num. XLIV.

consensus orbis terrarum. Hinc etiam elucet, consensu & approbatione particularium Ecclesiarum opus non esse, ut Synodus, & Sancta, hoc est in Spiritu Sancto canonice & legitime celebrata, & Oecumenica judicetur: quum Ephesina Synodus hoc sese nomine commendarit, antequam ad eam permagna, & una ex tribus praecipuis, Ecclesiae portio accederet, imo quum adhuc ab ipsa vehementissime dissentiret.

At quemadmodum adversus Synodum Capiti suo adhaerentem frustra quorumlibet Episcoporum multitudo concitatur: ita ad elevandam ejus auctoritatem sufficere creditum est, si ab ea Ecclesiae Caput, hoc est, Romanus Pontifex dissentiret. Id constat ex Eutherii & Helladii adversus hanc ipsam Ephesinam Synodum ad Sixtum Pontificem litteris, de quibus ad Caput tertium disseruimus. Constat etiam ex Marciani litteris ad Leonem, quosdam adversus totam Chalcedonensis Synodi auctoritatem hoc se se clypeo munisse, idque solum obtendisse, quod eam Synodum Romanus Pontifex improbasset. Denique constat ex dictis in Capite superiori quod XXVIII. Canonis confirmationem, quamquam illi, ut Bossuetius ait, universus Occidens repugnaret, a solo tamen Romano Pontifice eadem Chalcedonensis Synodus petiit, eamque sufficere creditum est ut laudatus Canon plenum robur & firmitatem obtineret.

In quinta Synodo Thesis nostrae veritas adhuc luculentius resplendet. Statim enim atque ad ipsam Sedis Apostolicae consensus accessit, Oecumenicae titulo & praerogativa donata est, quamquam ab ea non modo Venetiae, Istriae, & Liguriae schismatici palam abhorrerent; verum eam nondum Galliarum & Hispaniarum Episcopi recepissent. Ita Pelagius I. Epistola III. ad Narsem Patricium & Ducem Italiae agens de Liguribus, Veneticis, & Istricis Episcopis, qui ob hanc Synodum a Sedis Apostolicae communione discesserant: *Si quid eos de judicio* UNIVERSALIS SYNODI, *quod Constantinopoli per primam nuper elapsam indictionem actum est, forte movebat, ad Sedem Apostolicam (quomodo factum est) electis aliquibus de suis, qui dare & accipere rationem possent, dirigere debuerunt; & non clausis oculis corpus Christi Dei nostri, hoc est, Sanctam Ecclesiam lacerare.* Et Epistola quinta ad eumdem adversus Mediolanensem & Aquilejensem Episcopos, tum universalis Concilii nomen rursus eidem Synodo arrogat, quamquam eam nondum plures Occidentalium Ecclesiarum, quae tamen ex Sedis Apostolicae oeconomia & indulgentia in Ecclesiae Catholicae communione esse sinebantur, recepissent; tum etiam docet, quid ex juris rigore in omnes agi potuisset, qui sibi de judicio Synodi universalis judicium sumebant, & Sedis Apostolicae judicio parere detrectabant: *Nec licuit alicui aliquando, nec licebit particularem Synodum congregare: sed quoties aliqua* DE UNIVERSALI SYNODO *aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendum de eo, quod non intelligunt, rationem, aut sponte ii, qui salutem animae suae desiderant, ad Apostolicam Sedem pro recipienda ratione conveniant: Aut si forte .... ita obsti-*

stinati & contumaces exstiterint, ut doceri non velint; eos ab eisdem Apostolicis Sedibus aut attrahi ad salutem quoquo modo necesse est, aut (ne aliorum perditio esse possint) secundum Canones per saeculares comprimi potestates; hoc est, aut tolerandi sunt, donec a Sede Apostolica doceantur; aut puniendi sunt si contumaces exsistant. Ceterum nulli unquam licitum fuit de universali Concilio judicium sibi arrogare, sed de illo Sedis Apostolicae sequi omnes debent & amplecti judicium.

Non minus diserte S. Gregorius Magnus eamdem quintam Synodum quatuor aliis Oecumenicis Conciliis adcenset in ea ipsa Epistola, in qua sese, *sicut Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor illa Concilia suscipere & venerari* profitetur. Iis autem singillatim enumeratis quintum adjungit, ac de illo differit, quatuor Orientis Patriarchis rescribens (a): *Quintum quoque Concilium pariter veneror.... Cunctas vero, quas praefata veneranda Concilia Personas respuunt, respuo; quas venerantur, amplector: quia dum universali sunt consensu constituta, se, & non illa destruit, quisquis praesumit aut solvere quos ligant, aut religare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. Quisquis vero praedictarum Synodorum fidem tenet, pax ei sit a Deo Patre per Jesum Christum Filium ejus.* Interim vero finebat, non paucos in Italia & Hispania, qui Synodi quintae nec mentionem fieri patiebantur Catholicae Ecclesiae communione frui, ut ex variis ejus Epistolis compertum est. Unde apparet, non ex omnium omnino Ecclesiarum consensione, sed ex Sedis Apostolicae judicio & confirmatione pendere, quod aliqua Synodus pro legitima, & Sancta, & Oecumenica habeatur. Nam ut certum est, nunquam ad ejusmodi auctoritatis fastigium sine Sedis Apostolicae consensione provehi quintam Synodum potuisse: ita constat, omnium Occidentalium Ecclesiarum non fuisse consensum requisitum, ut ejusmodi praerogativam, & honoris & auctoritatis gradum consequeretur.

Ut ad sextam & septimam Synodum accedamus; ex monumentis, quae ad eas pertinent, probare vult Bossuetius, quod „ universalis & „ plena consensio, non tantum ad- „ versus *malignos Interpretes*, sed „ etiam interdum bonis ac probis vi- „ ris est necessaria; etsi enim boni viri „ non dubitant, quin Oecumenica „ Synodus sit infallibilis, quandoque „ haud immerito ac bona fide dubita- „ tur, utrum aliqua Synodus sit ve- „ re Oecumenica. Quale dubium „ contigisse vidimus Hispanicae & „ Gallicae Ecclesiae circa Synodum „ sextam & septimam, ad quas vo- „ cati non essent. Quare haud im- „ merito affirmamus, ultimum, quo „ Synodi Oecumenicae asserantur, „ esse Ecclesiae universalis consen- „ sum cum Apostolicae Sedis confir- „ matione conjunctum.

Sextam & septimam Synodos pro Oecumenicis fuisse habitas, etiam antequam ad eas Hispanicarum & Gallicarum Ecclesiarum consensus accederet, superiore libro suis locis uberri-

(a) Lib. I. Epist. XXIV.

rime demonſtravimus. Quare hoc loco ea cura & labore ſuperſedendum eſt. Inde autem colligitur, alienam eſſe a communi veterum traditione Illuſtriſſimi Auctoris opinionem, quae omnium Eccleſiarum conſenſionem requirit cum Sedis Apoſtolicae confirmatione conjunctam, ne haud immerito ac bona fide dubitetur, utrum aliqua Synodus ſit vere Oecumenica. Quod autem ait, univerſalem hanc & plenam conſenſionem, non tantum adverſus *malignos Interpretes*, ſed etiam interdum bonis ac probis Viris eſſe neceſſariam: id quidem admittimus, quoniam interdum & viri boni ac probi, quoniam homines ſunt, humanis infirmitatibus obnoxii ſunt, turbatur eis judicium, & privatis affectionibus in tranſverſum aguntur, quos interdum Sedes Apoſtolica tolerat, donec ſanentur. Inde autem immerito quiſquam efficiat, quod ex eorum judicio pendeat, an aliqua Synodus pro legitima & oecumenica ſit habenda. Nam ſupra ex Pelagio I. demonſtravimus, hujuſce rei judicium non ad particulares Synodos aut Eccleſias, ſed ad ſolam Sedem Apoſtolicam pertinere.

Adfert etiam Illuſtriſſimus Adverſarius in ſuae opinionis confirmationem Sancti Gelaſii teſtimonium „ „ qui approbationi Leonis univerſa„ lis Eccleſiae conſenſionem adjun„ git, eaque internoſci docet *male* „ *geſtam Synodum a bene geſta Sy*„ *nodo*, quod *male geſtam Synodum*, „ puta Epheſinam ſecundam (a) *to*„ *ta merito Eccleſia non recepit*, „ *& praecipue Sedes Apoſtolica non* „ *probavit*. *At bene geſtam Syno*„ *dum cuncta recepit Eccleſia*, *ac* „ *maxime Sedes Apoſtolica compro*„ *bavit*; ut profecto inter ceteras „ Eccleſias eminere oporteat Eccle„ ſiae Principalis aſſenſum. At illud „ interim requiratur, ut Eccleſiae „ totius conſenſus accedat. Haec „ ergo eſt ultima adverſus *malignos* „ *Interpretes* Synodi bene geſtae te„ ſtificatio: Sedis Apoſtolicae con„ junctus cum totius Eccleſiae ap„ probatione conſenſus, quam con„ firmationem dicimus.

Reſpondemus, quod ſi Gelaſii teſtimonium integrum Meldenſis Epiſcopus adtuliſſet, nullus huic difficultati locus pateret, quinimo ipſius omnino rationes conturbaret. Nam Sanctus Gelaſius primo docet, quod ſola Sedes Apoſtolica Synodum male geſtam evertit, & quod ipſa ſola rerum in legitima Synodo gerendarum auctrix fuit, & normam legemque praeſcripſit, cui univerſa Eccleſia paruit & obſecuta eſt: SOLA *Sedes Apoſtolica* ..... *impiam Synodum non conſentiendo ſubmovit*, *ac pro veritate ut Synodus Chalcedonenſis fieret*, SOLA *decrevit*; *in qua Pontificibus innumeris*, *qui Latrocinio corruerant Epheſino*, *veniam poſcentibus* SOLA *conceſſit*, *& in ſua perfidia permanentes nihilominus* SUA AUCTORITATE *proſtravit*: *quam Congregatio*, *quae illic pro veritate reparanda collecta fuerat*, *eſt ſecuta*: *quoniam ſicut id*, *quod prima Sedes non probaverat*, *conſtare non potuit*, *ſic quod illa cenſuit judicandum*, *Eccleſia tota ſuſcepit*. Ac deinde ſubjungit, quae Boſſue-

(a) Epiſt. XIII. ad Epiſc. Dardan.

ſuetius exſcripſit. Unde evidenter apparet, quod non ex Eccleſiae conſenſione bene geſta Synodus auctoritatem accepit; ſed ideo bene geſtam Synodum Eccleſia tota ſuſcepit, quoniam ejuſmodi Synodus Sedis Apoſtolicae auctoritate munita erat.

Praeterea nos nequaquam inficiamur, Sedis Apoſtolicae conjunctum cum totius Eccleſiae approbatione conſenſum, optimum eſſe & patentiſſimum bene geſtae Synodi argumentum; quod unum, ſi placet, Gelaſius docuerit; id, inquam, minime inficiamur, neque ulla de hac re poteſt eſſe inter Catholicos controverſia. Sed in hoc ab Illuſtriſſimo Auctore vehementiſſime diſſentimus, quod non haberi exiſtimat Eccleſiae univerſalis conſenſionem, donec exploratus fuerit & habeatur omnium particularium Eccleſiarum conſenſus: & bona fide nec immerito dubitaſſe Hiſpanos & Gallos, an ſexta & ſeptima Synodus vere Oecumenicae eſſent, antequam ab ipſis reciperentur. Id porro, de quo invicem ac potiſſimum diſſentimus nequaquam Gelaſius docuit, nec proinde illo Gelaſii textu confirmari poteſt. Non docuit etiam Synodus Epheſina, quae ſe ipſam Oecumenicam praedicabat, quamquam Johannes Antiochenus Patriarcha, & Orientales Epiſcopi diſſiderent. Non docuit Pelagius I. qui Synodum quintam nondum ab Hiſpanis & Gallis receptam, univerſalem appellabat. Non docuit S. Gregorius, qui eamdem Synodum pari cum aliis quatuor veneratione proſequebatur, eique univerſalem conſenſum vindicabat, quamvis adhuc Hiſpani in ſuis Toletanis Conciliis non niſi quatuor Oecumenicas Synodos recenſerent. Non docuit Leo II. qui ſextam Synodum Oecumenicae Synodi appellatione donabat, antequam Hiſpanorum de illa mentem atque ſententiam exploraſſet. Non docuit ſeptima Synodus, quae ut ſe Oecumenicam celebraret, ſatis habuit, ut in ſuo conſeſſu, quod pertinebat ad Occidentales, Sedis Apoſtolicae Legatos haberet. Subindeque cum ipſa, tum reliquae Synodi, & Romani Pontifices ab ea quam longiſſime aberant opinione, quod omnium omnino Eccleſiarum conſenſus requiratur, ut aliqua Synodus & Oecumenica, & legitima, adeoque omnis erroris expers judicetur.

CAPUT X.

„ Andreae Duvallii de confirmatione
„ ſententia confutatur; nempe,
„ quod ante eam Conciliorum ana-
„ themata valeant tantum ſub ſpe
„ rati: Concilii octavi locus egre-
„ gius.

Quae adverſus Duvallii opinionem Boſſuetius intorquet, noſtram doctrinam minime feriunt. Quare opus non eſt, ut in iis examinandis immoremur.

CA-

CAPUT XI.

„ Ex antedictis resolvitur illud, duo-
„ decim saeculis inauditum, quod
„ Episcopi jurisdictionem omnem
„ a Papa mutuentur; quodque
„ Papae assistant, ut Consiliarii
„ tantum, non ut Judices.

SAepe diximus, ab ea nos abesse opinione, quam Illustrissimus Adversarius in praesenti Capite insectatur, quod nimirum Episcopi in Conciliis generalibus sedeant *ut Consiliarii tantum, non judices*. Agnoscimus, eos in Synodis Oecumenicis, una cum Romano Pontifice, & sub ipso, tamquam membra sub capite, de Haereticis judicare, anathemata in Haereticos intorquere, leges & Canones universae Ecclesiae praescribere. Id ipsum nobiscum agnoscunt insigniores gravioresque Theologi, qui Romanum Pontificem *ex Cathedra* definientem ab omni errandi periculo eximunt: quare nonnisi ad invidiam nostrae doctrinae conflandam, Meldensis Episcopus toties probare aggreditur, Episcopos in Conciliis Judices esse, & non simplices Consiliarios; perinde atque unum ex altero omnino pendeat; neque admitti possit, Judicium Papae in fidei rebus supremum esse & irreformabile, nisi judicandi facultatem ceteris Episcopis adimamus. Quomodo autem haec invicem conciliari possint, ad Caput hujusce Libri ultimum exponemus.

Eodem utitur artificio Illustrissimus Adversarius in altera hîc quaestione tractanda de Origine Episcopalis jurisdictionis; perinde ac nostra sententia eo potissimum fundamento nitatur, quod Episcopi jurisdictionem omnem a Pontifice mutuentur. Quamvis autem huic opinioni confirmandae apta imprimis & idonea sint complura veterum Patrum & Romanorum Pontificum testimonia; ex eaque etiam sponte fluat, Episcopos quamlibet in Synodum Oecumenicam conjunctos, nihil posse adversus auctoritatis suae radicem & fontem: nos tamen longe certius existimamus, supremum esse & irreformabile Romani Pontificis de fidei rebus judicium, & uberiorem esse ampliorem & excellentiorem in solo Capite quam in reliquo Ecclesiae corpore auctoritatem, quam omnem Episcoporum jurisdictionem & auctoritatem ab ipso Romano Pontifice derivari. Nolumus ergo ex minus certa opinione, & quae multorum odio & invidiae patet, longe certiorem elicere & confirmare. Quum ad nostram doctrinam tuendam in eo satis praesidii sit, quod quaecumque auctoritas in Ecclesiae corpore constituatur, ab ipsius Capitis majestate & auctoritate pendeat, undecumque ea corporis auctoritas immediate proficiscatur. Quare in id unum probandum in sequentibus Capitibus incumbemus; omissa interim illa ad rem nostram non necessaria disputatione de immediata & proxima Episcopalis jurisdictionis & auctoritatis origine, quae nos etiam a proposito nostro longius abduceret.

CA-

CAPUT XII.

„ Quo sensu dictum sit ab Antiquis,
„ a Petro, & per Petrum esse
„ Episcopatum. Sancti Augustini
„ locus.

SI Meldensis Episcopus in hoc & sequentibus Capitibus quum Scripturae & Patrum testimoniis respondet, quibus plerique Theologi demonstrare sibi videntur, Episcopos jurisdictionem omnem a Romano Pontifice mutuari; si, inquam, Meldensis Episcopus contentus esset ea testimonia in alium sensum inflectere, ac detorquere, nulla mihi cum ipso in praesentia concertatio esset; ut qui nolim de judicio Pontificis irreformabili certissimum dogma ex minus certa opinione pendere; & dum Episcopalis auctoritas Romano Pontifici subjiciatur, mihi perinde sit, a quocumque illa principio immediate ac proxime derivetur. Verum Meldensis Antistes non satis habuit, ut laudata ex Evangelio & antiquis Patribus testimonia utcumque exponeret, & a nativa, aut saltem quam primo exhibent significatione deflecteret; verum & alienum omnino sensum illis adfinxit, ut iis nimirum neque ipsa Episcopalis dignitas & auctoritas a Romani Pontificis auctoritate pendere significetur. Quare etsi eum ab Anglorum & Graecorum erroribus quam longissime abesse pro certo habeam; attamen quod pertinet ad haec duo Capita in quibus modo versamur, nullum judico repertum iri Graecum schismaticum, nullum Episcopum Anglicanum, qui non utroque pollice subscripturus sit interpretationi, quae ab ipso, veterum Patrum & Evangelii testimoniis adhibetur. Quis enim eorum non ultro ac libenter agnoscat, in Petro fuisse primum ostensam, inchoatam, & commendatam Episcopalem auctoritatem; ac Petrum ligandi atque solvendi claves recepisse, quatenus Ecclesiam praefigurabat? Addit quidem, haec in illo ut omnium Principe facta esse, & propter ipsius inter discipulos primatum. Verum id gratis ab ipso adjungi, Graecus schismaticus & Anglicanus Episcopus contendent; quum ipse interim illustriora Evangelii ac traditionis loca evertat, viamque sternat ad alia similiter labefactanda, quibus Petri primatus ac principatus adseritur. Ut enim illud etiam obiter dicam, hac Illustrissimus Adversarius methodo usus est: ut quae a Catholicis adversus haereticos & schismaticos ad adstruendum Petri & Romani Pontificis primatum urgentur, ipse sibi objectionis loco solvenda proponeret: quae vero ab Haereticis adversum Catholicum dogma proferuntur, & Catholici cum Ecclesiae doctrina conciliare satagunt; ipse vult, ut pro certa regula, scripturae ac traditionis textibus interpretandis, habeantur. Qua methodo semel admissa, nemo non videt, quanta pertubatio in res Theologicas invehatur. Faciam ergo quod omnes Theologi faciunt: Patrum & Scripturae loca, quibus Petri & Romani Pontificis principatus continetur ac vindicatur, urgebo, ut par est, & quae sit eorum vis & efficacitas demonstrabo. Contra vero ostendam, audiendum non

non esse Adversarium, quum quae ipse profert testimonia, pro regula haberi vult, ad quam Scripturae verba & Ecclesiae traditio exigenda sint.

ARTICULUS PRIMUS

Aliquot Scripturae locis probatur, Episcopalem omnem jurisdictionem & auctoritatem aut a Petro & Romano Pontifice manare, aut esse omnino Romano Pontifici subjectam.

Contendimus ergo, quod ea ipsa Scripturae Patrumque loca, quibus Petri Romanique Pontificis principatus adseritur, probent etiam, quidquid in reliquo Ecclesiae corpore potestatis, auctoritatis, & jurisdictionis est, aut a Romano Pontifice proficisci, aut ab eo omnino pendere, ejusque subjici auctoritati. Ut Patres interim seponamus, & ex solis sacris litteris disseramus; primo id constare aperte videtur ex notione Monarchiae, sive Regni, seu Monarchici Regiminis, quod in Ecclesia fuisse a Christo institutum, sacris litteris proditum est; in quibus saepissime Ecclesia aut Regni, aut Regni caelorum appellatione donatur: Danielis cap. II. *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus caeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur &c.* Lucae cap. II. *Regni ejus non erit finis.* Matth. cap. XVI. *Tibi dabo claves Regni caelorum.* „ Id est principatum in Ecclesia (a) „ quae saepius nomine Regni caelorum appellatur, ut cum dicitur: „ *Simile est Regnum caelorum grano* „ *sinapis*. Porro Monarchicum regimen id requirit, ut non modo singuli Magistratus, verum & totius regni Comitia sub Rege sint, ab ipso pendeant, & quidquid in eis auctoritatis & jurisdictionis est, ad Regem velut ad principium, fontem & originem, aut velut ad centrum lineae, referatur. Quum igitur Romanus Pontifex in hoc regno summus sit Princeps & Rex summaque & Monarchica praeditus potestate; inde plane consequens est, quod quidquid in hoc regno auctoritatis & jurisdictionis est, ad ipsum velut ad principium, centrum, fontem, & originem referendum sit.

Haud me latet quid huic argumento Bossuetius reponit (a): „ demonstrandum erat, *inquit*, Ecclesiasticam Monarchiam, sub Christo „ praecipuo Monarcha constitutam, „ ad formam Monarchiae saecularis „ penitus institutam esse. Quod est „ falsissimum: id, inquam scripturis „ & traditione demonstrandum, non „ ex proprio cerebro vanisque ratiocinationibus Christianae Reipublicae forma effingenda erat.

Nos autem imprimis reponimus, quod quum Ecclesiam regni nomine frequentissime donatam in sacris litteris teneamus, non nostrum est demonstrare, quod ad ejus constitutionem illa pertineant, quae ad aliorum Regnorum constitutionem requiruntur: id enim ex ipsa Regni notione sponte fluit: sicut enim quum Deum in sacris litteris hominem esse legimus, quod ad naturam & naturales proprietates hominis pertinet, hominem nobis

(a) Lamy in Harm. Evang. lib. IV. cap. XVII. (b) Infra cap. XV.

nobis similem statim cogitamus: ita quum Ecclesiam Regnum esse in scripturis legimus, quod ad naturam & attributa Monarchici regiminis pertinet, Regnum ceteris simile pariter cogitamus. Quare id nobis demonstrandum non est: sed contra Adversariorum est demonstrare, quod quum Christus in Ecclesia Monarchicum regimen instituit, eamque Regnum esse voluit, aliam Regni formam cogitaverit ab ea longe disparem, quam in ceteris Regnis conspicimus. Nisi enim id aperte demonstret; ex Regni nomine Ecclesiae in sacris litteris attributo sponte, ut jam diximus, fluit, quod quemadmodum in ceteris regnis quidquid auctoritatis & jurisdictionis est, ad regiam potestatem & majestatem velut ad fontem & originem referri debet: ita quidquid potestatis & auctoritatis est in universo Ecclesiae corpore ad Romanum Pontificem velut ad principium & centrum jure ac merito referatur.

Verum & illud praestemus, quod a nobis exigit Illustrissimus Adversarius, & aliis scripturae locis ac traditione demonstremus, Christum haud aliam ab ea, quam sub nomine & notione Regni concipimus, Christianae Reipublicae formam effinxisse. Et ut a scripturis incipiamus, quaecumque loca, quibus Theologi Petri & Successorum ejus in Ecclesia primatum & principatum demonstrant, plane etiam & aperte suadent, non modo singulos Episcopos, non modo singulas Ecclesias, verum & universum Episcopatum, & universum Ecclesiae corpus Romanis Episcopis subjectum esse, ab eis pendere, eorum gubernari ac dirigi auctoritate; subindeque non esse in Ecclesia, & in Concilio oecumenico, quo ipsa repraesentatur; non esse, inquam potestatem, quae Romanorum Pontificum judicia retractare, eorumque acta sollennesque de fide sanctiones ad examen & judicium revocare valeat.

Primum argumentum, quo Petri & Successorum ejus primatus demonstratur, ex illis verbis conficitur, quibus Christus Petro non modo Agnos, verum & Oves pascendas tradidit. Porro quemadmodum per Agnos ceteri fideles; ita per Oves Episcopi designantur: *Prius agnos*, inquit Sanctus Eucherius Episcopus Lugdunensis (a), *deinde oves commisit ei; quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oves; pascit filios, pascit & matres; regit & Subditos, & Praelatos. Omnium igitur Pastor est, quia praeter agnos & oves, in Ecclesia nihil est.* Ex ovibus autem & agnis, hoc est, ex Episcopis & ceteris Christianis, unum Ovile conflatur, cui Christus unum summum Pastorem praeposuit: *Fiet*, inquit, *unum ovile, & unus Pastor*. Pastor ejusmodi, si de visibili loquamur, Romanus est Pontifex: unicum illud Ovile ex agnis & ovibus coalescens, Ecclesia est universalis, non *divisive*, ut ajunt, sed *collective* sumta: Non enim singulae oves seorsim, sed simul sumtae unicum Ovile constituunt. Quis autem ferat, quod Ec-

(a) Serm. de Nat. SS. Apost. Petri & Pauli.

clesia, quae tamquam ovile repraesentatur, & Romano Pontifici velut unico & summo Pastori subjicitur, jus habeat, de ipso Romano Pontifice judicandi? An Pastor ab ovili regi debet & gubernari? Non ne greges pascuntur a Pastoribus & gubernantur? *Pastor*, nomen jurisdictionis est; *Ovile*, subjectionis. Porro Ecclesia universa cum Romano Pontifice velut ovile cum suo Pastore confertur: quoniam, ut ait laudatus Eucherius, *praeter agnos & oves, in Ecclesia nihil est*: ex agnis autem & ovibus non nisi ovile consurgit; quod nihil est aliud, quam agnorum & ovium congregatio.

Deinde, Ecclesia domus est. Nonne igitur, subjungit Nat. Alex. (a), unus esse non debet illius Dominus, unusque in ea Oeconomus constitui? Id certe innuunt verba Christi Lucae XII. *Quis, putas, est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam?* Quae verba S. Petrum spectant. Nam quum paulo ante Dominus dixisset: *Beati servi illi, quos, quum venerit Dominus, invenerit vigilantes &c.* Ait ei Petrus: *Domine, ad nos dicis hanc parabolam; an & ad omnes?* Respondit Dominus: *Quis putas, est fidelis dispensator &c.* Quasi diceret: Ad te imprimis, Petre, haec verba direxi: cui praesertim incumbit attendere, quae dotes necessariae sint servo fideli, quem constituit Dominus super familiam suam. Quae verba S. Johannes Chrysostomus lib. II. de Sacerd. cap. 1. sic exponit, atque illum in scopum urget: *Quanam de caussa ille* (nempe Christus) *Sanguinem effudit suum? Certe ut oves eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri Successoribus committebat. Jure igitur ac merito sic loquebatur Christus*: Quisnam fidelis servus & prudens, quem Dominus super familiam suam constituit?... *Illum* (Petrum) *Christus auctoritate praeditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longe praecellere.* Ex quibus S. Johannis Chrysostomi verbis colligo, inquit laudatus Auctor, S. Petrum ejusque Successores, Pontifices Romanos, supremos in domo Dei quae est Ecclesia, dispensatores a Christo constitutos esse, illorumque tam late fundi potestatem, quam late funditur Christi redemtio. Quare quum nullus omnino sit in Ecclesia, pro quo sanguinem suum non fuderit; nullus omnino est, qui curae Petri & Successorum ipsius non sit subditus. Haec Nat. Alex. At Emin. Bellarminus ulterius pergit; & ex eodem loco Evangelii, & familiae & Oeconomi seu dispensatoris analogia demonstrat, non modo singulos famulos & domesticos, verum & universam familiam, quae ex illis componitur, nullam habere in ipsum Oeconomum potestatem, qui proinde ab ea judicari non possit, solius Dei tanquam summi Domini judicio reservatus: Quod autem, inquit laudatus Cardinalis (b), Oeconomus summus sit supra familiam, & ab ea judicari ac puniri non possit, patet ex hoc eodem loco: Dominus enim ait: *Quem constituit Dominus super familiam suam.* Et ibidem:

(a) Dissert. IV. in Hist. 1. Saec.

(b) Lib. II. de Concil. cap. XVII.

dem: *Quod si dixerit servus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & coeperit percutere servos & ancillas, edere, bibere, & inebriari, veniet Dominus servi illius in die, qua non sperat, & dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet*. Ubi vides, Dominum servare suo judicio servum illum, & non committere judicio familiae. Idem etiam docet usus omnium familiarum: Nulla enim familia est, in qua liceat inferioribus famulis, etiam simul congregatis, punire vel expellere Oeconomum, etiamsi pessimus sit: id enim ad solum Dominum totius familiae pertinet.

Tertio, Ecclesia unum corpus est, cujus caput, ut ex constantissima omnium saeculorum traditione constat, Pontifex Romanus est. At caput non modo singula membra, verum & universum corpus ex eis compactum regit & gubernat, non autem ab ipso regitur & gubernatur: Non ergo Ecclesiae est, de Romano Pontifice judicare, ipsumque auctoritate sua dirigere & gubernare; sed contra ad Romanum Pontificem pertinet, non modo singulos Episcopos, verum & universum Ecclesiae corpus ex omnibus Episcopis veluti totidem membris compactum, & Concilium Oecumenicum, in quo Ecclesia repraesentetur, suprema potestate regere & confirmare, & in officio continere; quemadmodum caput non modo singula membra unit & colligit, verum & illis jam unitis, & unum corpus constantibus spiritum & vitam inspirat. Hinc Patres Concilii Chalcedonensis non modo S. Leoni paruerunt jubenti, ut in Synodum Oecumenicam convenirent; verum & omnes jam in Synodo congregati, in Relatione ad ipsum Leonem totius Concilii nomine conscripta, ipsum tanquam totius corporis caput, & universae familiae Patrem aut summum Oeconomum reverentur: *Quibus tu quidem, sicut membris caput, praeeras .... Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora judicium; & sicut nos Capiti in bonis adjecimus consonantiam; sic & Summitas tua filiis, quod decet adimpleat*. Universa Synodus Romanum Pontificem veluti Caput & Patrem agnoscit; ac turpe judicat, ut membra filiique Capiti & Patri jubeant, legemque praescribant. Rogant ergo, non jubent, ut non quae debet, sed quae decent, filiis & membris adimpleat. Quibus desiderari nihil luculentius potest ad hanc Meldensis Episcopi observationem refellendam (a): „ Et eos quidem (*Episcopos*) legitime convocari oportet, „ ne tumultu coëant: ceterum convocati, *auctoritate Spiritus Sancti non Papae*, judicant; pronunciat „ anathemata, *non Papae auctoritate sed Christi*. Patres Concilii Chalcedonensis in eadem Relatione non modo Leoni tribuunt, ut singula membra colligat, ne vel dispersa jaceant, vel tumultu coëant; verum & ajunt, universae vineae custodiam illi fuisse a Salvatore commissam, tanquam universa Ecclesia unica vinea sit, cui Romanus Pontifex tanquam unicus & summus Vil- licus

(a) Cap. praec.

licus praesit: *Et post haec omnia, insuper & contra ipsum, cui Vineae custodia a Salvatore commissa est,* (Dioscorus) *extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam Sanctitatem; & excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiae unire festinas*. Deinde agnoscimus quidem, Episcopos in Synodis congregatos, seu Concilia ipsa Oecumenica, & Christi & Spiritus Sancti auctoritate judicare, & anathemata pronunciare: verum adjungimus, Spiritum Christi quodam ordine membris Ecclesiae communicari, & per caput in reliquum corpus diffundi; quod proinde spiritu destituitur, nisi Capiti subjiciatur. Ideo dicimus, non modo Christi & Spiritus Sancti, verum & Papae auctoritate, Synodos Oecumenicas judicare & anathemata pronunciare. Alioquin, cur Synodus Chalcedonensis illius decreti confirmationem a Romano Pontifice peteret, quod Christi judicio, & Spiritu Sancto auctore, condidisset? Verum illa, ut ipse etiam Bossuetius observat, eorum decretorum, quae Capiti suo unita condiderat, confirmationem a Leone minime postulavit; ut illud confirmari petiit, quod Sedis Apostolicae Legatis repugnantibus sanxerat. Nimirum intelligebat, prioribus tantum condendis adfuisse Spiritum Sanctum, & Christi auctoritatem; ac proinde non nisi eo quem diximus ordine, Spiritum Sanctum & Christi auctoritatem Conciliis Oecumenicis communicari.

ARTICULUS II.

Patrum loca vindicantur, quibus eadem doctrina, ac de eadem re Ecclesiae traditio, apertissime adseritur, & continentur.

Aliquot veterum Romanorum Pontificum & Patrum, quibus doctrina, Scripturae testimoniis superiori articulo adserta, apertissime continetur, sibi in hoc Capite Bossuetius objicit; respondetque, nihil iis aliud doceri, quam quod „ Petrus primus fuerit, in quo per „ ligandi ac solvendi ministerium „ ostensa, inchoata, commendata „ fuerit Episcopalis potestas: *Et*, „ quod ille primus omnium sit Epi„ scopus constitutus, sive designa„ tus. Quae responsio si semel admittatur, latissima, ut jam diximus, aperietur via ad quamplurima Patrum testimonia eludenda, quibus a Theologis S. Petri principatus adversus haereticos demonstratur. Nos ergo paullisper in iis enucleandis immorabimur, ut quisque percipere valeat & judicare, an is sit legitimus & genuinus eorum verborum sensus, quem illis Bossuetius adfingit.

Primus apud eum occurrit S. Innocentius I. cujus haec verba refert ex Epistola ad Concilium Milevitanum: *Petrum Episcopalis nominis & honoris autorem*. Et iterum ex Epistola ad Concilium Carthaginense: *Unde ipse Episcopatus, & omnis autoritas nominis hujus emersit*. Respondet autem: „ ea caussa vocari „ Petrum ab Innocentio Episcopa„ tus autorem..... quod ab eo fa-

„ ctum

,, ctum sit ejus potestatis inter ho-
,, mines collocandae, & constituen-
,, di sive designandi Episcopatus ini-
,, tium: *Et*: quod ille primus om-
,, nium sit Episcopus constitutus, si-
,, ve designatus.

Quam non bene cohaereret cum verbis Innocentii ejusmodi interpretatio nemo non videt, verum id evidentius patebit, si textus ipsos integros adferamus. In Epistola ad Concilium Carthaginense Patres Africanos Innocentius commendat, propterea quod suum de Pelagianis judicium ad Sedem Petri retulissent: *Scientes*, inquit, *quid Apostolicae*, hoc est, Petri Apostoli, *Sedi debeatur*, *a quo ipse Episcopatus*, *& tota auctoritas nominis hujus emersit*. Et paucis interpositis subjungit, quod Patres *non humana*, *sed divina decrevere sententia*; *ut quidquid*, *quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur*, *non prius ducerent finiendum*, *nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret*, *ut tota hujus auctoritate*, *justa quae fuerit*, *pronunciatio firmaretur*: *indeque sumerent ceterae Ecclesiae* (*velut de natali suo fonte aquae cunctae procederent*, *& per diversas totius mundi regiones pari capitis incorruptae manarent*) *quid praeciperent*, *quos abluerent*, *quos velut in coeno inemundabili sordidatos*, *mundis digna corporibus*, *unda vitaret*. Nolim quidem, ne delicatiores offendam, haec ad extremum urgere. Attamen quis ferat, eorum vim adeo extenuari, ut nihil aliud significent, quam quod vel ipsi haeretici non negabunt, Petrum fuisse primum omnium Episcopum designatum? Obvius eorum verborum sensus est, Petrum, ac Petri Sedem fontem esse, principium & originem totius Episcopalis auctoritatis; ac propterea ad Sedem Apostolicam, velut ad suum fontem aquae recurrerent, referenda esse ex omnibus Christiani orbis regionibus Episcoporum de fidei rebus judicia; ut nativae reddita puritati sine ullius erroris admixtione perfluerent; indeque velut ex natali fonte, novis aucta viribus & pondere auctoritatis, non jam uni vel alteri regioni saluti essent, sed universum orbem irrigarent: Addit enim Sanctus Pontifex: *Et quum pro illis curam geritis*, *quibus praesidetis*, *Ecclesiis*, *sollicitudinem vestram pro omnium utilitate monstratis*: *& per cunctas totius orbis Ecclesias*, *quod omnibus prosit*, *decernendum esse*, *una deposcitis*. Et in alia Epistola ad Concilium Milevitanum: *Quoties fidei ratio ventilatur*, *arbitror*, *omnes fratres & Coepiscopos nostros*, *nonnisi ad Petrum id est sui nominis & honoris auctorem*, *referre debere*, *velut nunc retulit vestra dilectio*, *quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse*. Vis argumenti omnino deposcit, ut omnis Episcopalis auctoritas aut a Petri Sede velut a caussa efficiente omnino dimanet, aut ab ipsa ita pendeat, ut nisi illi conjuncta subsistere non possit, quemadmodum si a fonte rivuli disjungantur; ac propterea ut nulla in Ecclesia auctoritas sit, quae vel non a Romano Pontifice proficiscatur, vel non illi omnino subjecta sit.

Consona iis sunt, quae ex Magno Leone, tum sermone III. in Anniv. Assumt. tum Epist. X. al. LXXXIX. Ad Episc. Prov. Vienn. Bossuetius pro-

profert: *Si quid*, inquit priore loco, *cum eo*, Petro scilicet, *commune ceteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per Petrum dedit, quidquid ceteris non negavit*. Et in alio loco, Christum, ait, ita concessisse ceteris Apostolis praedicandi ministerium, ut in eos a Petro, *tanquam a quodam capite, dona sua, velut in corpus omne, diffunderet*. „ Ut facile „ intelligatur, inquit Illustrissimus „ Adversarius, quid sit illud, *per* „ *Petrum*, quod apud Leonem legi- „ mus, recolenda est antiquae Ec- „ clesiae ab ipsis Scripturis ducta „ traditio. Constat ergo, Domino „ interrogante Apostolos: *Quem di-* „ *cunt homines, esse Filium homi-* „ *nis?* Petrum omnium Principem, „ omnium induta persona respondisse: „ *Tu es Christus*: ac postea Christum „ Petro talem gerenti personam di- „ xisse: *Tibi dabo*: *Quodcumque li-* „ *gaveris*. Quo patet, his verbis „ non modo Petrum, sed in Petro „ suo Principe, ac pro omnibus re- „ spondente, omnes Apostolos eo- „ rumque successores, Episcopali potestate ac jurisdictione esse donatos. Additque in hujusce interpretationis confirmationem verba quaedam S. Augustini, de quibus in sequenti Capite disseremus. Nunc enim in mentem S. Leonis incumbimus.

Quae ut penitius intelligatur, integra ipsius testimonia describenda sunt. Et primum quidem in eo, quem jam citavimus, sermone cap. II. de Apostolorum Principe loquens ait, quod *ab ipso omnium charismatum fonte tam copiosis est irrigationibus inundatus; ut quum multa solus acceperit, nihil in quemquam sine illius participatione transierit.... de toto mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur; ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Christus. Magnum & mirabile, dilectissimi, huic Viro consortium potentiae suae tribuit divina dignatio: & si quid cum eo commune ceteris voluit esse Principibus nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit*. Et infra cap. III. *specialis a Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur*. Similia occurrunt Epistola pariter jam laudata ad Episcopos Provinciae Viennensis: *Sed hujus muneris*, hoc est, Apostolici Ministerii, *Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut id in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret; atque ab ipso, quasi quodam Capite, dona sua vellet in corpus omne manare; ut exsortem se ministerii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuae unitatis assumtum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo*: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; *ut aeterni aedificatio templi, mirabili munere gratiae Dei, in Petri solidita-*

te

te consisteret: hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portae contra illam inferi praevalerent. Verum hanc petrae istius sacratissimam firmitatem, Deo, ut diximus, aedificante, constructam nimis impia vult praesumtione violare, quisquis ejus potestatem tentat invadere &c. Haec omnia nimium profecto deprimit & infringit, qui eo tantum pertinere contendit, ut in Petro omnium Principe, & omnium figuram, omnium gerentem personam, clavium potestatem, & Episcopalem jurisdictionem Apostoli omnes eorumque Successores acceperint. Nam omnia & singula Sancti Pontificis verba in Petro ejusque Successoribus potestatem & auctoritatem commendant, in ceteris Apostolis & Episcopis subjectionem. Quidquid enim Petrus habet, a Christo proxime accipit, a Christo ipse proxime irrigatur, a Christo proxime regitur & sustinetur, a Christo in consortium individuae unitatis adsumitur, a Christo petrae soliditatem accipit & firmitatem. Contra vero quidquid in Apostolis & Episcopis & universa Ecclesia donorum Christi resplendet, hoc Apostoli, hoc Episcopi, hoc universa Ecclesia per Petrum a Christo recipiunt. Per ipsum donis caelestibus irrigantur, per ipsum reguntur & gubernantur, per ipsum firmantur & solidantur. Ipse fons est, unde in ceteros aquarum rivuli derivantur; ipse caput, unde in reliquum corpus caelestia dona funduntur; ipse petra cui totum aedificium innititur. Nihil ex nobis dicimus, haec Leo amplioribus verbis exaggerat. Quae profecto quid amplius indicant, quam quod omnes Apostoli eorumque Successores fuerint in Petro, hoc est, una cum Petro, Episcopi designati. Ait enim inter cetera, quod *magnum & mirabile* Divo Petro *consortium potentiae suae tribuit divina dignatio*, propterea quod *nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit.* Quodnam vero speciale Divinae potentiae consortium & argumentum est, una cum aliis a Christo Episcopum designari? non in eo certe magnum hoc & mirabile divinae potentiae consortium collocat S. Pontifex; sed in eo quod in consortium individuae adsumtum, id quod ipse erat, Petram scilicet voluerit nominari; in eo, quod hanc petram tanta soliditate donaverit, ut super illam nullis concutienda inferorum insultibus Ecclesiae aedificatio consurgat; in eo, quod in Petro omnium fortitudo munitur, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur; in eo, quod aeterni aedificatio templi, mirabili munere gratiae Dei, in Petri soliditate consistat; in eo, quod omnes proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Christus; in eo denique, quod nihil in quempiam sine illius participatione transierit. Haec si ad extremum urgeantur, indicant plane, a Christo per Petrum jurisdictionem omnem & auctoritatem Apostolos accepisse. Verum non omnino displicet, quod Bellarminus observat (a): Nempe „ loqui S. Leo-

 „ nem

(a) Lib. IV. de Rom. Pont. cap. XXIV.

„ nem de modo ordinario, quo Deus „ Ecclesiae Principibus, id est, Epi- „ scopis confert dona sua; ac dice- „ re, conferri ordinarie per Petrum: „ Apostoli autem, inquit laudatus „ Cardinalis, extraordinario privile- „ gio a Christo acceperunt suam ju- „ risdictionem. Demus etiam, neque hoc velle Sanctum Pontificem, quod Bellarminus docet, nempe omnem Episcoporum auctoritatem & potestatem proxime a Romano Pontifice & immediate manare; quis tamen negare audeat, quin hoc saltem Leonis verba significent, omnem eorum jurisdictionem & potestatem ita a Romano pendere Pontifice, quemadmodum vis membrorum a capite, quemadmodum a fonte rivuli, quemadmodum a radice insitus ramus, quemadmodum a solido fundamento structura & soliditas aedificii? Ut proinde quae sine ipso geruntur, omni prorsus & vi, & soliditate, & stabilitate careant; nullaque polleant auctoritate, qui non in ipso consistunt; quemadmodum aut corpus a capite separatum, aut rivus a fonte disjunctus, aut lapides extra fundamentum jacentes, aut ramus a radice praecisus. Hoc certe sequentia verba clare ac diserte significant: *Atque ab ipso, quasi quodam capite, dona sua vellet in corpus omne manare, ut exortem se ministerii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditae recedere*. Quare hoc tantum disceptari posse videtur, an Episcopi similes sint naturalibus ramis in aliam radicem insertis: Naturales enim rami omnem trahunt a sua radice viriditatem: insiti vero aliquam ex se ipsis habebant, antequam in aliam radicem insererentur; quam tamen servare non possunt, si a radice in quam insiti fuerint praecidantur. Ita Episcopi aut omnem trahunt a Romano Pontifice jurisdictionem; aut si quam a Christo proxime accipiunt, eam prorsus amittunt, nisi Romano Pontifici tanquam radici cohaereant. Habeant singuli lapides suam a Christo soliditatem, ut ex eis aeterni templi aedificatio consurgat; sed extra fundamentum disjecti, ullam in hoc aedificio partem habere non possunt. Porro in eamdem mentem ac sensum interpretamur, quae ex SS. Optato Milevitano, Gregorio Nysseno, & Caesario Arelatensi Bossuetius profert testimonia, ut non necesse sit in singulis immorari.

CAPUT XIII.

„ Patres ante Augustinum. Alii Au- „ gustini loci: Traditio sequentis „ aetatis.

Sub finem Capitis praecedentis, „ ut probaret his Evangelicis verbis: *Tibi dabo*; *Quodcumque ligaveris*: non modo Petrum, sed in „ Petro suo Principe, ac pro om- „ nibus respondente, omnes Apostolos „ eorumque Successores, Epi- „ scopali potestate ac jurisdictione es- „ se donatos, haec Bossuetius adtu- „ lit S. Augustini verba: *Quum omnes essent interrogati, solus Petrus respondit*: Tu es Christus; *Et ei dicitur*: Tibi dabo &c. *Tanquam ligandi ac solvendi solus acceperit potestatem: cum & illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tanquam personam gerens unitatis acceperit*.

Quo „

Quo, inquit laudatus Auctor, nihil est clarius. Et insuper hoc S. Augustini testimonio, quod aliis in hoc Capite ejusdem S. Doctoris locis illustrat, contineri docet veram & genuinam illius Evangelici textus expositionem; quae etiam constanti veterum Patrum & Ecclesiae traditione firmetur: Hujus autem traditionis, ex Patribus, qui S. Augustinum praecesserunt, testes producit S. Martyrem Cyprianum, & Sanctum Optatum Milevitanum; ex his vero, qui post S. Augustinum floruerunt, Christianum Drutmarum noni saeculi scriptorem, eodemque habitae saeculo Cabillonensis Synodi Patres & Caroli Magni Capitularia. Quae profecto nimium pauca sunt, ut constantem Ecclesiae traditionem adserant ac demonstrent. Multum autem eorum auctoritati detrahitur, si demonstretur, tum eum locum ceteros Patres aliter interpretari; tum esse reapse aliter interpretandum; tum denique nec eos omnes quos citat Patres, & imprimis SS. Cyprianum & Optatum Milevitanum huic interpretationi favere. Quae omnia sequentibus Articulis demonstrare aggredimur.

ARTICULUS PRIMUS.

Haec Christi Domini verba: Tu es Petrus &c. Et tibi dabo claves &c. *Ad unam & singularem S. Petri personam retulit constans veterum Patrum & Ecclesiae traditio, quae ante & post Sanctum Augustinum obtinuit.*

Sanctus Augustinus in iis omnibus locis, quae Bossuetius profert, aut indicat, & quae etiam apud alios Theologos obvia sunt, laudata Christi Domini verba exponens, nomen Petri a petra derivat, quemadmodum Christiani nomen a Christo, & ait, illo significatam fuisse totam Ecclesiam, quae supra petram, id est Christum, aedificatur; & quemlibet Christianum, qui Christi Divinitatem agnoscit & confitetur, suo quodam modo Petrum esse, quemadmodum & Christianus est & petrae vocabulo non ipsum Petrum significatum fuisse docet, sed Christum, cujus Petrus Divinitatem agnoverat, palamque professus fuerat. Denique eidem Petro, ut Ecclesiae personam & figuram gerenti, datas fuisse a Christo claves Regni caelorum iis verbis: *Tibi dabo claves &c.*

Protestantes hanc S. Augustini verborum Christi interpretationem obviis manibus exceperunt; & quamquam illa adversus sancti Doctoris mentem palam & manifeste abutuntur; attamen aptissima est ad omnia argumenta eludenda, quae ad adstruendum Petri primatum, Theologi ex illis verbis conficiunt. Bossuetius haud alia ratione eam ceteris expositionibus praefert, & Ecclesiae traditioni consonam praedicat & extollit, quam quod ipsius rationibus accommodata est. Nam ignorare non poterat, tum ea minime contineri *literalem*, quem vocant, sive Historicum Scripturae sensum, aut si pro *literali* accipiatur, eam Evangelico textui manifestam inferre vim; tum eam communi veterum Patrum traditione refelli, qui verba illa Christi ad unicam & singularem Petri personam referenda esse censuerunt.

Ita Tertullianus lib. de Praescript. cap. XXI. *Latuit aliquid Petrum aedificandae Ecclesiae Petram dictum, claves regni caelorum consecutum, & solvendi & alligandi in caelis & in terris potestatem?*

Ita Origenes apud Euseb. lib. VI. cap. XIX. *Petrus super quem Christi Ecclesia, contra quam inferorum portae non praevalebunt, aedificata est.*

Ita S. Cyprianus Epist. LXXI. *Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem aedificavit Ecclesiam.*

Ita S. Basilius ad Cap. II. Isaiae: *Illico per hanc vocem, Petrus, intelligimus Jonae Filium...... qui quoniam fide praestabat, Ecclesiae aedificationem in se ipsum recepit.*

Ita S. Gregorius Nazianzenus Orat. XXVI. *Vides, quemadmodum ex Christi discipulis, magnis utique omnibus & excelsis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Ecclesiae fundamenta in fidem suam accipiat; ille impensius ametur &c.*

Ita S. Johannes Chrysostomus Homil. LV: in Matthaeum: *Tu vero mecum ex eis omnibus, quanta sit potestas ejus* (Petri) *intellige*: Ego dico tibi, *inquit*. „ Tu es Petrus: „ Et ego super te aedificabo Eccle- „ siam meam: ego tibi dabo claves „ regni caelorum.

Ita S. Epiphanius Haeresi LIX. *Princeps Apostolorum Petrus, qui quidem solidae petrae instar nobis exstitit, cui velut fundamento Domini fides innititur; supra quam Ecclesia modis omnibus exstructa est.*

Ita S. Hieronymus lib. I. adversus Pelagianos cap. IV. *Ut Plato Princeps Philosophorum; sic Petrus Apostolorum fuit; super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est.*

Ita S. Hilarius Canone XXVI. in Matth. *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatione illius petra, quae infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolveret!*

Ita S. Cyrillus Alex. lib. II. in Johan. cap. XII. *Discipulum instruit, eum se esse, qui cuncta, etiam antequam fiant, novit; nec Simon fore jam nomen sibi, sed Petrus, praedicit; vocabulo ipso commode significans, quod in eo tanquam in petra lapideque firmissimo, suam esset aedificaturus Ecclesiam.*

Ita apud S. Augustinum lib. I. Retract. cap. XXI. Sanctus Ambrosius; & Augustinus ipse lib. unic. contra Epistol. Donati, ut ipse fatetur sequentibus verbis: *In hoc libro dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo tanquam in petra fundata sit Ecclesia: qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus Beati Ambrosii, ubi de Gallo Gallinaceo ait*: Hoc ipsa Petra Ecclesiae canente culpam diluit. *Sed scio, me postea saepissime sic exposuisse, quod a Domino dictum est*: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; *ut super hanc petram intelligeretur, quam confessus est Petrus, dicens*: Tu es Christus Filius Dei vivi; *ac si Petrus ab hac petra appellatus, personam Ecclesiae figuraret, quae supra hanc petram aedificatur, & accepit claves regni caelorum: non enim dictum est illi*: Tu es Petra; *sed* Tu es Petrus: Pe-

Petra autem erat Christus; *quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum, quae sit probabilior, eligat Lector.* Itaque S. Augustinus non revocat, quod ante docuerat, nec in priorem expositionem censorium stilum exercet; sed Lectoris arbitrio & judicio permittit, ut eam praeferat, quam probabiliorem existimat. Nobis autem non modo probabilior, verum & certissima esse videtur prior interpretatio, tum quod unice textui cohaereat Evangelii; tum propter veterum Patrum, eam communiter probantium, auctoritatem. Traditionem usque ad Sanctum Augustinum perduximus. Facile autem esset eamdem per sequentia tempora continuare: sed paucis, iisque insignioribus testimoniis contentus ero, ne Lectores fatigem.

Philippus Presbyter & Sedis Apostolicae Legatus Act. III. Concilii Ephesini; *Nulli*, inquit, *dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum Princeps & Caput, fideique columna, & Catholicae Ecclesiae fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo .... claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est.* Fidei columna & Ecclesiae Catholicae fundamentum Petrus dicitur, quoniam ipse petra illa est, supra quam Christus aedificavit Ecclesiam.

Legati S. Leonis Act. III. Concilii Chalcedonensis sententiam adversus Dioscorum his protulere verbis: *Sanctissimus ..... Leo ..... una cum ter beatissimo, & omni laude digno Beato Petro Apostolo, qui est petra & crepido Catholicae Ecclesiae, & rectae fidei fundamentum, nudavit eum Episcopatus dignitate &c.*

S. Leo Serm. III. de Assumt. sua ad Pontificatum, verba Evangelica exponens ita Christum ad Petrum loquentem inducit: *Sicut Pater meus tibi manifestavit Divinitatem meam: ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam*, quia tu es Petrus: *Id est quum ego sim inviolabilis petra, ego* lapis angularis, qui facio utraque unum; *ego* fundamentum, praeter quod nemo potest aliud ponere; *tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris; ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.*

S. Prosper, vel quisquis Auctor est librorum de vocatione Gentium lib. II. cap. XXVIII. adfinia his, quae mox ex S. Leone retulimus, de Petro scribit: *Quis ergo ambigat, quis ignoret, hanc fortissimam petram, quae ab illa principali petra communionem & virtutis sumsit & nominis, hoc desiderium semper habuisse, ut ei moriendi pro Christo constantia donaretur?*

Sergius Cypriorum Metropolita in Epistola ad Theodorum Papam, quae lecta est Secret. II. Concilii Lateranensis sub S. Martino I. ita Romanum Pontificem Petri successorem adloquitur: *Firmamentum a Deo fixum & immobile .... vestram Apostolicam Sedem constituit, o Sacer Vertex, Christus Deus noster: Tu es enim, sicut divinum veraciter pronunciat Verbum, Petrus, & super fundamentum*

tuum

ttuum Ecclesiae columnae confirmatae sunt. Tibi & claves regni caelorum commisit, atque ligare & solvere potestative, quae in terra & in caelis sunt, promulgavit. Haec ideo in Romanum Pontificem transierunt, ac de ipso singulariter praedicantur, quoniam primum uni Petro a Christo concessa sunt. Aliis, quae innumera sunt, hujuscemodi testimoniis describendis ultro supersedeo, quod haec sufficere existimem ad demonstrandum, quaenam sit vera constansque Ecclesiae traditio in horumce verborum interpretatione: *Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*.

Perinde autem concordes sunt iidem veteres Patres in sequentibus Christi verbis: *Et tibi dabo claves regni caelorum &c.* ad eamdem unam & singularem Petri personam referendis.

Id patet primo ex Tertulliani, Johannis Chrysostomi, Hilarii, Philippi Presbyteri & S. Caelestini Legati in Concilio Ephesino, & Sergii Cypriorum Metropolitae, quae jam adduximus testimoniis; qui, ut haec verba: *Tu es Petrus, & super hanc petram &c.* ita & ista: *Tibi dabo claves regni caelorum &c.* veluti ad solum directa Apostolorum Principem interpretantur. Et plane absurdum esset, priora verba ad ipsam proprie Petri personam, posteriora vero ad eumdem, ut Ecclesiae personam & figuram gerebat, referre; quum textus ipse aperte suadeat, pronomen illud demonstrativum, *Tu*, *Tibi*, idem omnino subjectum indigitare. Quare qui in prioribus verbis nihil aliud, quam Petrum cogitant, eosdem necesse est in posterioribus exponendis ad solum Petrum respicere.

Praeter laudatos Patres. Optatus Milevitanus lib. VII. de schismate Donatistarum: *Bono unitatis*, inquit, *Beatus Petrus, cui satis erat, si post quod negavit, solam veniam consequeretur, & praeferri Apostolis omnibus meruit, & claves regni caelorum communicandas ceteris solus accepit*: „ Revera, inquit Bossuetius, „ quae Petro datae sunt Matth. XVI. „ communicandae erant postea Apo- „ stolis Matth. XVIII. & Johan. XX. „ communicandae autem, non a Pe- „ tro, sed a Christo, ut patet. Ergo ex S. Optato Milevitano, ipsomet, fatente Adversario, Matth. XVI. claves regni caelorum, saltem proxime & immediate, non ceteri Apostoli, non Ecclesia, sed solus Petrus accepit.

S. Gregorius Magnus lib. IV. Epist. XXXII. ad Mauricium Augustum: *Cunctis Evangelium scientibus liquet quod voce Dominica sancto & omnium Apostolorum Principi Petro Apostolo totius Ecclesiae cura commissa est. Ipsi quippe dicitur* .... Tu es Petrus, & super hanc petram &c. Et tibi dabo claves regni caelorum &c. *Ecce claves regni caelestis accepit; potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur; cura ei totius Ecclesiae & principatus committitur*. Ergo quemadmodum soli Petro totius Ecclesiae principatus commissus est; ita hoc loco soli Petro claves regni caelorum traditae sunt.

Stephanus Dorensis Episcopus in libello, quem Sancto Martino I. Romano Pontifici obtulit, & Secretar. II. Con-

Concilii Lateranensis relectus est : *Aperta lucubratione claves regni caelorum creditae sunt ei, atque ipse tantumodo ad aperiendum eas fidelibus . . . . magnus secundum veritatem, & Princeps Apostolorum meruit Petrus.*

Sanctus ipse Martinus eodem Secret. Stephano Dorensi Episcopo concinit, quum de Apostolorum Principe loquens, ait similiter, quod *solus, atque, prae omnibus creditus est, atque accipere meruit a Rege regum Christo Deo claves regni caelorum ad aperiendum recte credentibus in eumdem Dominum nostrum, & claudendum infidelibus haereticis.*

Concinit & S. Maximus Martyr, quum in Epistola ad Petrum illustrem scribit, quod *Sanctissimae Romanorum Ecclesiae Beatissimus Papa ab ipso incarnato Dei Verbo . . . . universarum, quae in toto terrarum orbe sunt, Sanctarum Dei Ecclesiarum in omnibus & per omnia percepit, & habet imperium, auctoritatem & potestatem ligandi, atque solvendi. Cum hoc enim ligat & solvit etiam in caelo Verbum, quod caelestibus virtutibus principatur.* Quandonam vero Ecclesia Romana principatum & imperium omnium Ecclesiarum ab incarnato Verbo suscepit, & singularem hanc ligandi atque solvendi auctoritatem & potestatem? Tunc profecto, quum Petrus ab ipso Christo claves regni caelorum accepit; quae tunc proinde ipsi tantummodo traditae sunt, quemadmodum ipsi tantum omnium Ecclesiarum principatus & imperium traditum est. Et haec sufficere existimo, ut aliquod communis Ecclesiae traditionis in iis quoque verbis ad solum Apostolorum Principem referendis, specimen habeatur. Quare alia, quae huc congeri possunt, lubens praetermitto.

ARTICULUS II.

De Sancti Cypriani mente atque sententia operosius differitur: Aliqua item de S. Optato Milevitano, aliisque Patribus & Auctoribus, quorum testimoniis Bossuetius S. Augustini doctrinam & interpretationem confirmat.

Sancto Augustino passim praeluxisse Sanctum Martyrem Cyprianum, Meldensis Episcopus jactat; cujus Sancti Martyris auctoritas quum non minimi ponderis ac momenti sit, libet in ejus mentem atque sententiam accuratius inquirere. Pluribus in locis hoc de argumento differit Sanctus Doctor, ex quibus omnibus invicem collatis ejus doctrina exsculpenda est.

Primum occurrit celebris locus ex libro de Unitate Ecclesiae, qui varie in variis Codicibus, & editionibus legitur, illum describam, prout eum legisse videtur sexto saeculo Pelagius II. quum secundam scribebat Epistolam ad Episcopos Istriae: *Loquitur Dominus ad Petrum*: Ego dico tibi, *inquit*, quia tu es Petrus &c. *Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit*: Pasce oves meas. *Super illum unum aedificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat*: Sicut misit me Pater &c. *tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate dispo-*

posuit. Hoc erant utique & ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti & honoris & potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, & primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur. Et pastores sunt omnes, & grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur, ut Ecclesia Christi una monstretur. Quam unam Ecclesiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus Sanctus ex persona Domini designat, & dicit: Una est columba mea &c. *Hanc Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiae renititur & resistit; qui Cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?*

Verba illa, ET *primatus Petro datur*. Et illa: *Qui Cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia deserit*, in quamplurimis, iisque etiam antiquissimis Codicibus minime reperiri, Latinius, Rigaltius, Baluzius, & Oxonienses Editores adfirmant; ea proinde marginales esse notas, quae in textum postmodum irrepserunt. Ea tamen, ut ante monebam, legisse videtur in suo Codice Pelagius II. quum ante mille fere & ducentos annos ad Episcopos Istriae scribebat: ,, ut merito hinc colligi debe- ,, re videatur, *inquit Baluzius in* ,, *Not. ad hunc locum*, haec quae ,, mihi videntur hodie non esse Cy- ,, priani, esse antiqua, & ea vere ,, esse Cypriani, creditum esse ae- ,, vo Pelagii, id est, ante mille ,, annos. Quapropter etsi Cypriani auctoritatem non habent, Pelagii tamen auctoritate, qui illa citat & laudat, minime destituuntur.

Non sint tamen illa nec Cypriani nec Pelagii, & omnino tanquam insititia & adulterina, expungantur & abjiciantur. Quod omnes tanquam genuinum agnoscunt, sufficit ad communem traditionem confirmandam de textu illo Evangelico ad solum Apostolorum Principem referendo. Ait enim, quod super unum aedificavit Christus Ecclesiam; quod quamquam eamdem post resurrectionem suam ceteris Apostolis dedit, tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit; & quod exordium ab uno proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur. Quorum utique verborum sensus non est quem illis Bossuetius adfingit; nempe Apostolo Petro ut unitatis vel Ecclesiae personam & figuram gerenti, ac proinde in eo etiam ceteris Apostolis & universae Ecclesiae Matth. XVI. traditas fuisse claves regni caelorum. Nam quemadmodum tunc super unum, non super omnes, aedificavit Ecclesiam; ne Ecclesia super Ecclesiam aedificata intelligatur; ita uni, & non omnibus, tradidit claves. Dedit quidem & aliis Apostolis remittendorum & retinendorum criminum potestatem, verum post resurrectionem: hic autem singulariter eas Petro tradidit, aut promisit; Petro, inquam, non ut Ecclesiae vel unitatis formam aut figuram gerebat; [nam hujusce rei in Cypriano ne vola quidem aut vestigium exstat:] verum illum constituens ipsius unitatis fundamentum, originem, & principium; quem proinde continendae servandaeque totius Ecclesiae unitati singulari potestate & auctoritate donavit: velut fundamentum,

tum, quod universo aedificio unitatis principium est & origo, firmum esse oportet & stabile, ne ipso nutante, universa compago solvatur ac dissipetur.

His illustrandis plurimum valent, quae, paucis interpositis, de Ecclesiae Catholicae unitate idem eleganter disserit Cyprianus: *Ecclesia quoque una est, quae in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur. Quomodo Solis multi radii, sed lumen unum, & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; & cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium Solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit: Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: A fonte praecide rivum, praecisus arescit. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit: unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia urbertatis extendit: profluentes largiter rivos latius expandit: unum tamen caput est, & origo una, & una mater, fecunditatis successibus copiosa.* Ex quibus Sancti Cypriani verbis colligit Nat. Alex. Dissert. IV. Histor. Ecclesiast. Saec. I. ,, Unitatem Ecclesiasticam a S. Petro, & ejus successoribus derivari quomodo radii a Sole, rami ab arbore, rivi a fonte; & ita unum esse Episcopatum, ut unitatis illius origo sit Sanctus Petrus. Profecto hanc Ecclesiae unitatem ubique Sanctus Martyr ad Petrum, ad Sedem Apostolicam, ad Ecclesiam Romanam velut ad principium, radicem, fundamentum, & originem refert: Ita Epist. XLVIII. al. XLV. ad Cornelium de Polycarpo Hadrumetino: *Nos enim singulis navigantibus* (Romam) *ne cum scandalo ullo navigarent, rationem reddentes, scimus nos hortatos eos esse, ut Ecclesiae Catholicae* RADICEM ET MATRICEM *agnoscerent ac tenerent*. Et Epist. LIX. al. LV. ad eumdem Cornelium; quum prius dixisset, quod *super Petrum aedificata a Domino fuerat Ecclesia*, inferius subjungit: *Post ista adhuc insuper Pseudoepiscopo sibi ab aereticis constituto, navigare audent & ad Petri Cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, a schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare, eos esse Romanos, quorum fides Apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum*. Ad haec verba: *Ecclesiam principalem*, haec adnotat Stephanus Baluzius: Haec ,, verba, satis scio, nollent Adversarii nostri (*Protestantes & Pseudo reformati*) non exstare in Cypriano. Itaque omnes machinas ,, movent, ut ostendant, nihil hic ,, extraordinarium tribui Romanae Ecclesiae, principalem vocari dicentes pro magnitudine sua, ut in ,, Epistola XLIX. ait Cyprianus, quia ,, in principe civitate constituta erat, ,, quia prima est ordine. Et tamen ,, sciebant, Irenaeum Episcopum Lugdunensem Cypriano antiquiorem ,, scripsisse lib. III. cap. III. necesse esse omnem Ecclesiam concurrere ad Romanam *propter potentiorem principalitatem* ... Poterant advertere, & Tertullianum ,, di-

„ dixisse in libro de Praescriptioni-
„ nibus adversus haereticos, nobis
„ auctoritatem presto esse ex urbe
„ Roma, & Cyprianum non semel
„ dixisse, Ecclesiam aedificatam esse
„ super Petrum, & exordium unita-
„ tis ab eo proficisci. Quae verba
„ magni momenti sunt in hac caus-
„ sa. Denique observandum est, Cy-
„ prianum, cum conqueritur de auda-
„ cia Schismaticorum, qui post judi-
„ cium Episcoporum Africae pro-
„ vocaverant ad cathedram beati Pe-
„ tri atque ad Ecclesiam principa-
„ lem, nullo modo respexisse ad
„ magnitudinem urbis Romae, cujus
„ illi praesidium non implorabant,
„ sed ad Cornelium. Erat enim caus-
„ sa Ecclesiastica. Itaque certum es-
„ se debet, hîc agi de auctoritate
„ Episcopi Romani, ad quem anti-
„ quitus confugere solebant Episco-
„ pi, qui se a Collegis suis oppres-
„ sos querebantur, ut illi Schisma-
„ tici. Confundit autem Cyprianus
„ Cathedram Petri cum Ecclesia
„ principali, quia Cathedra Petri
„ est Ecclesia principalis, & Eccle-
„ sia principalis est Cathedra Petri.
Haec autem non modo adversus haereticos valent, verum & in eos quoque, qui Petro claves traditas fuisse docent, ut Ecclesiae sive unitatis formam gerebat: Id enim, ut articulo sequenti ostendemus, nihil auctoritatis & jurisdictionis Petro in ceteros Apostolos contulisset. Verum S. Cyprianus non unitatis formam, sed unitatis originem & firmamentum in Petri Cathedra collocat; idque propterea quod Ecclesia principalis sit, & Ecclesiae Catholicae radix & matrix, tanquam petra, supra quam Christus aedificavit Ecclesiam. Quod non minus luculenter docet Epist. LXXXIII. ad Jubajanum, ubi Ecclesiae unitatem non ex eo repetit, quod in uno praefigurata sit, sed super unum fundata, qui & claves regni caelorum accepit; & qui proinde non unitatis forma, sed fundamentum, & radix & origo est: *Quo venturus est, qui sitit, utrumne ad haereticos, ubi fons & fluvius aquae vitalis omnino non est; an ad Ecclesiam quae una est, & super unum, qui & claves ejus accepit, Domini voce fundata est? Haec est una, quae tenet & possidet omnem Sponsi sui & Domini potestatem. In hac praesidemus, pro honore ejus atque unitate pugnamus*,

Hinc ergo facile intelligitur, quomodo accipiendus sit locus, quem ex Epist. XXXIII. al. XXVII. Meldensis Episcopus profert: *Dominus noster, cujus praecepta & monita observare debemus, Episcopi honorem, & Ecclesiae suae rationem disponens, in Evangelio loquitur, & dicit Petro*: Ego dico tibi, quia tu es Petrus &c. *Inde per temporum & successionum vices Episcoporum ordinatio & Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiae per eosdem Praepositos gurbernetur*. „ In uno igitur Pe-
„ tro, inquit Bossuetius, omnes Epi-
„ scopos institutos Cyprianus agno-
„ scit, neque immerito. Episcopa-
„ tus, eodem Cypriano passim atte-
„ stante, unus toto orbe terrarum,
„ in uno est institutus. Idque factum
„ est ad stabiliendam *unitatis origi-*
„ *nem ab uno incipientem*, ut idem Cy-
„ prianus docet. Episcopatum, at-

que

que adeo Episcopos omnes, in uno institutum, dispositum & inchoatum fuisse, agnoscimus & fatemur; sed eo sensu, quo in fundamento universae domus ac totius aedificii forma & structura disponitur & inchoatur: nec melius stabiliri potuisse contendimus ***unitatis originem***, quam ordinando, ut ***ab uno*** inciperet, qui illius fons, & radix esset & firmamentum. Primùm ergo in uno, id est, in Petro Apostolorum principe Episcopatus dispositus est & institutus, tanquam in capite, fonte radice, ac fundamento, in quibus tota vis corporis rivulorum, arboris, atque aedificii continetur: postmodum autem, hoc est, post resurrectionem, ut idem docet S. Cyprianus, & in se ipsis Episcopalem potestatem a Domino receperunt. *Nam Petro*, inquit Sanctus Martyr laudata superius Epist. ad Jubajan. *primùm Dominus, super quem aedificavit Ecclesiam, & unde unitatis originem instituit & ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in caelis, quod ille solvisset in terris. Et post resurrectionem quoque ad Apostolos loquitur dicens:* sicut misit me Pater, & ego mitto vos &c. Quod & Firmilianus non minus disertis verbis docet in Epistola ad ipsum Cyprianum, adversus Stephanum Papam, ubi S. Petrum vocat unius Ecclesiae fundamentum, tanquam petram, super quam ipsius Ecclesiae unitas, non quidem figurata, sed solidata est: ac soli Petro primum dictum fuisse, *Quaecumque ligaveris &c.* quod postmodum ceteris Apostolis dictum est: *Nec permanet*, inquit, *in fundamento unius Ecclesiae, quae semel a Christo supra petram solidata est; hinc intelligi potest, quod soli Petro Christus dixerit:* Quaecumquae ligaveris &c. *& iterum in Evangelio, quando in solos Apostolos insufflavit Christus dicens:* Accipite Spiritum Sanctum: si cujus remiseritis peccata &c. *Potestas ergo peccatorum remittendorum Apostolis data est, & Ecclesiis, quas illi a Christo missi constituerunt, & Episcopis, qui eis ordinatione vicaria successerunt.* Quae plurimum valent ad objectum Cypriani locum intelligendum. Nam diserte docet, primum soli Petro, ut unius Ecclesiae fundamento, deinde & ceteris Apostolis traditam fuisse remittendorum criminum potestatem.

Hinc etiam intelligitur, quomodo sit accipiendum quod ait Optatus Milevitanus *bono unitatis* solum Petrum claves regni caelorum communicandas ceteris accepisse. Id enim bonum unitatis poscebat, ut unus esset, ad quem velut ad fontem & originem Ecclesiastica auctoritas referretur, & a quo velut a centro & fundamento penderet; ut ipse apertius & luculentius declarat in alio loco, quem hic adtexere libet cum Gabrielis Albaspinei Aurelianensis Episcopi in eum notis (*a*): *Ergo probavimus, eam esse Ecclesiam Catholicam, quae est in toto terrarum orbe diffusa, ejus jam commemoranda sunt ornamenta, & videndum, ubi sint quinque dotes ..... inter quas* (*b*) *Cathedra est pri-*

(*a*) Lib. II. cont. Parmenian.

(*b*) *Cathedra est prima*. Potestas clavium & missio est prima. *Albasp. cujus & sunt notae seqq.*

prima .... videndum est (a) quis, & ubi prior Cathedram sederit. Si ignoras, disce; si nosti, erubesce.. ... Igitur negare non potes, scire te (b) in urbe Roma (c) Petro primò (d) Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit (e) omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus est: (f) in qua una Cathedra (g) unitas ab omnibus servaretur; ne ceteri Apostoli (h) singulas sibi quisque defenderent: (i) Ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra (k) singularem Cathedram alteram collocaret. (l) Ergo Cathedram unicam, quae est prima de dotibus, (m) sedit prior Petrus (n) cui successit Linus &c. Damaso Siricius, hodie qui noster est socius: cum quo nobiscum totus orbis commercio formatarum, in una communionis societate concordat. (o) Vestre Cathedrae

(a) *Quis, & ubi prior Cathedra.* Videndum est, cui primo potestas, missio, & Sacerdotium concessum mandatumque sit.

(b) *In urbe Roma.* Romae igitur sedit, qui primus Cathedram obtinuit.

(c) *Petro primò.* Docet, Christum D. Petro primam Cathedram, & primam missionem concessisse: hoc est, eum Ecclesiae & omnibus Sacerdotiis praefecisse.

(d) *Cathedram Episcopalem.* Primam missionem: omnem potestatem, a qua ceterae deducerentur.

(e) *Omnium Apostolorum caput.* Est caput Apostolorum, ex Optato, quia primam habuit Cathedram suam, ex qua ceteri potestatem & Cathedram acceperunt.

(f) *In qua una Cathedra.* Habet Pontifex Christi Cathedram; & ea Cathedra una, non multiplex: Quapropter ut quis eam habeat, oportet, ut eam a Pontifice, cui prima ea est tradita, accipiat; Haec est Optati doctrina.

(g) *Unitas ab omnibus.* Hoc est, ut omnes adhaererent Summo Pontifici: servare enim unitatem in prima illa Cathedra, est, ab illa Cathedra originem ducere, & Sacerdotium accipere. Nota loquendi formulam, servare unitatem in Cathedra Summi Pontificis, quibus liquet, Optatum credidisse, & docuisse, primam Cathedram, potestatem, missionem, quae verba apud eum sunt synonyma, Romanam esse, eamque summum Pontificem occupare; ab ea ceteras vim suam & potestatem accipere debere; in ea, & cum ea omnibus adhaerendum esse, & qui cum ea non communicarent, schismaticos esse: nam Optatus ex his, & ex consequentibus, missionis & potestatis suae rationem reddit, eamque non alio argumento probat, nisi quod cum summo Pontifice conjunctus esset.

(h) *Singulas.* Ergo ceterorum Apostolorum Cathedrae non erant primae, neque singulae, sed erant Cathedrae a Cathedra illa una, quam Romae Christus constituerat, propagatae & genitae.

(i) *Ut jam schismaticus.* Ut esset schismaticus, qui suam Cathedram ab illa una & prima non accepisset, atque peccator, qui sine Pontificis missione Cathedram sibi arrogaret.

(k) *Singularem Cathedram.* Nota singularitatem Cathedrae. Quam male Antiquis illis conveniret cum haereticis nostris, qui singularitatem non agnoscunt.

(l) *Ergo Cathedram unicam.* Ex eo quod ceteri Apostoli non haberent singulares Cathedras, concludit, unicam esse Cathedram, & eam Romae esse.

(m) *Sedit prior Petrus.* Primus ex Pontificibus sedit.

(n) *Cui successit Linus.* Probavit primo unitatem Cathedrae Christi. Secundo, eam Romae institutam fuisse. Tertio, D. Petrum primo eam occupasse. Quarto, Apostolorum Cathedras ab ea manasse. Quinto, illam Cathedram, quae Petro tradita esset, ad Siricium & Damasum usque, per seriem Pontificum maximorum pervenisse.

(o) *Vestrae Cathedrae.* Suae rationem & originem edidisse videtur Optatus, quando Parmenianum ad id faciendum invitet & compellat: hoc autem fecit Optatus docendo, se cum Summo Pontifice communi-

drae vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare. Sed & habere vos in urbe Roma partem aliquam dicitis; [a] *ramus est vestri erroris, protensus de mendacio, non de radice veritatis.* Cathedrae suae legitimam esse originem probat ex sua cum Romana Cathedra communione, quam unam esse docet & singularem; ex qua proinde ceteras oriri & proficisci necesse est, quae tamen legitimam sibi originem vindicant, & rami sunt de veritatis radice surgentes, non de mendacio propagati. Itaque ubi Christus Petrum Apostolorum omnium caput constituit, quum eum Cepham vocavit, quum ei claves regni caelorum singulariter tradidit; Cathedram unam instituit, in qua unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, quae non ab illa originem ducerent, & velut a radice penderent. Videantur notae doctissimi Aurelianensis Episcopi.

Quibusdam interpositis S. Augustini testimoniis, de quibus sequenti Articulo disseremus, observat Illustrissimus Adversarius, manasse eamdem ad Posteros traditionem de datis Petro clavibus, ut Ecclesiae formam & personam gerebat. Verum a quinto saeculo, in quo Augustinus florebat, ad nonum transitum facit, ex quo Christianum Drutmarum profert, qui S. Augustini opinionem amplectitur, de qua nostrum judicium sequenti articulo proferemus. Interim vero ex eodem saeculo veteris & a nobis expositae traditionis testem adducemus Rhabanum Maurum, cujus profecto longe est quam Drutmari celebrior & insignior Auctoritas, qui in eum de quo nunc agimus Matthaei locum scribens ait, quod *Beatus Petrus, qui Christum bona fide confessus, vero est amore secutus, specialiter claves regni caelorum, & principatum judiciariae potestatis accepit.* Possemus addere eidem concinentes alios ejusdem aevi & sequentium saeculorum Scriptores; verum in re tam obvia nolumus frustra tempus insumere.

Profert etiam Adversarius Cabillonensis & Remensis Synodi Patres, & Capitularia ab Ansegiso collecta, quibus dicuntur Episcopi potestatem & auctoritatem Episcopalem a Christo in Beato Petro accepisse; ac propterea in aliis quoque monumentis Episcopi vice Petri ejusque auctoritate anathemata intorquent. Quae tamen eo referri debent, quod est, ut jam ostendimus, antiquioribus Patribus traditum; ut nimirum in Beato Petro velut in capite, fonte, & origine, Episcopalem auctoritatem accepisse intelligantur; & vice Petri.

nionem habere, & participare cum prima illa Cathedra, quae una est. Itaque ex summi Pontificis communione duo possunt deduci; Episcopum, schismaticum non esse; utque & legitima eum uti potestate & missione.

(a) *Ramus vestri est erroris.* Hoc est ille Pseudoepiscopus, quem Romae constituistis, est ramus productus ex trunco erroris vestri & schismatis, quod est in Africa; non est radix, sed ramus. Atqui Episcopi Romani non sunt missi ab aliquo, non sunt rami, sed sunt radix: ceteri ab eo manant, & originem ducunt, illi a nullo oriuntur.

tri ejusque auctoritate anathemata pronunciare, quod eorum auctoritas quaedam sit auctoritatis Petro traditae derivatio.

ARTICULUS III.

Admissa S. Augustini expositione, non posse ex Cap. XVI. Matth. Petri primatum adversus haereticos demonstrari: Eam tamen expositionem textui minime cohaerere, ex ipsis Protestantibus demonstratur. Petro eo loci super universam Ecclesiam; non modo distributive, verum & collective, tributam fuisse supremam auctoritatem.

VEteres Patres, & Romanos Pontifices, & Catholicos Theologos principatus Petri fundamentum in eo potissimum textu, de quo nunc agimus, collocare, nemo est qui ignoret. Quare de Catholico dogmate non bene profecto merentur, qui hujusce loci vim hisce temporibus non adserere & vindicare, sed exoticis interpretationibus infringere & labefactare conantur. Et quidem S. Augustinus, quod adversus Donatistas disputans, verba illa, *& super hanc Petram*, ad Christum traxerit, & Petro claves ut Ecclesiae figuram gerebat traditas propugnarit, a Theologicorum dogmatum tractatoribus optimis rationibus excusatur (*a*). Sed nemo est, qui adversus haereticos disputans, traditionem exigi velit ad Augustinianae interpretationis amussim: haec enim inter objecta recensetur, quibus Catholicum dogma ab haereticis oppugnatur. Et certe si Petrus, ut Ecclesiae figuram gerebat Matt. XVI. claves accepit, hinc probari non potest, quod in ceteros Apostolos, & in universam Ecclesiam principatum obtinuerit.

Difficultatem in omnium oculos insilientem vidit etiam Illustrissimus Adversarius, eamque verbis sequentibus occupavit: ,, Neque propterea ,, dixeris, nihil prae ceteris accepisse Petrum, qui tantum ceteros figuraret: Meminisse enim oportet, ,, quid Augustinus dixerit (*b*), *Petrum* ,, *Ecclesiae gessisse personam, propter* ,, *primatum, quem in discipulis habuit*. Et alibi [*c*]: *Petrus Ecclesiae figuram portans, Apostolatus principatum tenens: quod assidue inculcat, & ceteri Patres uno* ,, *ore praedicant*. Hoc enim habuit ,, prae ceteris, ut cum esset omnium ,, Princeps, illud potestatis a Christo ,, proxime & immediate manantis ,, commune depositum principali jure & ipse acciperet, & ad successores transmitteret. Verum haec quidem optime ostendunt, ac perspicue demonstrant, S. Augustinum Catholicam de primatu & principatu Petri doctrinam tenuisse; ac propterea illius auctoritate ac testimoniis temere Novatores abuti; inde tamen minime efficitur, vim argumento restitui, quod ex Christi verbis adversus Haereticos Catholici Tractatores eliciunt. Nisi forte quispiam huic argumento nonnihil inesse momenti existimet: ,, Cui tamquam Principi Ec- ,, cle-

(*a*) Videsis Nat. Alex. Differt. IV. in Hist. Saec. I. §. III.
(*b*) Conc. in Psalm. CVIII.
(*c*) Serm. LXXVI. al. XIII. de Verb. Dom.

„ clesiae figuram gerenti Christus „ tradidit claves, in omnes Disci- „ pulos primatum & principatum „ contulit, & eum omnium Princi- „ pem instituit: Atqui Petro tam- „ quam Principi Ecclesiae figuram „ & personam gerenti Christus tra „ didit claves: ergo & in omnes „ Apostolos primatum ipsi & prin- „ cipatum contulit, eumque om- „ nium Principem instituit. Vis argumenti omnino postulat, ut probetur Petrum quum claves accepit, non utcumque, sed ut omnium Discipulorum Principem, Ecclesiae figuram & personam gessisse; vel, ut Bossuetius ait [a], *placuisse Christo, Ecclesiam in Petro figurari ut in Principe*: Id autem facile quidem Augustini auctoritate probabis; sed hoc non quaerimus: volumus autem, ut Christi testimonio & auctoritate probetur: agimus enim de Petri principatu adversus Haereticos, qui traditionem & Patrum auctoritatem despiciunt, verbis Evangelicis vindicando. Semel autem admissa Evangelici textus tradita ab Augustino interpretatione, aut haeretici reponent, gratis a te adfirmari; *placuisse Christo, Ecclesiam in Petro figurari ut in Principe*; vel id tibi ex hoc ipso textu demonstrandum est; aut fatendum, ad adstruendum Petri primatum eum prorsus ineptum & inutilem esse. Proba ergo ex hoc ipso Matthaei loco, *placuisse Christo &c.* Hic tibi prorsus haerere aquam necesse est. Nam verba illa, *Et super hanc petram*, juxtam eam, quam amplecteris expositionem, ad Christum referenda sunt, non ad Petrum: haec autem, *Tibi dabo claves*, dictae sunt Petro ut Ecclesiae figuram gerenti: *tamquam principi*, adjungis: Petitio principii est, reponent Adversarii; id tibi probandum incumbit (b).

Male

(a) Infra cap. XIX.

(b) Reapse Auctor Notatum, nono Abbatis Fleurii in Historiam Ecclesiasticam discursui subjunctarum, quamquam Catholicus videri velit, & Ecclesiae Romanae conjunctus, attamen hac ipsa ratione contendit, non modo ex sacris litteris probari non posse, Romanum Pontificem errori obnoxium non esse, verum & ejus primatum juris esse divini, seu divinae institutionis. Ita pag. 24. „ Le sentiment de „ ceux qui regardent la primauté du Pape „ comme d'institution humaine & de Poli- „ ce Ecclesiastique ne doit proint être re- „ gardée comme heretique. *Et infra pag.* 31. „ Les passages de l'Ecriture que Mr. l'Ab- „ bè Fleury emploie pour prouvèr que la „ primauté de l'Evêque de Rome est de „ droit Divin, ne sçavrojent l'établir en „ aucune maniere. Selon la regle reçuë „ par tous les Catholiques, que le Conci- „ le de Trenre a adoptée & que Pie IV. „ a inserée dans la profession de foi que „ l'on fait faire a tous ceux qui rentrent dans „ l'Eglise, on ne doit interpreter l'Ecritu- „ re que selon le consentement unanime de „ tous les Peres; or les deux passages que „ cite Mr. de Fleury expliqués selon cette „ regle ne donnent aucune privilege parti- „ culier au Pape. Quant au premier: *Tu „ es Pierre, & sur cette Pierre je bâtirai „ mon Eglise*, il est differemment expli- „ qué par les Peres. *Quatuor autem ejusmodi expositionibus ex Launojo recensitis adjungit*: „ que les trois dernieres explications „ ne donnent aucune prerogative particulie- „ re a Saint Pierre. *Et*, qu'il n'y a que „ la premiere dont il semble qu'on pourroit „ conclure que Saint Pierre a reçu par ces „ paroles quelque privilege particulier de „ Jesu Christ: *Prior autem illa expositio „ eorum Patrum est*, qui enseignent que „ l'E-

Male itaque Catholico dogmati consulunt, qui expositionem textui minime cohaerentem alteri praeferunt, quae in eum unice quadrat; cujusmodi est illa, quae ad solum Petrum ea Christi Domini verba dirigit. Id vero adeo clarum & apertum est, ut hac de re vel ipsis Protestantibus, qui paullo candidiores sunt, cum Catholicis Expositoribus conveniat. Latissime id & invicte demonstrat Camero in illum Matth. locum ex cujus prolixa de hoc argumento oratione pauca hic speciminis ergo subjiciam: „ Ex his, quae hactenus di„ cta sunt, liquet quidem, aliquid „ singulare a Christo Petro fuisse his „ verbis collatum, quod non fuit il„ li cum reliquis Apostolis commu„ ne. Sed quia id novum & inso„ lens multis videri possit, proban„ dum jam & confirmandum nobis „ est: deinde vero aperte definien„ dum. Quidnam sit illud singulare „ & praecipuum. Et ad prius qui„ dem illud quod attinet; multa „ sunt, quae evincunt, in Petrum „ aliquid eximium supra reliquos A„ postolos a Christo fuisse collatum, „ ac primum quidem ipsa totius ora„ tionis emphasis. *Et infra*: Haec „ arguunt, Christum his verbis Pe„ trum singulariter & seorsim com„ pellare, proindeque & singulare „ quidpiam illi tribuere. Quorsum „ enim pertinet illa Christi oratio, „ quae illius mens, quis scopus, si „ communiter, si aeque reliqui di„ scipuli ac Petrus compellantur? „ Numquid Petri nomen omnibus A„ postolis commune fuit? Tum ve„ ro illud *Simon Bar-Jona*, quum „ ad reliquos Apostolos minime per„ tineat (neque enim illi nati fue„ runt patre Jona) quae ratio ef„ fecerit, ut quae eodem teno„ re cum illis conjuncta & continua„ ta sequuntur, alio trahantur? De„ inde etiam illa, *Tibi dico*, *Tibi* „ *dabo*, *Tu es Petrus*, haud dubie „ magnam habent emphasim, & „ clare aperteque significant, haec „ tam dicta singulariter, Petro sin„ gulariter & peculiari quadam ratio„ ne convenire.

Henricus Hammondus in suis ad hunc Matth. locum Annotationibus: „ Petro dicit hic Christus, eum „ fore lapidem κατ' ἐξοχὴν, qui post „ lapidem angularem, primus in „ aedificio Ecclesiae Christi dici pos„ sit; qui quum semel structus fo„ ret, numquam erat diruendus; „ eumque potestatem regendae Ec„ clesiae, quam denotant claves, „ habiturum. *Et infra*: Claves re„ gni caelorum significant potesta„ tem administrandae Ecclesiae ..... „ Haec potestas, quam Christus pro„ mittit se Petro, singulari nempe „ homini daturum; ut quidquid sol„ veret vel ligaret, id esset solutum, „ aut ligatum in caelo.

Denique, ut alios omittam, Johan-

„ l'Eglise a été bâtie sur Saint Pierre *Et infra pag.* 35 idem docet de altero *Evange-* „ *lico textu*: Pasce oves meas: *quoniam* „ *& iste* est applique, *inquit*, par toute „ la tradition à tous les Apôtres & à tous „ les Pasteurs quoiqu'ils soient. Quod & dicendum de his verbis: *Tibi dabo claves regni &c.* si Petrus velut omnium gerens personam a Christo claves accepit, non autem illi speciatim ac singulariter datas fuisse dicamus. Sed de hac re iterum ad priora Capita libri XV. Tomo seq.

hannes Clericus, haec verba exponens. Εἰ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ: Similem, *inquit*, παρω-„ νομίαν observavimus ad Genes. „ XLIX. 8. ubi vide notata. Si vel „ hoc solum animadvertissent Inter-„ pretes, nunquam negassent, *Pe-„ trum* & *Petram* hîc esse unum „ eumdemque Virum; nempe, „ Simonem in Apostolico collegio „ eximium. Consulatur Johannes „ Camero, in Praelectionibus ad „ hunc locum, aut in Myrothecio, „ ubi rem extra omne dubium collocavit. Videatur & Hugo Grotius in suis ad Matth. cap. XVI. Annotat. Porro illud ad nos non pertinet, qua in re positam esse velint singularem illam praerogativam, quam soli Petro fuisse tributam, Protestantes ejusmodi Expositores adfirmant; vel quid illi comminiscantur, ne Petro potestatem jurisdictionis in ceteros Apostolos fuisse collatam, & eam potestatem ad ipsius in Romana Cathedra successores pertransisse fateri cogantur. Sufficit nobis, ut quaecumque fuerit illiusmodi praerogativa, & ad Petrum, & ad solum Petrum, ex eorum sententia referenda sit. Quod autem illa sit potestas jurisdictionis, & quod ad Romanos Pontifices dimanarit, Galli Theologi non negabunt; qui passim, & verbis sane magnificis praedicant, Beatum Petrum totius Ecclesiae caput fuisse divinitus constitutum, eamque dignitatem & capitis auctoritatem in Romanis Pontificibus Petri successoribus usque ad consummationem saeculi permanere. Sed quaestio est alibi data opera pertractanda; an ejusmodi potestas sit in universam Ecclesiam *collective*, ut ajunt, an solum *distributive*. Quaestio ridicula, & Sophistarum propria, si a nobis excitaretur. Sed quoniam Galli Theologi hac distinctione opus habent, ad Romani Pontificis auctoritatem coërcendam, digna Theologica gravitate effecta est. Christus super Petrum Ecclesiam veluti unam domum aedificavit: Porro unam domum non faciunt singuli lapide seorsim ac distributive accepti, sed eorum tota collectio, & quae ex eis consurgit universa compago, id vero est, quod omnes hac voce, *domus*, intelligunt. Itaque & haec una domus, quam Christus supra petram aedificavit, universum corpus primo ac potissimum significat ex omnibus Episcopis simul & collective sumtis conflatum; cujus proinde corporis tota potestas & jurisdictio ex Romani Pontificis potestate & auctoritate veluti fundamento, radice, & capite pendet.

CAPUT XIV.

„ Cleri Gallicani ab antiqua traditione ducta sententia: Conventus generalis anni 1655. adversus Johannem Bagotium acta memorantur.

Quid Clerus Gallicanus anno 1655. adversus Johannem Bagotium de proximo & immediato Ecclesiasticae jurisdictionis in Episcopis & secundi Ordinis Sacerdotibus seu Parochis, fonte senserit ac decreverit; & utrum ejus sententia cum veteri traditione conspiret, quaestio est, quam hoc loco nolumus definire. Quum ad nostrum institutum & sco-

scopum satis, ut saepe diximus, in praesentia sit, ut undecumque Episcoporum & Parochorum auctoritas proxime derivetur; ea tamen, etiam prout in universo corpore reperitur, a Romano Pontifice velut a Capite pendeat, in eoque tanquam in radice & fundamento subsistat.

CAPUT XV.

„ Authoris Anonymi de jurisdictione
„ Episcopali a Summo Pontifice
„ profecta, vanae commentationes:
„ Sancti Gregorii loci: Bellarmini
„ objectio: S. Felicis tertii locus.

QUae etiam in hoc Capite adversus Auctorem tractatus de libertatibus Ecclesiae Gallicanae disputat Bossuetius, nolumus ad trutinam revocare. Satis, & quantum praesenti instituto & proposito sufficit, nostrum de hac controversia sensum aperuimus. Auctor ille in omnium manibus est: an ipsius argumentis satis a Meldensi Episcopo factum sit, diligens & accuratus Lector judicabit.

CAPUT XVI.

„ Loci S. Johannis Chrysostomi,
„ a novissimo Authore Anonymo
„ objecti.

SAnctus Johannes Chrysostomus Hom. LV. in Matth. S. Petrum vocat *omnium Apostolorum os*, & *verticem consortii totius*; indeque colligit ille Bossuetio Anonymus Auctor, auctoritatem & sententiam Petri, non modo singulorum, verum & omnium simul Apostolorum auctoritati ac sententiae praevalere.

Respondet Adversarius, quod „ notare Anonymus debuisset, eum „ esse oris loco qui promat quid „ omnes sentiant. *Et rursus*: Quis „ inter Catholicos dubitat, quin „ Romanus sit caput & vertex totius Ecclesiae. An proinde ejus „ sententia omnium sententiae praevaleat, quaestio est. *Denique*, „ & Senatus Principem totius Ordinis Principem Caputque dici.

Quod unus promat quid omnes sentiant, duplici fieri ratione potest. 1. Rogatis prius aliorum suffragiis, quomodo Princeps Senatus totius Ordinis sententiam promit. 2. Propria, vel accepta divinitus auctoritate, non tam promendo quid alii sentiant, quam quod alii sentire debent. Quemadmodum Rex, totius Regni; quemadmodum, juxta Adversarios, Concilium Oecumenicum, Romano Pontifici cohaerens, totius Ecclesiae sententiam promit. Hoc autem pacto, juxta Sanctum Doctorem, Petrus Apostolorum os fuit, & promsit quid omnes Apostoli sentiebant, aut sentire debebant: Non enim aliorum suffragia rogavit, sed *confestim*, inquit, *prosilivit*, *ac praeveniens*, *ait*: „ Tu es Christus Filius „ Dei vivi. Atque ut haec diceret, non ab Apostolis, ut Princeps Senatus ab universo coetu, sed ab aeterno Patre per caelestem inspirationem divinam & insuperabilem accepit auctoritatem: *In medium Patrem produxit, qui ad confessionem veritatis animum Petri commovit. Ita Petrus quidem locutus est; Pa-*

ter autem illi, *quod loqueretur*, *suggessit*: *ut non humanam opinionem*, *sed divinam sententiam divinitus dictam*, *Petrum credas enunciasse*.

Deinde, ex eo quod omnes fatentur; nempe, Romanum Pontificem caput esse & verticem totius Ecclesiae, colligimus, quod Galli Theologi negant, ipsius videlicet sententiam omnium sententiae praevalere. Nam Petrus *qui in suis adhùc successoribus vivit*, *& judicium exercet*, & per ipsorum loquitur ora, *Petrus per os Leonis locutus est*; non ab Apostolis, non ab Episcopis, vel Apostolorum & Episcoporum Collegio, ad sancienda fidei dogmata auctoritatem accipit, sed quum ex Cathedra loquitur divinam sententiam, & divinitus dictam ipsique suggestam, pronunciat.

Praeterea ex eodem Chrysostomo probat laudatus Auctor, Petro vere ac proprie, & non tantum sicut Ecclesiam significanti, factam esse promissionem de aedificanda super ipsum Ecclesia: tum Petrum Pastorem universi gregis esse constitutum.

Reponit Bossuetius: „ Id omnes, „ ac praecipue Parisienses, & Gal- „ licanos Patres confiteri, neque „ in communi fide stabilienda labo- „ randum fuisse.

Haec quidem fatentur verbis, sed reapse eorum virtutem negant, ac penitus labefactant. Nam si Petrus universi gregis, hoc est, universae Ecclesiae tanquam unius gregis Pastor constitutus est; annon inde consequens est, illi super unicum hunc gregem, ex universis & agnis & ovibus, hoc est, fidelibus & Episcopis, constitutum datam fuisse divinitus auctoritatem? Hinc S. Johannes Chrysostomus: *Hic aperte* (Christus) *praedixit*, *magnam eorum*, *qui credituri & erant*, *& sunt*, *multitudinem fore*; *& sublimiora sapere ipsum facit*, *& Ecclesiae Pastorem constituit*. Recte his verbis Anonymus ille subjungit: „ An existimas, illum, quem „ Christus *sublimiora sapere facit*, „ a multitudine, cujus pastor con- „ stituitur, docendum esse, non „ multitudinem ab ipso? Pastorem „ Ecclesiae ab Ecclesia; non Ec- „ clesiam a suo Pastore? Ad haec, si vere & proprie, & in solo Petro tamquam firmo & immobili fundamento, suam Christus aedificavit Ecclesiam; & ad eum solum haec verba pertinent: *Tu es Petrus*, *& super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam*: pariter ad eum solum vere & proprie, & non ut Ecclesiae formam & personam gerentem, haec verba referenda sunt: *Tibi dabo claves regni caelorum*; subindeque defendi amplius non potest Augustiniana horumce verborum expositio, quam tanto conatu molitur Bossuetius adstruere. Erit enim sensus: *Tu es Petrus*; & super te veluti petram aedificabo Ecclesiam meam; tibique tanquam Ecclesiae fundamento & Principi dabo claves regni caelorum, id est; (a) *principatum in Ecclesia & summam potestatem*, *cujus traditio clavium symbolum est*.

Id vero est, quod ab Anonymo sexto loco positum est, & a Parisiensibus non negari Bossuetius docet; nem-

(a) Lamy in Harm. Evang. lib. IV, cap. XVIII.

nempe, *Ut Petro vere, proprie, ac excellentiore modo revelata fuerat Christi divinitas: ita ipsi vere, & proprie, & immediate dari claves regni caelorum*. „ Haec postrema, „ inquit Meldensis Episcopus, sunt „ certissima, additis sane iis, quae „ ex Augustino ac Patrum traditio- „ ne hausimus; ut nimirum claves regni caelorum, velut Ecclesiae personam gerens Petrus acceperit: cujus sane traditionis in hoc Chrysostomi loco, de quo in praesentia disserimus, ne vola quidem aut vestigium est. Sed neque in aliis Patribus, ut jam superius ostendimus.

CAPUT XVII.

„ Alius Chrysostomi locus in Acta „ Apostolorum.

„ NOster Anonymus, *inquit* „ *Bossuetius*, ultimo loco me- „ morat Beati Chrysostomi Homi- „ liam III. in Acta Apostolorum, in „ eaque vim facit maximam. Ibi „ Sanctus Doctor exponit sermonem „ Petri de uno ex Discipulis in Col- „ legium Apostolicum cooptando. „ Quo loco Chrysostomus id notat: „ Petrum ubique loqui primum; „ Graeca autem sic habent: *Et ut* „ *fervidus, & ut is, cui a Christo* „ *Grex esset creditus, & ut coetus* „ *Princeps semper primus incipit lo-* „ *qui*: hoc autem omnes confitentur.

Nos autem ex hoc ipso, quod omnes confitentur, conficimus id quod ab Adversariis, quod ab ipso Bossuetio negatur. Nempe, super omnes Apostolos simul sumtos, & super universam Ecclesiam simul & collective acceptam Principis Apostolorum auctoritatem & potestatem eminere. Nam Grex nihil est aliud, quam Ovium Agnorumque collectio, & Oves & agni simul sumti Gregem constituunt: Huic autem Gregi ex Ovibus & Agnis, hoc est, ex Apostolis & omnibus Fidelibus constituto Petrus veluti Pastor praeficitur ex Chrysostomo. Itaque non modo supra singulos Apostolos, verum & supra omnes simul & collective sumtos Petri auctoritas eminebat.

Hinc autem facile intelligitur, quid velit idem Chrysostomus quum subjungit: *Merito primus omnem auctoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu*. Nam ex praecedentibus constat, sic Petrum habuisse in manu omnes Apostolos, quomodo Pastor gregem, ut eum ducat quo velit, non ut ab ipso ducatur. Quae ratio non modo in illo singulari negotio, de uno discipulorum in Judae locum adsciscendo; verum & in quibuscumque aliis negotiis valebat, quae ad universi gregis ductum & directionem pertinerent.

Negat id quidem Bossuetius, additque, quod Anonymus „ quando- „ quidem rem ad extremos apices ur- „ get, addere debuisset, Petrum „ etiam solum omnia potuisse quo- „ cumque in negotio. Nec tantum „ in designando Matthia, sed etiam „ in exponenda fide, in extinguen- „ do schismate, in constituenda uni- „ versali disciplina, idque absolute „ & ad nutum, nec ulla Coapostolis „ deliberatione permissa, qualia nec „ Petrus, nec ipse Chrysostomus, nec „ quisquam homo sanus somniavit.

Duo in electione Matthiae spectari possunt, quorum alterum juris erat,

& ad

& ad fidem pertinebat & Scripturarum interpretationem; alterum vero in *facti*, ut ajunt, quaestione versabatur. Juris erat, & ad fidem & Sripturarum interpretationem pertinebat, quod pro Juda, qui ceciderat, esset unus ex Discipulis in Collegium Apostolicum cooptandus. Id vero Petrus sua statim auctoritate definit, nulla Coapostolis deliberatione permissa: *Exsurgens Petrus in medio fratrum dixit: Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David Juda .... Scriptum est enim in libro Psalmorum .... Et Episcopatum ejus accipiat alter*. De Juda esse hunc locum intelligendum, ad eum esse Propheticum ejusmodi oraculum referendum ad eum respexisse Spiritum Sanctum; ac proinde velle Spiritum Sanctum, ut Episcopatum Judae alius acciperet, solus intelligit Petrus, solus docet, solus sua auctoritate definit, nulla cum Coapostolis deliberatione praemissa, nec ullus queritur, nullus interdicit, nullus Petri sententiam ad examen revocare audet aut retractare; idque propterea, ut Chrysostomus animadvertit, quod omnes haberet in manu, velut Pastor gregem, cujus est gregem ducere, quemadmodum gregis, Pastoris vocem audire: *Ceterum sententiam ipse protulit, sed hanc quoque declarans, suam non esse, sed a supernis profectam juxta Prophetiam .... Merito primus omnem auctoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu*. Ad *facti* vero quaestionem pertinebat, quis ex discipulis universo Gregi probatior esse videretur & acceptior, subindeque aptior ad Judae locum implendum: quod ex aliorum consilio & suffragio pendebat: adeoque, quamquam potuisset, ut idem Chrysostomus advotat, unum eligere, aut aliquem designare, in quem omnes facile consentirent; noluit tamen, sed *egit omnia ex communi discipulorum sententia, nihil auctoritate, nihil imperio*. Et intra: *Multitudini permittit judicium, & eos, qui eligerent reddens reverendos, & seipsum ab invidia liberans*. Ac postea. *An non licebat ipsi eligere? Licebat, & quidem maxime: Verun id non facit, ne cui videretur gratificari*. Igitur ubi agitur de fide & interpretatione scripturarum, solus Petrus sententiam profert, & omnes Discipuli acquiescunt: quemadmodum in alio de Legalibus Hierosolymitano Concilio post quam Petrus suum pronunciasset judicium, *tacuit omnis multitudo*. Sed judicium de personis universo coetui permisit. Nos autem quum inerrantiam Petri Successoribus vindicamus, de judiciis loquimur non ad personas, sed ad fidem & scripturarum ac traditionis interpretationem pertinentibus.

CAPUT XVIII.

„ S. Augustini locus ab eodem
„ Anonymo objectus, contra Con-
„ ciliorum auctoritatem indecli-
„ nabilem.

CAPUT XIX.

„ Alii loci Augustini ab eodem
„ objecti : An Papa Ecclesiam
„ Catholicam repraesentet.

NOn illud oneris in nos suscepimus, ut omnia Anonymi Scriptoris argumenta vindicemus. Quare, ut quae nobis solida videntur, urgemus: ita de aliis permittimus Lectoribus judicium.

CAPUT XX.

„ Repetuntur & urgentur, quae pro
„ Parisiensium sententia, ab au-
„ ctoritate & convocatione Con-
„ ciliorum generalium dicta sunt:
„ Confutantur vana suffugia: Bel-
„ larmini etiam responsionibus an-
„ tedicta firmantur.

QUemadmodum Illustrissimus Adversarius repetere in hoc Capite aggreditur & urgere, quae pro Parisiensium opinione duobus hisce libris disseruit: ita nos paucis complectemur, quae pro reliqui orbis Catholici doctrina, ex iisdem generalium Conciliorum fontibus hactenus disputavimus. Et quoniam duo sunt, quae Adversarii maxime urgent; nempe Conciliorum necessitatem, quae nulla esse videtur, si Pontifex ad definienda fidei dogmata ineluctabili gaudet auctoritate: ac deinde eorumdem generalium Conciliorum in examinandis ac retractandis Apostolicis Constitutionibus constantem usum & libertatem; utrumque nobis penitus evertisse videmur.

Quod enim ad primum attinet, plane, ut credimus, ac luculenter ostendimus, quod quaecumque sit illa Conciliorum generalium utilitas seu necessitas, conciliari ea potest, imo, juxta eam, quae communiter obtinet inter Adversarios doctrinam, concilianda omnino est cum Romani Pontificis in dirimendis fidei Catholicae controversiis inerrantia. Nam Apostolicorum decretorum esse ineluctabilem vim, quum eis Ecclesiae consensus accesserit, quum in eis adprobandis moralis Episcoporum unanimitas intercedit, quum eis major Episcoporum numerus consensu sive expresso, sive tacito adhaeret, neque ipsi Parisienses Theologi diffitentur, estque communis inter eos opinio, ut ex eorum & Libris & Thesibus compertum est. Imo Turnelius docet (a), quod *si contingeret in aliqua fidei controversia divisos esse Episcopos, atque plures ex una parte cum Pontifice Romano, plures ex altera sine Pontifice stare, haud dubie ei parti adhaerendum foret, quae Capiti conjuncta esset: ista enim melior ac sanior pars censeri deberet, & Ecclesiam sufficienter referre*. Jam vero negare quis audeat consensum majoris partis Episcoporum, & eorum cum Romanis Pontificibus conspirationem in iis erroribus praedamnandis, quos deinde Oecumenicae Synodi confixerunt? An non cum Alexandro Episcopo Alex. & Silvestro Romano Pontifice ceteri fere omnes per orbem Episcopi Arianorum blasphemias detestabantur, quum Nicaena Synodus habita est? An minor fuisset Episcoporum unanimitas in recipienda, si quam emisisset

(a) De Eccles. Tom. II. Quaest. V. art. III.

ſet Silveſter adverſus Arianos ſolenni conſtitutione, quam in ipſo Nicaeno Symbolo ſuſcipiendo? Annon univerſus Occidens, & maxima Orientalium Epiſcoporum pars Liberii & Damaſi adverſus Semi-Arianos & Macedonianos decreta ſuſceperat, quum ſecunda Synodus ad eorum errores profligandos coacta eſt? Synodus Epheſina & Cyrillus Occidentis & Orientis in damnando Neſtorio conſenſionem jactabant, etſi Antiocheni Patriarchatus plures Epiſcopi Synodi decreto aperte refragabantur; qui forſitan ſoli ante Synodum in probando Caeleſtini judicio cunctati fuerant. S. Leonis Epiſtolam ad Flavianum jam univerſus Occidens vel expreſſo vel tacito conſenſu probaverat, jam fere omnes Orientales Epiſcopi, illi etiam, qui in Epheſino Latrocinio ceciderant, veluti certam fidei Catholicae regulam adprobaverant, antequam Synodus Chalcedonenſis celebraretur. Ab haereſeos Monothelitarum initiis adusque ſextam Synodum Oecumenicam quinquaginta circiter anni interfluxerunt. Hoc temporis intervallo ſufficere viſa ſunt S. Martini & aliorum Pontificum Romanorum decreta, ut ab univerſa Eccleſia Catholica Monothelitae pro haereticis haberentur, ut pro duabus in Chriſto voluntatibus, tanquam pro certo & irreformabili fidei dogmate, plures fidei Catholicae Athletae & exilia & vincula & carceres ſuſtinerent, & uſque ad effuſionem ſanguinis dimicarent. Quis Catholicorum non aliquo cultu & veneratione ſacras Imagines proſequebatur, & Iconomachorum in eis dejiciendis & omni ludibriorum & injuriarum genere afficiendis ſacrilegam temeritatem deteſtabatur, quum ad eorum furorem coërcendum Hadrianus I. ſeptimam Synodum congregavit? Jam ergo antequam ejuſmodi Concilia celebrarentur, Romanorum Pontificum adverſus hujuſcemodi errores ſolennes conſtitutiones firmam obtinebant & indeclinabilem vim, nec Synodis abſolute opus erat, quarum examine retractarentur, & quarum conſenſione ad ſummae auctoritatis arcem evaderent. Quin & illud obſervatione dignum eſt, praeter unam Chalcedonenſem, nullam fuiſſe ex Orientalibus Synodis, quam abſolute neceſſariam Romani Pontifices judicarint, & cujus habendae cogitatio primùm ipſis inciderit: earum omnium celebrationem Imperatores, agentibus Orientalibus, & ut plurimum Regiae urbis Epiſcopis, & adſentientibus Romanis Pontificibus, promoverunt. Quare non eſt, cur Meldenſis Epiſcopus, & cur alii ejuſdem doctrinae Patroni ex nobis quaerant: „ Quorſum attinebat, ab „ ultimis Orbis partibus cieri Epi„ ſcopos tantis laboribus tantiſque „ ſumtibus, & Eccleſias Paſtoribus „ viduari, ſi totum erat in Romano „ Pontifice poſitum? Non id, inquam, ex nobis quaerant, non ex Romanis Pontificibus Silveſtro, Damaſo, Caeleſtino, Agathone, Hadriano, qui nuſquam indicant, poſt Apoſtolicae Sedis decreta opus fuiſſe Oecumenicis Synodis, ut haereſes indeclinabili auctoritate confoderentur. Non item ex Magno Leone quaerant, qui quamquam ad reſarciendas Orientis jacturas poſt Epheſinum Latrocinium Oecumenicam Synodum

nodum postulavit, tamen antea Synodi celebrationi totis viribus intercesserat, ratus suae ad Flavianum Epistolae satis inesse roboris ac momenti ad Eutychianam haeresim profligandam. Non ergo ex nobis, non ex Romanis Pontificibus, sed ex Orientis Imperatoribus & Regiae urbis Episcopis quaerant, cur post Apostolicae Sedis decreta per universum Occidentem, & maximam Orientis partem recepta, voluerint tantis laboribus, tantisque sumtibus Synodos Oecumenicas celebrari, Episcopos fatigari & Ecclesias Pastoribus viduari? Et si quidem responderint, quod non aliter potuerint, sollennia illa Romanae Sedis decreta toto jam fere orbe suscepta, invictum auctoritatis robur obtinere; eorum responsio non jam illam, quae nobis peculiaris est, sed quae etiam Gallicanis Episcopis communis est, doctrinam atque sententiam labefactabit. Quare aut fateri debent Adversarii, hoc argumento non probari Conciliorum generalium, ad sanciendα fidei dogmata, & profligandas haereses, absolutam necessitatem; aut eo demonstrari, quod neque accedente majoris partis Episcoporum, & eorum moralis unanimitatis consensu, irreformabile evadat Apostolicae Sedis de fidei controversiis judicium.

Et haec quidem aperte demonstrant, Synodos Oecumenicas non fuisse absolute necessarias ad eas fidei quaestiones irretractabiliter terminandas quas antea Romani Pontifices sollenni aliqua Constitutione sanxissent. At si loquamur de fidei controversia, quam nondum sollenni judicio Sedes Apostolica terminaverit; haud omnino displicent ea, quae Cardinalis Perronius animadvertit, ut Pontificum Romanorum in difiniendis fidei quaestionibus ἀσφάλειαν cum Synodorum Oecumenicarum necessitate conciliet. „ Car, *inquit* (a), „ l' infaillibilité, que l' on presupposе estre au Pape Clement, comme il a esté dict, au Tribunal „ souverain de l'Eglise, n'est pas pour „ dire qu'il soit assisté de l'Esprit de „ Dieu, pour avoir la lumiere necessaire à decider toutes les questions; mais son infaillibilité consiste en ce que toutes les questions „ ausquelles il se sent assisté d'assez „ de lumiere pour les juger, il les „ juge; & les autres ausquelles il „ ne se sent pas assez assisté de lumiere pous les juger, il les remet „ au Concile.

Hinc autem facile solvitur argumentum, quod contra nostram sententiam, ex Conciliorum necessitate post Bossuetium & alios, in hunc modum urget Turnelius (b): Vis, inquit, praesentis argumenti in eo est: Si verum est, quod de Pontifice Romano affirmat Bellarminus; nempe primo fieri non posse, divina invigilante providentia, ut solus ac temere judicet de rebus fidei. Secundo, nusquam illum errori esse obnoxium, cum ex Cathedra pronuntiat, adjuncto sibi ordinario coetu Consiliariorum;

(a) Perroniana, verbo, *Infaillibilité*.
(b) Tom. II. de Eccles. Quaest. V. art. III. pag. 139. edit. Paris.

plane inutilia & otiosa omni casu videantur Concilia generalia, ad finiendam controversiam, quae Pontificis judicio certo & infallibili terminari potest, & quidem via facili ac compendiosa, absque iis impensis, laboribus & molestiis, quae a Concilii gneralis congregatione separari vix possunt. Haec Turnelius.

Verumenimvero juxta praemissam doctissimi Cardinalis observationem in promtu est repellere hoc, quod ab Adversariis velut ineluctabile jactatur argumentum. Quanquam enim illa duo verissima sint quae Bellarminus, & Canus aliique docent; nempe nec fieri posse, quod Romanus Pontifex solus ac temere judicet: neque quod in errorem incidat, quum ex Cathedra de fide pronuntiat adjuncto sibi ordinario Consiliariorum coetu; adhuc tamen cum laudato Perronio dici potest, esse aliquando necessaria Concilia oecumenica; quum nempe res adeo implexa est totque altercationum nebulis involuta, ut ad eam certo judicio terminandam sibi ipse Pontifex opus esse judicat, non modo domesticae ac sibi jugiter adhaerentis, verum & plenioris imo & generalis Synodi consultatione. His ergo quatuor continetur Romani Pontificis in definiendis fidei controversiis indeficientia. 1. Quod non solus neque temere judicet. 2. Quod judicet adhibita pro negotii gravitate minore vel ampliore consultatione. 3. Quod quum re ipsa quidquam definit, eas credatur praemisisse dispositiones, quae pro rei definiendae difficultate praemittendae fuerant. 4. Quod praemittat Synodi generalis convocationem, quum tanto medio ipse opus esse judicat ad eliquandam cujuspiam dogmatis in quaestione positi veritatem.

Neque ab his prorsus dissentiunt Bellarminus & Canus; hic quidem quum lib. V. de Locis cap. ultimo ait: „ Nec si Summus Pontifex firmus in fidei caussa judex est, Concilia frustra coguntur. Primum enim ut capite superiore admonebamus, Romanus Pontifex non temere & stulte, sed considerate atque sapienter habet fidei controversias definire, advocando scilicet Consiliarios, vel plures vel pauciores, juxta rei de qua disseritur gravitatem. Juvant enim Patres Concilii Summi Pontificis fidem atque doctrinam .... Ita enim divina procuratio in Ecclesiam se fundit, ut membra praecipua, tametsi a capite ipsa pendeant, caput tamen tueantur & juvent. Haec disertus ille atque eruditus Theologus. Quibus gemina sunt quae & Eminentissimus Bellarminus docet lib. IV. de Rom. Pontif. cap. VII. Hac enim sibi proposita difficultate: „ Si solus Pontifex potest infallibiliter definire dogmata fidei; ergo frustra fiunt Concilia, vel certe non sunt necessaria: *Respondet*; id non sequi. Nam etsi in Pontifice sit infallibilitas; tamen non debet ipse contemnere media humana & ordinaria, quibus deveniri potest ad verum rei cognitionem, de qua agitur: Medium autem ordinarium est Concilium majus aut minus, pro magnitudine vel parvitate rei, de qua agitur. Quod patet exemplo Apostolorum. Nam certe tam

„ Petrus, quam Paulus poterant et„ iam soli quamlibet controversiam „ infallibiliter definire ; & tamen „ Concilium convocaverunt Act.XV. Quae latius prosequitur & exponit idem Eminentissimus Auctor lib. I. de Conciliis & Ecclesia cap. XI. ubi diserte statuit, quod „ quamvis ge„ neralia Concilia non sint absolute „ necessaria (nam tribus prioribus saeculis ac deinceps plurimae haereses absque Concilii generalis congregatione damnatae ac profligatae sunt ; & quemadmodum S. Augustinus animadvertit , paucae fuerunt quae hanc Ecclesiae habendae Synodi Oecumenicae adtulerint necessitatem) „ tamen Concilia aliqua , „ sive generalia sive particularia „ sint , omnino necessaria esse ad„ bonam Ecclesiae gubernationem , „ vix in quaestionem revocari posse „ dubito . . . Nam etsi Summus Pon„ tifex judex est vice Christi om„ nium controversiarum , eique ob„ temperare debet fraternitas uni„ versa , ut Cyprianus loquitur lib. „ I. Epist. III. . . . . . tamen non de„ bet in controversiis fidei dijudican„ dis , aut solo suo judicio fidere , „ aut exspectare divinam revelatio„ nem , sed adhibere diligentiam , „ quantam res tanta postulat , & or„ dinaria media ; & tum demum „ exspectare assistentiam Spiritus San„ cti , & directionem divinam . Por„ ro medium ordinarium , ac proin„ de necessarium , esse Concilium , „ magnum aut parvum , unum vel „ plura , prout ipse judicaverit , faci„ le probari potest . Pluresque subinde ad id probandum rationes adfert . Quae tamen ut recte intelligantur, videnda sunt quae alibi cum Thomassino animadvertimus , atque ex ejus Dissert. XX. in Synod. VI. oecum. num. XVI. descripsimus .

Frustra autem Turnelius loco superius laudato pagina 145. contendit, se cum ipsum conflictari Eminentissimum Cardinalem , quum hinc docet Pontificis judicium errori obnoxium non esse , inde vero agnoscit Concilium generale posse aliquando esse medium necessarium , quod usurpare Pontifex teneatur . Atque hic recurrit , inquit Parisiensis ille Theologus , vis tota praecedentis argumenti . Quippe si , Deo ita providente , fieri non possit , ut aut solus & temere de fide pronuntiet Pontifex ; aut ex consensu soliti sui & domestici coetus pronuntians , nusquam aberret , ut quid tenebitur ad operosum ac loboriosum Concilii generalis remedium confugere ; quum habeat apud se domesticum, planum & facile , quod si adhibuerit , certo & infallibili judicio Ecclesiam laborantem promtissime sublevabit ? At facile ista solvuntur ex dictis : fatemur enim fieri non posse , ut Pontifex solus ac temere de fide pronuntiet; & quod in errorem incidat , quum definit adhibito domestico & ordinario Consiliariorum coetu : & tamen divino illustratus lumine sentiat aliquando non esse de aliquo dogmate sollenniter pronunciandum , nisi adhibito ampliore , vel etiam oecumenico Episcoporum conventu .

Neque , ut jam latissime ostendimus , plus roboris ac momenti est in altero argumento , quod ex retractatis , ut ajunt , & ad examen & judicium revocatis per Synodos Oecumenicas Apostolicae Sedis decretis , adver-

adversus ejus inerrantiam & summam auctoritatem Adversarii conficiunt. „ Jam ergo, *inquit ipso initio Capitis Bossuetius*, sententia Parisiensium, Conciliorum generalium „ traditione firmata est: Etenim vidimus Romanorum Pontificum in „ Conciliis Oecumenicis judicia retractata, de his quaestionem habitam; quaestione habita, Caelestini, Leonis, aliorumque probata „ judicia; Vigilii atque Honorii rescripta improbata fuisse: neque „ quidquam a sancta etiam Sede profectum, aut a Patribus, aut a „ Romanis etiam Pontificibus, pro „ irrefragabili esse habitum, nisi „ postquam Ecclesiae consensus accessit.


Nos autem contra vidimus, haec quae jactant Caelestini, Leonis, Agathonis aliorumque decreta per Synodos oecumenicas retractata, totius jam fere Ecclesiae Catholicae consensione munita fuisse, antequam Synodi generales celebrarentur. Vigilii autem & Honorii rescripta non ejus generis esse, in quibus condendis Romanis Pontificibus nulli obnoxiam errori vindicamus auctoritatem. Vidimus, Caelestinum, Leonem, Agathonem & Gregorium Decimum, disertis conceptisque verbis intercessisse, ne fides semel Apostolica auctoritate sancita, in tertia, quarta, & sexta Synodo, & in Lugdunensi secunda retractaretur; & cum laudatum Leonem, tum Hadrianum I. & II. praecepisse ut libellis & formulis ab Apostolica Sede directis ante subscriberetur, quam Episcopi in Synodos admitterentur. Vidimus, haec, quae tantopere jactantur, decretorum Sedis Apostolicae retractationem & examen, ac de illis judicium in eo solum posita fuisse, quod lectis in publicis Actionibus istiusmodi decretis, & cum praecedentium Conciliorum fidei formulis collatis, statim ab Episcopis pronunciatum est, ea invicem consentire, & vix toleratos fuisse, qui moras necterent, ac dubii & ancipites haererent. Porro si hoc argumento est, quod retractationi & superiori judicio obnoxiae sint Romanorum Pontificum dogmaticae Constitutiones; jam nec ipsae generalium Conciliorum de fide sanctiones irretractabiles erant. Nam & eas non semel vidimus, instituta cum sacrarum litterarum, & veterum Patrum, & praecedentium Synodorum testimoniis collatione probatas & confirmatas. Vidimus Romanos Pontifices suas ad Synodos generales transmittere Epistolas, non ut de illis judicaretur; sed ut earumdem Synodorum judiciis formam regulamque praescriberent. Denique vidimus, Conciliorum generalium decreta ad Sedem Apostolicam, velut ad caput, fundamentum, crepidinem, fontem, radicem, & originem totius Ecclesiasticae jurisdictionis & auctoritatis relata petitam ab ea eorumdem decretorum confirmationem; eaque decreta pro ejusdem Sedis Apostolicae judicio & arbitrio vel infirmata fuisse, vel auctoritatem & robur obtinuisse. Ex quibus omnibus constat, quam vana & futilia sint argumenta, quibus Adversarii sese tantopere efferunt; contra vero quam firma & valida sint, quibus summam & indeclinabilem auctoritatem Sedis Apostolicae dogmaticis Constitutionibus vindicamus.

Haec enim quum validissimis sacrarum litterarum ac traditionis nixa principiis sit, immota omnino & ab Adversariorum insultibus firma consistere debet, postquam machinas disjecimus, quibus maxime ab illis impeti solet. Quid enim molestius illi ac praefractius objiciunt, quam Conciliorum necessitatem, aut eorum in retractandis & examinandis dogmaticis Apostolicae Sedis epistolis libertatem? quae prorsus illis intercidere videntur si semel Romanis Pontificibus in sanciendis ac definiendis Christianae fidei dogmatibus indeclinabilis & ineluctabilis auctoritas adseratur. Hoc est quod toto XII. libro Meldensis Episcopus urget: nos vero, ut nobis videtur, iis argumentis depulimus, aut infirmavimus, quae certis utrinque & inconcussis regulis constent. Quis enim modestus, & gravis & eruditus Theologus has de hoc argumento regulas rejiciat, quas hîc iterum libet Cl. Thomassini verbis inculcare. „ De examinandis autem, „ *inquit* (a), & retractandis in „ Oecumenica Synodo litteris Pon- „ tificiis, has mihi videor regulas „ defixisse. Ubi illae litterae fue- „ rant omnium aut longe plurima- „ rum Ecclesiarum consensione robo- „ ratae, tum eas postea rursum non „ fuisse, aut ex venia & ad redun- „ dantiam juris fuisse in Synodo oe- „ cumenica examinatas. Item ubi „ Pontificiae de fide litterae, to- „ tius Occidentalis vel Synodi vel Ec- „ clesiae assensu firmatae ad III. IV. „ VI. & VII. & si quas alias Synodos „ mittebantur in Orientem, non „ ita tunc eas Orientalium lubrico „ judicio, & ancipiti examinis aleae „ creditas fuisse veluti dubias, ut ab „ illis solvi evertique possent: sed „ ut irreformabiles veteris fidei for- „ mulas, in quas Spiritus Sanctus Ec- „ clesiae universae vegetator, & Pa- „ ternarum conscientia traditionum, „ ita Orientales vel nutabundos incli- „ naret vel revocaret devios, sicut „ Occidentales constantissime & inde- „ flexe adfixerat. Alioqui non de „ Pontificis diplomate Synodus Oe- „ cumenica, sed de Occidentalium „ cum Petri Cathedra conjunctissi- „ morum fide inoffensa, Orientales „ inter novellarum subinde haere- „ sum lubrica lapsabundi, periculo- „ sae plenum aleae examen judi- „ ciumque instaurassent. Denique „ quomodocumque tandem novo exa- „ mine Synodus Pontificias venti la- „ ret epistolas, nequaquam nisi ip- „ sorum assensu Pontificum id usur- „ patum. Ita confitetur Petrus de „ Marca lib. IV. Concord. Sac. & „ Imper. cap. XVII. Id perspicue „ emergit ex jure Relationis, quod „ ille Pontifici adserit. Id ratio ip „ sa Synodi clamitat, in qua Pon- „ tifex per se vel Legatos praesi- „ det, judicatque cum Synodo, „ numquam a suo Capite divellen- „ da. Haec laudatus Theologus toto passim Opere iis argumentis demonstrat, quibus profecto nihil reponi solidi potest; ut ea proinde merito atque jure certarum instar fixarumque regularum haberi debeant, ad quas cetera, quae in hac disputatione difficultatem parere possent, exigantur.

(a) Recens Oper. de Concil. num. VII.

tur. Cum his autem certis fixisque regulis, quas nemo unquam ulla aut dicendi vi aut differendi arte convellat aut infringat, nullo pacto conciliari possunt, quae ab Adversariis de Synodorum Oecumenicarum necessitate, aut examinatis retractatisve per eas Dogmaticis Apostolicae Sedis Constitutionibus tanto strepitu venditantur. Quare iis semel in auctoritatem receptis, quas nemo profecto prudens sapiensque rejiciat, concidant necesse est quae duobus hisce libris adversus nostram doctrinam ab Episcopo Meldensi operosissime disputantur.

FINIS SECUNDI LIBRI.




DISSERTATIO
DE SENTENTIA
ILLUSTRISSIMI
PETRI DE MARCA
CIRCA MODUM CONCILIANDI

Summam Romani Pontificis auctoritatem

Cum libertate suffragiorum

IN SYNODIS OECUMENICIS.






ROMAE MDCCLXX.

EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI, HAER. BIZZARRINI KOMAREK, AC PROVISOREM LIBRORUM BIBLIOTHECAE VATICANAE.

SUPERIORUM FACULTATE.



PRAEFATIO.



NIHIL est quod frequentius aut molestius nobis objiciant, qui in Romani Pontificis summam & ineluctabilem auctoritatem invadunt, quam quod nostra semel suscepta constitutaque sententia Episcoporum in Conciliis generalibus jura prorsus labefactentur, imo jam nulla ratio, nulla necessitas sit, cur in Concilia generalia cogantur, aut cur Oecumenicae Synodi celebrentur. Nam si Romani Pontificis auctoritas ineluctabilis est; si nefas est ejus de fide decreta retractare; denique si de illius judiciis inquirere, deliberare, & judicare non licet; quae, inquiunt, Episcoporum partes seu munera in Conciliis Oecumenicis erunt? Etenim semel illis ademta suffragiorum libertate; quae profecto illis adimitur, si Romani Pontificis auctoritas ineluctabilis, ejusque de fide sanctiones irretractabiles sunt; nihil omnino reliquum, est quam ut Episcopi, perinde atque alii Fideles, caecam, ut ajunt, Apostolicis Constitutionibus obedientiam praestent, earumque meri executores sint, nullo autem judicis munere & officio fungantur: quum tamen eos in Conciliis generalibus sedere ut judices, neque a nobis negetur, & Bellarminus, & Canus aliique Theologi doceant, perspicuisque argumentis demonstrent.

Id ergo, inquam, est quod nobis Adversarii molestius & importunius objiciunt, neque adhuc, ut mihi videtur, ab Adsertoribus doctrinae nostrae satis nitide ac feliciter expeditum videtur. At contra, quam nos solidis gravibusque momentis non errandi praerogativam Romanis Pontificibus adseramus; quanta nobis ex sacris litteris, & ex Patribus, & ex Conciliis generalibus, aliisque vetustis ac probatissimis monumentis suppetant argumenta, non est quod hoc loco demonstremus,

quum toto Opere, quo Meldensis Episcopi quatuor postremos pro *Gallicani Cleri declaratione de potestate Ecclesiastica* libros Apologeticos uberrime confutavimus, hoc labore copiose & amplissime perfuncti sumus.

Hinc vero nodus exsistit ac nectitur difficultatis, quam Illustrissimus Petrus de Marca his verbis eleganter exponit (a): „ Si summam „ in censendo & definiendo potestatem illi (*Romano Pontifici*) tri-„ buamus, perit libertas suffragiorum, quam tantopere commendant „ Caelestinus & Leo. At vero concessa suffragiorum libertate, ae-„ qualitas quaedam hac in parte induci videtur inter Romanum Ponti-„ ficem & ceteros Episcopos, quod multum de summa ejus digni-„ tate detrahit. Itaque aut unius libertas aut dignitas alterius pericli-„ tantur; quemadmodum in disputatione de auxiliis gratiae, vel hinc „ arbitrii humani libertas laedi, vel illinc gratiae vis & efficacia mi-„ nui, rerum illarum inexpertis videtur.

Hunc nodum secant plerique Auctores non solvunt, quum ad unam aut alteram partem adhaerentes, vel Episcoporum in Synodis Oecumenicis jura adeo extollunt, Pontificis autem ita deprimunt, ut hujus principatum evertere, nec illi nisi magni nominis umbram, reliquam facere videantur: vel contra in id unum intenti, ut ejusdem Romani Pontificis in iisdem Synodis majestas & auctoritas dominetur, de tuendis aut enucleandis aliorum Episcoporum juribus non admodum solliciti fuisse videntur. Quare laudatus Petrus de Marca quum ad haec invicem concilianda operam suam industriamque conferret, in locum aliis intactum & intentatum se se invadere professus est: *Arduum*, inquit, *opus & invidiosum aggredior, quod nondum quisquam, ut existimo, in se recepit*. Quod nimirum quicumque alii in his rebus ac studiis versati sunt, in id unice incubuerunt, ut vel summam & indeclinabilem Romani Pontificis auctoritatem, vel adversus illam Episcoporum jura data opera tuerentur: nemo autem adhuc in se receperat, ut de conciliandis utriusque partis juribus ex professo dissereret, aut hoc sibi industriaeque suae tanquam primarium, &, ut ajunt, directe petendum ac pertractandum proponeret argumentum.

Et hic quidem Illustrissimus Praesul utriusque partis juribus componendis optimam viam atque rationem sibi iniisse videtur, quum hinc Romanorum Pontificum, hinc autem Episcoporum seu Conciliorum generalium in decretis fidei eas fuisse partes contendit, cujusmodi olim hinc Romanorum Imperatorum, hinc autem Senatorum aut Romani Senatus in condendis S. C. partes sive jura fuerunt. Quare post pauca subjungit: *Quod* (opus) *ita temperabitur, ut quodam jure Imperatorio usum hac in parte Summum Pontificem ostendam, & Synodum plena atque integra suffragiorum libertate*.

Qui-

(a) Lib. V. de Conc. Sacerd. & Imp. cap. VII. num. II.

Quibus grandia, & praeclara, & magnifica verba sufficiunt, iisque delectantur, ii nihil ultra desiderabunt. Quid enim praeclarius atque magnificentius, quam Imperatorium jus Romano Pontifici adsertum? Hinc Cl. Thomassinus in Recensione suarum de Synodis Dissertationum: „ Pontificem Romanum Synodis Oecumenicis praeisse, & quasi dictasse quod „ sequerentur, audacule forsan a me dictum quidam mussabunt. At „ postea edito posthumo Opere Illustrissimi Praesulis, & nunquam a me „ sine nominis elogio nominandi, Petri de Marca, abstersa mihi & „ effricata penitus haec invidia est. Ultra has enim ille metas evectus, „ & verborum praeterea magnificentia delectatus, Imperatoria jura in „ Synodis Oecumenicis Romanum Pontificem obtinuisse docuit, Relationis videlicet & Primae sententiae. Ut ipsius esset & referre ad „ Patres quo de censendum esset & Primam ferre sententiam, quae „ definitionis vim haberet, Patrum suffragiis confirmandae. *Conc. lib.V.* „ *cap. VIII.* Stupui, & adgavisus mihi ipsemet sum, in tanti Viri verba nescium incidisse. Libertati enim Episcopalium suffragiorum patrocinatos & ipse sum satis prolixe.

Verum si detractis verborum foliis, rem ipsam penitius investigabimus, facile intelligemus, nihil profecto esse, cur Apostolicorum jurium vindices & Adsertores hac Illustrissimi Praesulis utcunque splendida & eleganti observatione tantopere delectentur. Si enim, ut par est, non ea quae tyrannico dominatu veteres Imperatores usurparunt, vel eis ultro foeda Senatorum adulatio detulit, aut metus tulit; sed hinc eorumdem Imperatorum in Senatum, hinc autem Romanorum Pontificum in Synodos generales justa & legitima jura prae oculis habeamus, magno isthaec inter se intervallo distare, pluribusque differre capitibus, perspicue luculenterque constabit. Id porro ne gratis jactare videamur, libet in eam doctissimi Praesulis disputationem, seu propositam ab eo conciliandi Romani Pontificis auctoritatem cum Episcopalium in Synodis Oecumenicis suffragiorum libertate rationem inquirere. Ac ne longius evagemur, iis nos omnino finibus continebimur, quos sibi ipse Illustrissimus Auctor constituit: „ Non quaero, *inquit*, quid „ utrinque doceant Theologi rationibus e Sacra Scriptura petitis, quum „ de auctoritate Concilii & Papae anxie & scrupulose disputant. Id „ tantum mihi rimandum propono, quaenam esset universalis Ecclesiae „ praxis in Concilio Ephesino & Chalcedonensi, quis tunc Summorum „ Pontificum, & universae Ecclesiae sensus in usu auctoritatis illius, „ quae in Apostolica Sede vigebat. Arduum opus .... quo tamen defungi aliter nec possum nec debeo, quam recitatis testimoniis unde „ regulae colligi possint, quae totum negotium extra disputationis aleam „ evidentissime ponant. Ejusmodi testimonia adversus Meldensem Episcopum disputantes late congessimus. Quare hic ea solum refricabimus, quae huic illustrandae sane gravissimae controversiae aptiora esse videbuntur;

tur ; & ex quibus tantum adeſt ut *evidentiſſime* demonſtretur , apte recteque ab Illuſtriſſimo de Marca inſtitutam eſſe Romanorum olim Imperatorum & Summorum Pontificum , eorumque jurium comparationem ; ut contra nitidiſſime lucidiſſimeque probetur , eoſdem Romanos Pontifices Regium potius & vere Monarchicam exercuiſſe in Synodis Oecumenicis poteſtatem .



IN-

INDEX
CAPITUM.


CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT ULTIMUM

CA-



CAPUT PRIMUM.

Summum jus summaque potestas, sub ipsis quoque Imperatoribus, penes Rempublicam & Senatum fuit, unde quaedam portio per varios rivulos ad ipsos Imperatores manabat; quum ejus interim plenitudo totaque vis in Republica & Senatu velut in fonte & origine haereret. At contra ex Conciliis Ephesino & Chalcedonensi aliisque Synodis Oecumenicis constat, fontem & originem Ecclesiasticae auctoritatis Christum in Apostolorum Principe ejusque Successoribus Romanis Pontificibus posuisse.



T ordine procedamus, & ex suis principiis clare luculenterque demonstremus, quam incongrue & inconcinne hinc Romanorum Imperatorum & Pontificum, illinc Senatus & Ecclesiae jura invicem conferantur; quaerendum est, an eodem ordine & gradu hinc potestas Civilis in Imperatoribus & in Senatu fuerit, hinc vero potestas Ecclesiastica in Romanis Pontificibus & in Ecclesia sit.

Quod pertinet ad Civilem in Romano Imperio seu Republica potestatem, jamdudum est Romanarum Antiquitatum consultis animadversum, longe altius fuisse rationis auctoritatem, qua olim Imperatores Romanam Rempublicam administrarunt, & qua olim Reges in Oriente potiebantur, aut quam etiamnum in quibusdam Occidentis Regnis exercent; seu, aliam olim fuisse, quum suis finibus continebatur, Imperatorii, aliam Regalis regiminis formam. Utriusque discrimina late prosequitur, atq; eleganter exponit Joh. Vinc. Gravina lib.sing. *De Romano Imperio*, unde aliqua delibamus, quae ad praesentem disputationem illustrandam maxime apta & opportuna videntur. Imprimis autem illud ceterorum utriusque Potestatis discriminum veluti radix & caput prae oculis habendum est, quod sequentibus verbis laudatus Auctor describit (*a*): Id interfuit P. R. Imperatorem creare non Regem, quod Imperator deducit, Rex vero abducit a populo susceptam sibi majestatem. Quum enim Rex

(*a*) Lib. de Rom. Imp. cap. XIX.

Rex creatur; (qualis creabatur apud Barbaros, quorum vile servitium Romani aversabantur,) in eum omnis populi potestas & voluntas publica recta confertur: est enim uti Rex Persarum, αὐτοκράτης καὶ ἀνυπεύθυνος, ut Principem illum, jus fasque quandoque perturbantem, vitamque aliorum & bona rapientem, si populus tollere conetur, cogatur civilem evertere statum; publicam commutare voluntatem, novamque inde fundare Rempublicam. Regnum nimirum Rempublicam totam exhaurit, & cum ea majestatem universam transfert in personam unius aut Successorum: quo vel solo, vel cum Posteritate, si Regnum sit haereditarium, populi seditione sublato, solvitur potestas publica, quae in eorum persona coaluerat, nisi civile regimen ex integro nova populi voluntate restituatur. Imperium contra est cumulus Magistratuum e Republica, penes Senatum populumque locata, continenter in Principem confluentium; ut sublato Imperatore vel Imperio, jura Magistratuum eorum refluant ad Rempublicam, neque Imperatore damnato a proprio statu discendentem, neque Imperio illo extraordinario evulso pereuntem, sed in Senatu & in ordinariis Magistratibus perpetuo permanentem.

Nullam ergo Imperator, qua Imperator (a) jure suo civilem potestatem habebat, sed jure Magistratuum susceptorum, aut ipsius communione Senatus, de quo velut ex fonte publici juris Imperator potestatem, partim oblata occasione hauriebat, partim perenniter ducebat; ut ideo Princeps pars Senatus, & Senatus pars Principis censerentur, quod simul ex Senatoribus & Principe Senatorum, eorumque capite, universus Senatus ejusque corpus com poneretur integrum. Nam in Senatum, praeter cognatam veteremque majestatem a Tiberii, aevo concesserat majestas etiam populi, quae utrinque prodiens in persona Imperatoris per Tribunitiam potestatem, & Senatorium principatum ita exprimebatur, ut derivaretur quidem in Caesarem; ab radice tamen sua, nempe a Senatu, nunquam avelleretur. Ideo Dion postquam consuetos Imperatoris Magistratus enumeraverat (b) subjicit illius facultates, non ex Imperatorio jure, sed ex illis Magistratibus profluentes: ait enim [c] Imperatores ἐκ μὲν τούτων τῶν ὀνομάτων, ex horum (nempe Magistratuum) nominibus exercitus conscribere, pecunias cogere, bella suscipere, pacem facere. Et inferius, καὶ οὕτως ἐκ τούτων τῶν δημοκρατικῶν τῶν ὀνομάτων πᾶσαν τὴν τῆς πολιτείας ἰσχὺν περιβεβλήνται: *Itaque his popularibus nominibus omne induunt Reipublicae robur*. Plurima vero eorum, quae Imperatoribus adscribunt Historici sine mentione Magistratuum susceptorum, ea omnia illorum ad Magistratuum potestatem, non ad potestatem ullam Regiam Imperatoris esse revocanda, plurima anti-

(a) Ibid cap. XVIII. (b) Ibid cap. V.
(c) Lib. LIII.

antiquitatis monumenta testantur; praecipue illud Ancyranum, quo res ab Augusto gestae, atque a se ipso in breviarium redactae continentur, praecipue cap. 2. cujus haec supersunt.

Patriciorum numerum auxi Consul. V. jussu populi & Senatus, Senatum ter legi: & in Consulatu VI. censum Pop. Rom. Collega M. Agrippa egi.

En haec omnia, quorum ad exemplum & alia licet conjicere, non Imperatoriae potestati, sed Consulatibus, & potestati Censoriae a populo & Senatu impetratae tribuuntur.

Illud autem ad rem nostram propius pertinet, quod de jure referendi eisdem Romanarum Antiquitatum Consultis animadversum est (a): Nempe ad aliorum Magistratuum plenitudinem adjecisse Senatum Imperatoribus munera quaedam Consularia, quae scilicet etiam quando Consules non crearentur, communia cum Consule habebant Imperatores, non jure quidem suo, sed ex facultate tributa. Eaque sunt potestas habendi Senatus, & S. C. faciendi, & ad Senatum referendi semel, aut bis, aut ter, sive de una, duabus tribusve rebus: quod jus primae, secundae, tertiae, quartae, quintae relationis appellabatur: nam hunc supra numerum concessum non invenitur. Quod satis arguit, quam procul abiret ab Imperatorio munere potestas Regia; illa, quae pulsis Tarquiniis singulis annis per populi Comitia conferebatur in Consules, in quos jure Magistratus transibant munera ista, quorum Imperator Senatus concessione potiebatur: adeo ut non quemadmodum Consules statim post initum Magistratum, aut aliquando post ipsorum designationem; sed post jus referendi eis a Senatu oblatum totidem de rebus relationem facere possent Imperatores, quot ferret a Senatu tributa facultas, quae non eodem semper numero ad eos perveniebat. Augustus enim, quoties Senatus convocaretur, jus habebat unius tantum relationis, ut refert Dio (b), cujus sincerum sensum a Xilandro eversum optime reddit, Casaubonus, qui locum Dionis illum ita restituit: Καὶ χρηματίζειν αὐτῷ περὶ ἑνὸς ὅτου ἂν ἐθελήσῃ καθ᾽ ἑκάστην βουλὴν, κἂν μὴ ὑπατεύῃ, ἔδωκε. *Et ei permisit* (nempe Augusto Senatus) *de una re, quamcumque voluisset, quoties Senatus haberetur, relationem facere, quamvis Consul non esset.* Xilander, neglecto ἑνὸς, non sine summo crimine, verterat, *de quibuscumque rebus vellet*; quasi liberum Augusto per Senatum esset de rebus omnibus referre in infinitum: quum id, utpote portio potestatis Consularis, nempe Regiae, perquam parce tribueretur Imperatoribus, inter quos Probus jus tertiae relationis accepit, Pertinax quartae, M. Antoninus quintae.

Denique idem & de potestate Legislativa, seu condendarum legum jure sentiendum est [c]. Translatis quip-

(a) Gravin. ubi sup. cap. XI.

(b) Lib. LII.

(c) Gravin. cap. XX, & XXI.

quippe ſub Tiberio Comitiis ad Patres, tranſiit in Senatum jus condendarum legum, quod fuerat penes populum univerſum: quo in jure ſumma vertitur majeſtatis: quae ob diſcrimen Regnum inter & Imperium, neque ab Senatu abſceſſit, neque a populo, cujus a Senatu imago reddebatur. Nam utcumque legislatio cum Principe ipſiuſque Conſiſtorio ex S. C. communicaretur; tamen ob impreſſum in animis antiquae Reipublicae ſtudium atque religionem, Principum placita, quae ab univerſi Senatus auctoritate procederent more Majorum, legis quidem habebant vigorem, ut Juriſconſultus docet; non tamen continuo ac ſtatim, ſed poſtquam tempore invaluiſſent atque inoleviſſent uſu & conſenſu civitatis, qui & ſententiis judicum tribuit juris auctoritatem. Communicata nimirum populi ac Senatus cum Principe, non vero in Principem translata univerſa poteſtate; leges a Principe latae, ſive Conſtitutiones, non a Principe tamquam ex Regia perſona prodibant, ſed tanquam ab oraculo Reipublicae, atque ipſius voce Senatus: quem ante quam quidquam in perpetuum ac pro univerſali lege ſtatueret, oratione conſulebat apud Patres habita, eadem ratione, qua populum univerſum rogabat laturus legem Tribunus plebis, cujus poteſtatem ſibi adjunctam Princeps roganda lege non apud populum, ut Tribunus, exercebat, ſed apud Patres, qui jura omnia populi, & Rempublicam retinebant univerſam.

Haec praemittere oportuit tanquam baſim & fundamentum eorum, quae poſtea demonſtranda ſunt. Et quidem nemo non facile intelligit, cohaerere optime potuiſſe in Imperio Romano, ſive in ea, quam delineavimus, Imperii Romani forma atque conſtitutione, Patrum Conſcriptorum in ferendis ſuffragiis libertatem, & jus relationis ac primae ſententiae, ſeu praerogativam ſuffragii, qua potiebantur Imperatores. Quum enim haec nil aliud eſſent quam portio quaedam Conſularis auctoritatis, cujus ſumma vis & poteſtas penes Senatum & Rempublicam erat, a qua in ipſos Imperatores, aut in Conſules, velut a fonte & origine profluebat; ac profecto dum ſuis limitibus continebatur, obrui non poterat Patrum ac Reipublicae libertas. Quare ſi ad normam Romani Imperii vel Reipublicae ſuam Chriſtus Eccleſiam conſtituiſſet, non potuiſſet aptius quam hoc exemplo conciliari ſumma Romani Pontificis auctoritas, & poteſtas cum Epiſcopalium ſuffragiorum in Synodis Oecumenicis libertate. Verum tantum abeſt, ut Eccleſiam ſuam Chriſtus ad inſtar Romanae Reipublicae conſtituerit, ut illius ordinem ac regiminis formam pene invertiſſe videatur. Quum enim, ut ex dictis conſtat, ſuprema poteſtas Romae penes Rempublicam & Senatum eſſet, unde velut ex fonte per varios Magiſtratus quaſi totidem rivulos ad Imperatores manabat; contra ſi ſacras litteras, & Patres, & Synodos conſulamus, apud Sedem Apoſtolicam, ex ipſius Chriſti inſtitutione, ſummam eſſe ac fontem Eccleſiaſticae auctoritatis & poteſtatis, nullo negotio intelligemus. Porro ne fines, quos

Mar-

Marcae vestigiis insistendo, nobis, jam ipsi constituimus, transgrediamur; non quid universe de hac re vel ex sacris litteris eruatur, vel Patrum traditio doceat; sed quis fuerit Ephesinae & Chalcedonensis Synodi sensus, expendemus.

Philippus Presbyter, Sedisque Apostolicae in Synodo Ephesina Legatus in sententia depositionis adversus Nestorium notissima haec verba praefatus est: *Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod Sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps & caput, fideique columna, & Ecclesiae Catholicae fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo Salvatore humani generis ac Redemtore claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est: qui ad hoc usque tempus & semper in suis Successoribus vivit, & judicium exercet. Hujus itaque secundum ordinem Successor & locum tenens, Sanctus beatissimusque Papa noster Celestinus, nos ipsius praesentiam supplentes ad hanc sanctam Synodum misit &c.* Plura in hunc locum notanda sunt, ex quibus aperte liquidoque constabit, aliam regiminis formam ab ea, quae olim in Romana Republica vel Imperio floruerat, Christum in Ecclesia sua instituisse; adeoque non satis apte congruenterque Episcoporum in Synodis Oecumenicis libertatem cum ea fuisse collatam, qua olim Patres conscripti florente Romana Republica vel Imperio fruebantur. Imprimis enim quaecumque fuerit illa potestas, quam Philippus his verbis Apostolorum Principi adseruit, eam non ab Apostolis, vel Apostolorum collegio in Petrum derivavit, sed ab ipso Christo collatam fuisse docuit. At quaecumque olim fuerit in Imperio Romano Imperatoria Majestas & auctoritas, eam per varios Magistratus, & dignitatum & honorum titulos, in suos Imperatores Senatus seu Respublica conferebat. Ipsa enim iis, quos eligebat, aut ab exercitibus electos suscipiebat, Proconsulare Imperium, ipsa Tribunitiam potestatem, ipsa pontificatum Maximum, ipsa Patris Patriae appellationem, ipsa denique vel Consulatus, vel aliqua Consulum munera, ut jus primae, secundae, vel tertiae &c. relationis, ac rogandarum legum auctoritatem tribuebat. Verum, auctore Philippo, & Oecumenica Synodo minime refragante, sed verbis ejus plaudente, non Apostolicus Senatus, sed Christus ipse Petrum Apostolorum principem & caput instituit, Christus ei regnum, seu regni claves largitus est, Christus eum esse voluit fidei columnam & Ecclesiae Catholicae fundamentum, denique Christus eum ligandi atque solvendi, judiciique exercendi potestate donavit. Id vero maximi in hac controversia ponderis ac momenti est. Non enim consequens est, ut si Respublica, quae suis Imperatoribus quam voluit suae auctoritatis portionem contulit, sibique summam ejus apicemque retinuit, plena in ferendis suffragiis, & suorum Principum sententiis probandis aut improbandis libertate gaudebat; eamdem agnoscere debeamus in Ecclesiastico Senatu vel Episcopis suffragiorum libertatem ad probanda vel improbanda Petri ac Successorum ejus Romanorum Pontificum constituta; qui ut jam dictum

 est,

est, non ab Apostolico vel Ecclesiastico Senatu auctoritatem ac principatum obtinuerunt.

Hoc enim inter Imperatoriam & Pontificiam auctoritatem semel constituto discrimine, tota haec utriusque potestatis, & Synodi Oecumenicae cum Senatu a Petro de Marca instituta collatio absona omnino & inepta est, nisi etiam probetur, ut quemadmodum Imperatorium, & quaecumque alia munera, quibus Respublica vel Senatus Imperatores induebant, ab ipsa Republica vel Senatu pendebant; ita etiam Christus Apostolorum principem, & fidei columnam, & Ecclesiae Catholicae fundamentum, ab Ecclesia ipsa pendere in fidei rebus ac decretis voluerit. Id vero tum ob alia plurima argumenta, quae in praesentia consulto praetermittimus, tum potissimum ob laudata ex Ephesinae Synodi actis Philippi verba falsum omnino esse, jure ac merito existimamus. Ac ne in solis Principis & capitis titulis seu nominibus vim orationis collocemus; quae statim Legatus subjungit, ea decretoria esse contendimus, & rem extra omnem controversiam ponere judicamus. Non enim fidei columna seu fundamentum jure ac merito dici potest, cujus in dirimendis fidei controversiis auctoritas errori obnoxia sit. Quod vel ipsi Adversarii fateantur necesse est, quum ad adserendam Ecclesiae Catholicae in proponendis fidei mysteriis atque dogmatibus inerrantiam, iis Apostoli verbis utantur, quibus Ecclesia dicitur *columna & firmamentum veritatis*. Et merito quidem: quum enim adsensus fidei firmus omnino sit ac prorsus immobilis & inconcussus; necesse omnino est, ut auctoritas, super quam veluti columnam & fundamentum innititur, & ipsa prorsus immobilis sit & firma, & stabilis, & inconcussa. Quod enim labi ac deficere, seu vacillare potest, immobilis aedificii columna seu fundamentum esse non potest.

Vult quidem Turnelius, ut alibi diximus has fuisse Apostolorum Principis personales praerogativas: *Esto*, inquit, *Sanctus Petrus firma fuerit columna fidei, & inconcussum Ecclesiae fundamentum, (ministeriale nempe ac secundarium) non tamen personales illas suos praerogativas, excepto primatu, ad suos Successores Romanos Pontifices transmisit*. Verum haec ejus opinio, ut alibi pariter ostendimus, Legati verbis & scopo, ejusque orationis contextui apertissime refragatur. Hanc enim fidei columnam, hoc Ecclesiae Catholicae immobile fundamentum, in Romanis Pontificibus ejus Successoribus adhuc subsistere, immoteque permanere, diserte Philippus testatur; adeoque quum vivere Petrus desiit, non propterea Romae & in ejus gloriosa Confessione defecit fidei columna & inconcussum Ecclesiae fundamentum; ubi nimirum, quemadmodum Gelasius ait (a), *sicut doctrinae virtute sublimis* (Petrus) *emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus, aeterno hospitio conquiescit; praestans Sedi, quam ipse benedixit, ut portis inferi* NUNQUAM PRO DOMINI PROMISSIONE VINCATUR, *omniumque sit fluctuantium tutis-*

(a) Epist. XIV. Tom. V. Concilior. edit. Ven.

tutissimus portus. Annon ille jure ac merito dicitur firma fidei columna, & Ecclesiae Catholicae inconcussum & immobile fundamentum, qui ab inferi portis ac viribus nunquam pro Domini promissione concutitur ac superatur? Id Petrus aeterno hospitio Romae conquiescens Apostolicae praestat Sedi, quae proinde post ejus obitum & gloriosam sanguinis effusionem esse non desiit fidei columna & Ecclesiae fundamentum: adeoque ad personales Petri praerogativas, ad ejus Successores Romanos Pontifices minime transmissas, ejusmodi privilegia revocari non debent.

Jam vero auctoritas indeficiens, & errori minime obnoxia, alterius potestatis, vel ipsis fatentibus Adversariis, inquisitioni subjecta non est, & ab alterius judicio minime pendet. Hinc autem oritur difficultas, quae Petro de Marca negotium facessit, conciliandi scilicet Episcopalium suffragiorum libertatem cum hac Romani Pontificis summa & ineluctabili auctoritate; pro qua expedienda frustra nos in Romanam Curiam Illustrissimus Auctor introducit. Nam quaecumque in Romanos Imperatores conferebantur munera, adeoque & omnia eorum placita, ut rata firmaque essent, & vim legis obtinerent, ex Reipublicae & Senatus voluntate & auctoritate pendebant. Ut autem Romanorum Pontificum de fide placita & decreta rata sint & inconcussa, & summam obtineant atque immobilem firmitatem, non ex Ecclesiae consensione & voluntate, sed ex Christi promissione pendet, qua Petrum ejusque successores fidei columnam & Ecclesiae Catholicae, hoc est aeterni & immobilis fundamentum esse voluit, quod nullis unquam inferorum insultibus expugnaretur.

Hinc autem facile intelligitur, & quae sit vis horumce verborum, quae statim idem Philippus adjungit: *A Domino nostro Jesu Christo.... claves regni* (Petrus) *accepit solvendique ac ligandi potestas ipsi data est*. In hoc igitur veritatis & fidei regno Petrus claves accepit, hoc est, summam & a nullo, nisi ab ipso Christo, qui claves dedit, pendentem auctoritatem. Clavis, ut in caput XVII. Matth. observant Expositores (a) nonnunquam supremam significat potestatem. Apoc. III. Dei „ Filius describitur manu claves Da„ vid gerens: *Qui aperit, & nemo clau„ dit; claudit, & nemo aperit*. Signi„ ficat & nonnunquam praefecturam „ vel auctoritatem in Principis domo. „ Promittit Isaias cap. XXII. Eliacim „ futurum Regiae domus Juda Cu„ ratorem: *Ei dabo clavem domus „ David super humerum ejus; & a„ periet, & nemo erit qui claudat; „ claudet, & non erit qui aperiat*. „ Jesus Christus eamdem S. Petro „ in Ecclesia sua dignitatem polli„ cetur, quam Isaias Eliacim in aula „ Regum Juda. Tu deferes clavem „ Ecclesiae meae, Regnique cae„ lestis. Tu aperies & claudes, ac „ nulli subditus eris ministro, cui „ rationem sis redditurus. Quidquid „ feceris, probe factum esto; quid„ quid vetueris, vel praeceperis, „ nun-

(a) Calmet, qui & citat Maldon. Menoch. Brugens. Grot. Le Clerc.

„ nunquam antiquabitur. Te meum „ Curatorem ac praefectum consti- „ tuo.... Aliud etiam Salvator ad- „ dit, quod magnitudinem dignita- „ tis S. Petri, ac potestatis ejusdem „ excellentiam ostendit: *Quodcum- „ que ligaveris &c.* Nulla profecto „ hac major latiorque potestas defer- „ ri potest: Neque haec est res me- „ rae speculationis. Potestatem hanc „ S. Petrus exercuit, & hodie per „ successores exercet, exercebitque. Frustra vero esse, qui claves Regni caelorum, hoc est, supremam in Ecclesia potestatem, non uni, sed unitati, hoc est, non uni Apostolorum Principi, sed Apostolorum collegio traditas fuisse contendunt; vel ex hoc ipso Ephesinae Synodi loco apertissime demonstratur: non enim Apostolorum Senatus, sed Petrus Apostolorum Princeps & caput claves regni caelorum accepisse dicitur, & ligandi atque solvendi summam in terra & in caelis auctoritatem. Hinc, ut alibi prolatis eorum locis ostendimus, & Stephano Dorensi Episcopo & S. Martino I. in Synodo Lateranensi, & S. Maximo Martyri in epist. ad Petrum Illustrem, soli Petro, aut Petro tantummodo claves regni caelorum datae fuisse dicuntur. Qui Patres non ignorabat utique & aliis Apostolis ligandi atque solvendi fuisse a Christo traditam potestatem; sed Petro speciatim ac soli claves regni caelorum, eisque adjunctam ligandi atque solvendi auctoritatem, ideo vindicabant, quoniam, ut Innocentius III. alibi nobis laudatus observat, aliis non sine ipso, ipsi vero sine aliis haec auctoritas data est, hoc est quoniam in ipso vis ejus tota velut in radice, fonte & origine posita est; ad alios autem veluti per varios ramos, radios ac rivulos a radice, aut sole, aut fonte deductos permeavit. Quae similitudines non hodie a nobis excogitatae, sed ab antiquis Patribus jampridem adhibitae sunt. Unde consequens est ac sponte fluit, Christum in Ecclesiae suae constitutione ordinem invertisse formamque regiminis, quod in Romana Republica vel Imperio obtinebat. Hic enim Civilis auctoritatis & potestatis summa vis, ac veluti fons & radix penes Rempublicam & Senatum erat, unde ad unum per varios Magistratus veluti per totidem rivulos variae illius portiones derivabantur. At Ecclesiasticae auctoritatis summam vim ac veluti fontem Christus in uno reposuit, quae per varias partes in multitudinem diffunderetur.

Iis porro omnino consona sunt, quae Actione tertia Concilii Chalcedonensis Paschasinus Apostolicae Sedis Legatus ait in sententia adversus Dioscorum lata, quam S. Leo in epistola ad Episcopos Gallia his verbis exhibet: *Unde sanctus ac beatissimus Papa caput universalis Ecclesiae Leo per nos ut Legatus suos, sancta Synodo consentiente, Petri Apostoli praeditus dignitate, qui Ecclesiae fundamentum, & petra fidei, & caelestis regni janitor nuncupatur, Episcopali eum dignitate nudavit &c.* Iisdem hic titulis Paschasinus Apostolorum pricipem celebrat, quibus eum in Synodo Ephesina Philippus ornaverat; quum eum perinde Ecclesiae fundamentum, & petram fidei, & regni caelestis Janitorem appellet. Paullo autem dis-

ſertius ſignificat, has Petri praerogativas perſonales non fuiſſe, ſed in ejus Succeſſoribus permanere, quum ait, Romanum Pontificem Petri eſſe praeditum dignitate; ſtatimque veluti exponens, quibus in rebus poſita ſit ejuſmodi dignitas, addit: *Qui Eccleſiae fundamentum, & petra fidei, & caeleſtis regni janitor nuncupatur*. Quare eaedem atque in praecedentem Synodi Epheſinae, & in hunc locum Concilii Chalcedonenſis fieri debent obſervationes: ex quibus, ut vidimus, aperte conſtat, in Eccleſia ſummum imperium, & ſupremam atque ineluctabilem auctoritatem penes unum eſſe locatam, quae inde in plures derivaretur; contra atque in Romana Republica vel Imperio, ubi ſumma vis & auctoritas in multitudine vigebat, indeque velut ex fonte ad unum per varios quaſi rivulos confluebat. Unde conſequens non eſt, ut ſi in Romana Republica unius placita ex multitudinis conſenſione pendebant, ad eaque probanda vel improbanda plena erat in Senatu libertas; eamdem libertatem in Conciliis generalibus agnoſcere debeamus, ad probandas ſimiliter aut improbandas ſollennes Romanorum Pontificum de fide conſtitutiones. Sed haec in ſequentibus capitibus, utriuſque poteſtatis effectus invicem conferendo, luculentius confirmabuntur.

CAPUT II.

Romani Imperatores pro tyrannis habiti fuiſſent, & nemo non eos Reipublicae ac Senatus libertatem opprimere judicaſſet, ſi placitis ſuis, antequam ab univerſo Senatu probarentur, injecto exſilii, & graviorum poenarum metu, ſubſcribi, eaque recipi omnino a Senatoribus voluiſſent. At nemo Romanos Pontifices tyrannidis arguit violataeque Conciliorum libertatis, quod ſuis decretis, graviſſimis poenis intentatis, ſubſcribi ante voluerunt, eaque omnino recipi, quam ab Oecumenicis Synodis probarentur.

QUae, rogo, penes S. P. Q. R. priſtinae libertatis imago vel umbra manſiſſet, ſi minis ac terroribus Imperatores egiſſent, ut ſuis placitis a Senatoribus ante ſubſcriberetur, quam ab univerſo Senatu probata fuiſſent; imo ſi palam & aperte denunciaſſent, nunquam ſibi cum Senatu ipſo pacem futuram, niſi ab illo quod ipſis viſum ac libitum eſſet velut Jovis oraculum reciperetur? Ab hac tamen vi Patribus inferenda optimi Principes abſtinebant. Quare Tiberius quum adhuc eam gloriam maxime appeteret, maximeque Civilis videri vellet, ut in futura ſua ipſius acta a Senatu juraretur, minime permiſit: *Nomen patris patriae*, inquit Tacitus (a), *Tiberius a populo ſaepius ingeſtum repudiavit: neque in acta ſua jurari, quamquam cen-* ſente

(a) Lib. I. Annal. cap. LXXII.

ſente Senatu, *permiſit* : *cuncta mortalium incerta*, *quantoque plus adeptus foret*, *tanto ſe magis in lubrico dictans*. *Non tamen ideo faciebat fidem civilis animi*. Verum eſt tamen, quod poſtea id juramenti ſuſcepit ac probavit, quemadmodum Dio auctor eſt (*a*), qui etiam alibi teſtatur (*b*), factum id eſſe *pro omnibus ſummis Imperatoribus*, *ſive vivis*, *ſive jam defunctis*, *ac non per ignominiam eo faſtigio deturbatis*. Verum id ipſum argumento eſt, perſuaſum fuiſſe vel ipſis Imperatoribus (*c*), eorum placita, ſicut & alia, quae non habebant jure Magiſtratus, haud ſecum ab origine ſua ferre, ſed ab auctoritate Senatus perpetuam accipere firmitatem : adeo ut non ex Imperatorio jure, ſed ex voluntate Senatus, per jurisjurandi religionem continuata, Principum juſſa tranſierint in legitimam poteſtatem. Itaque Principum juſſa vel placita in Imperio Romano vim non habebant definitionis, legis atque ſanctionis, niſi Senatu in ea libere conſentiente, ut ipſe etiam Petrus de Marca praeclare his verbis obſervat (*d*): „Cum autem Senatus „de rebus omnibus vice populi conſuli coepiſſet, Principes Senatus-„Conſultorum auctores fieri voluerunt. Quod eam vim in ſe habebat, ut oratio Principis in Senatu recitata, ſeu mavis, relatio cum praerogativa ſuffragii, non „ſolum cum unaquaque graviſſimorum Senatorum ſententia comparanda eſſet, ſed etiam deciſionis „auctoritatem indueret, ſi conſenſus Senatus accederet. Inde fit „ut frequenter in jure aliquid oratione Principis conſtitutum dicatur „quod alibi Senatus-Conſulto tribuitur ad orationem illam facto. „Scilicet oratio continet in ſe auctoritatem quamdam non ſolum cenſendi, ſed etiam definiendi, dummodo conſenſu & ſuffragiis Senatus „juvetur: quemadmodum etiam vice „verſa decreto Senatus res propoſitae „ſumma auctoritate definiuntur &c. Ergo niſi per ſummam injuriam non potuiſſet Imperator aut ſingulos Senatores compellere ad ſubſcribendum orationi ſuae, antequam a Senatu probaretur, aut univerſo coetum graviſſimis poenis intentatis adigere ad eam ſuffragii ſui auctoritate muniendam.

His poſitis, videamus, an iſtud imperium, quod olim in Romanis Principibus tyrannis & uſurpatio fuiſſet, Romani Pontifices in Eccleſia exercuerint, & an Epiſcopi & Synodi conqueſti ſint, quod Romani Pontifices tyrannidem exercerent, Conciliorumque libertas ab eis violaretur. Quid egerit S. Leo, & qua ſit uſus auctoritate ante Chalcedonenſis Concilii congregationem, adverſus Meldenſem Epiſcopum differentes, ex variis ejus epiſtolis demonſtravimus. Non ſolum enim Synodum Epheſinam reſcidit, ſed a communione quoque ſua ejus Synodi participes removit; Legatoſque ſuos miſit

(*a*) Lib. LVIII. ad an. V. C. 785.
(*b*) Lib. XLVII. ad an. V. C. 712.
(*c*) Gravin. lib. de Rom. Imp. cap. XXII.
(*d*) Lib. V. de Conc. Sac. & Imp. cap. VII. num. V.

misit Constantinopolim, qui Anatolio Urbis regiae Episcopo, ceterisque Orientis Episcopis denunciarent, ut si Sedis Apostolicae Ecclesiaeque Catholicae communione frui vellent, suae ad Flavianum epistolae sine ulla mora ac tergiversatione subscriberent. Qua de re ita scripsit ad Pulcheriam Augustam [a]: *Simplex enim est absolutumque quod posco, ut remoto longarum disputationum labore, sanctae memoriae Cyrilli Alexandrini Episcopi epistolae, quam ipse ad Nestorium miserat, adquiescat..... & Epistolae meae, quae ad sanctae recordationis Flavianum Episcopum est directa, consentiat .... Quam si quis existimaverit non sequendam, ipse se a compage Catholicae unitatis abscindet*. Suae ad Flavianum epistolae perinde subscribi vult S. Pontifex atque Cyrilli Alexandrini litteris ad Nestorium, quibus post Ephesinam Synodum tanquam certissimae fidei regulae atque definitioni subscribebatur. Neque hoc tantum monet atque suadet, verum & poenalem sanctionem adjicit; nimirum, nisi velint a compage Catholicae unitatis & communionis abscindi. Quod etiam in aliis epistolis sedulo ac vehementer inculcat: quibus Orientales Episcopos fere omnes ad subscribendum adegit, ut ipsimet Actione secunda Concilii Chalcedonensis sollenniter testati sunt, quum ab eis Judices ac Senatus requirerent, ut fidem exponerent, hoc est, aliquam fidei formulam concinnarent. Negarunt enim, aut ipsis licitum esse fidem exponere, aut opus esse alia fidei expositione, postquam Leo fidem exposuisset, & postquam omnes ejus Epistolae tanquam formae seu regulae fidei adversus Eutychianam haeresim subscripsissent: *Emerserunt quae ad Eutychem pertinebant; & super iis forma data est a sanctissimo Archiepiscopo Romanae urbis, & sequimur eum, & epistolae omnes subscripsimus ..... sufficiunt quae exposita sunt: alteram expositionem non licet fieri*.

„ Quare, vel ipso fatente Illustrissimo Adversario (b), certum est „ & indubitatum, Apostolicae Sedis auctoritate assertam fuisse fidei „ veritatem adversus perfidiam Eutychis, Synodi Ephesinae latrocinium castigatum, Orientis Episcopos ad satisfactionem adactos, „ & Leonis epistolam pro sincera fidei definitione susceptam. Haec Petrus de Marca, a quibus sejungenda non sunt, quae statim sequenti numero adjungit: „ Non me latet, „ olim in provinciis erumpens haereticum virus Synodorum provincialium decretis expulsum, haeresi atque haereticis damnatis. Sed „ haereticis tantum in provincia „ degentibus poena a Synodis indicebatur. At vero Leo I. haeresim in Oriente natam & haereticos, non solum in Occidente, sed „ etiam in Oriente damnat, ejusque „ sola epistola vim sententiae & definitionis canonicae obtinet; Synodum, quae faverat haeresi, rescindit, & perturbationis auctores „ suo judicio reservat. Sic olim Pelagianis a Zosimo damnatis, eorum haeresis per totum orbem „ pro-

(a) Epist. XXXV. Tom. IV. Concilior.

(b) Lib. V. de Conc. cap. VIII. num. I.

„ proscripta est; ut diserte scribunt „ Augustinus & Prosper (a). Post haec vero judicet aequus Lector, an Episcopalium suffragiorum in Synodis libertas recte cum libertate Senatus in probandis aut improbandis Imperatorum placitis conferatur. Imperatoris enim oratio vim definiendi & decisionis auctoritatem non habebat, nisi Senatus consensus accederet, ac nisi liberis ejus suffragiis juvaretur. At Leonis epistola, antequam Synodus Chalcedonensis celebraretur, vim sententiae & canonicae definitionis obtinuit; & non solum in Occidente, verum & in Oriente ad eam tanquam sinceram fidei definitionem ac formulam suscipiendam compulsi sunt, quicunque Catholicae communionis participes esse voluerunt. Orationi principis in Senatu ex se non inerat nisi vis suadendi: Pontificis autem Epistolae etiam vis definiendi: poterat illa a Senatu nullo periculo repudiari; quum, ut ipse Petrus de Marca auctor est, Senatus quando consulebatur, summo jure sit usus in decernendo; quare nil mirum si sua in hac re libertate utebatur, etsi amico foedere jungebantur majestas Imperatoris & libertas Senatus. At epistolae Pontificis ante Synodi celebrationem sanctio poenalis adjuncta erat, & vel ei subscribendum erat, aut subscriptionem abnuenti ab Ecclesiae Catholicae communione excidendum; nec sibi Synodus fas esse judicabat aliam fidei formam, seu credendi legem statuere. Hinc autem rursus emergit difficultas, quam Illustrissimus Auctor exaggerat, conciliandi cum Romani Pontificis auctoritate Episcopalium suffragiorum in Synodis Oecumenicis libertatem: quae illo Romani Senatus exemplo non satis expediri videtur.

Non solus autem Leo, verum & alii Romani Pontifices, non modo singulis seorsim Episcopis, verum eis in generales Synodos coëuntibus formulam fidei & credendi legem, poenali quoque sanctione adjuncta, proposuerunt. Id constat ex duabus Epistolis, quas Agatho & Romana Synodus ad Constantinum Pogonatum per Legatos suos ad sextam Synodum destinatos transmiserunt. Exposita enim Sedis Apostolicae adversus Monothelitas de duabus in Christo voluntatibus fide, palam ipse Romanus Pontifex aliique Occidentales Episcopi denuntiabant, nunquam sibi pacem cum Orientalibus fore, nunquam eos fratrum loco habituros, nec utriusque Ecclesiae communionem unquam redintegrandam, nisi hanc omnino fidei Catholicae regulam, nullo prorsus auctam additamento, nulla subtractione minutam amplecterentur: *Si hanc .... irreprehensibilem Apostolici dogmatis regulam ....* inquit Agatho, *Constantinopolitanae Praesul Ecclesiae tenere nobiscum ac praedicare delegerit; pax multa erit diligentibus nomen Dei, & ullum non remanebit dissensionis scandalum &c. Sin autem (quod porro longe sit) novitatem nuper ab aliis introductam amplecti maluerit, & alienis a regula veritatis orthodoxae atque Apostolicae nostrae fidei sese irretire*

(a) Augustin. Serm. 2. de verbis Apostoli, Prosper. in Chron.

re doctrinis ..... ipse noverit, quid de tali contemtu in divino Christi examine satisfaciet &c. Et in alia epistola, cui una cum Agathone omnes Occidentales Episcopi subscripserunt, haec eadem rursus non minore auctoritate Orientalibus denunciantur: *Quicumque proinde Sacerdotum haec, quae, in hac nostrae humilitatis confessione continentur, nobiscum sinceriter praedicare desiderant, ut nostrae Apostolicae fidei concordes, ut Consacerdotes, ut Comministros ejusdem fidei, & (ut simpliciter dicamus) ut spiritales fratres & Coepiscopos nostros suscipimus. Qui vero haec confiteri noluerint, ut infestos Catholicae atque Apostolicae confessioni, perpetuae condemnationis reos esse censemus: nec aliquando tales in nostrae humilitatis collegio, nisi correctos, suscipere patimur. Nec transgredi nos quisquam eorum arbitretur, quod a Praedecessoribus nostris accepimus.* An suas in Senatu orationes & placita talibus protestationibus Romani Imperatores muniebant? Aut si munissent, quam, rogo, suffragiorum libertatem Patribus reliquissent? Quam, inquam, libertatem sibi Senatus adseruisset, si disertis verbis Imperatores Patribus significassent, sibi nunquam cum Senatu pacem futuram, seque illos Civium loco non habituros, & non modo Republica & Civitate, verum & aqua & igni interdicendum iis, qui ipsorum auderent placitis refragari? Aut ergo libertas Episcoporum in Synodis generalibus altius rationis est a libertate, qua olim Senatus Romanus fruebatur; aut Agatho in Orientalium Episcoporum & sextae Synodi libertatem temere involavit.

Eadem auctoritate usus est in VII. Synodum Hadrianus I. quam ea lege celebrari consensit, ut primum Pseudo-Synodus Constantini Copronymi adversus sacras Imagines in irritum mitteretur. Qua de re in suis ad Constantinum & Irenem litteris haec mandavit: *Si vero impossibile est haereticorum vesaniae pro incredulitate ipsorum ipsas sacras ac venerandas Imagines sine Synodi actione in pristino erigere ac confirmare statu.... imprimis Pseudo syllogum illud, quod sine Apostolica Sede enormiter & irrationabiliter, nequiterque contra sanctorum venerabilium Patrum traditionem de sacris Imaginibus actum est, anathematizetur praesentibus missis nostris.* Quod rursus praecipit in aliis ad Tarasium litteris, in quibus etiam adjungit, se illius consecrationem recipere, adeoque cum ipso tanquam Catholico Patriarcha communicare non posse, nisi ipsius ope ac vigilantia sacrarum Imaginum cultus in Oriente restitueretur: *Si autem sacras ac venerabiles Imagines illis in partibus non restituerint, consecrationem vestram recipere non audemus.* Quae litterae quum Actione secunda lectae fuissent; Tarasius illarum auctoritatem agnovit, ac publice professus est, illis omnino esse parendum, & eis resisti non posse. Quare quum Paulli verba laudasset, quibus Romanae fidei praeconium continetur: *Hoc*, inquit, *testimonium sequi necessarium est, & inconsulte agit, qui huic conatur resistere.* Quae verba & ipse Petrus

de Marca [a] expendens merito observat: Tarasium Sedis Apostolicae auctoritatem suo suffragio ita coluisse, ut ab ejus regulis in sincerae fidei praedicatione discedere, nemini fas esse putaverit; Apostolo testante, Romanorum fidem annuntiari in universo mundo.

In octava Synodo nullus omnino Metropolitanorum, Episcoporum, & Clericorum, qui a Constantinopolitana Sede pendebant, in sacrum illum conventum admissus est, qui non ante Libello coram testibus subscripsisset, quem Hadrianus II. ut ab eis reapse subscriberetur, per Legatos suos transmiserat. In hoc autem Libello, cujus saepius in Opere adversus Bossuetium mentionem fecimus, sancte ac sollenniter profitebantur, sese omnia decreta suscipere, quae pro Ignatii restitutione, & Photii dejectione, & Gregorii Syracusani & sectatorum eorumdem damnatione cum Nicolaus I. tum Hadrianus ipse sanxissent. *Ita ut*, inquit Anastasius Bibliothecarius, qui praesens aderat, *nullus vel Antistitum, vel reliquorum Clericorum in Synodalem fuerit conventum receptus, qui non secundum exemplar hujus codicilli Chirographum scripsit, & Missis Sedis Apostolicae Ecclesiae Romanae minime deferendum porrexit*. Post hujus vero Libelli subscriptionem, quo praecipua capita continebantur, ob quae Synodus indicta fuerat; quae rogo libertas iis qui subscripserant reliqua erat, ad eadem Sedis Apostolicae decreta in ipsa Synodo retractanda? Postquam anathema in Photium, & in Gregorium Syracusanum, & in acta Photiani Conciliabuli, & in eorum sequaces intorserant; & postquam Nicolai I. & Hadriani II. Romanis Synodis eorumque actis atque decretis pro Ignatii restitutione, & schismaticorum damnationem subscripserant; quis eos liberos fuisse pronunciet ad judicandum, jure ne recteque, an secus Ignatium Romani Pontifices restituissent, Photium autem Photianosque damnassent? Hoc factum, ut ipse Petrus de Marca observat [b], adeo commendabat auctoritatem Summi Pontificis, ut id Episcopi quidam Constantinopolitanae Dioeceseos in invidiam trahere conati sint, Basilii Imperatoris & Ignatii Patriarchae auribus insusurrantes, (quemadmodum observat Anastasius Bibliothecarius, qui rebus gestis praesens aderat) *non bene factum fuisse, quod Ecclesiam Constantinopolitanam tanta subjectione Romanae subdi Ecclesiae permiserint, ita ut hanc ei tanquam dominae ancillam tradiderint*. Qua exprobatione commotus Imperator, clanculum Chirographa illa subscripta a scriniis Legatorum subripi jussit. Quod ex parte impletum, justam Legatis conquerendi occasionem dedit. Sed opera & industria Anastasii Bibliothecarii Imperator chirographa restitui praecepit, iis verbis adjectis, quae Sedem Apostolicam ut negotiorum Ecclesiasticorum magistram profitentur: *Ego quidem*, inquit, *magistram Ecclesiasticorum nego-*

(a) Lib. V. de Concord. cap. XIV. num. III.
(b) Ubi supra num. VI.

negotiorum Sedem Apostolicam per meos Legatos adii, & ideo vestram praesentiam praestolatus sum, ut vestro decreto & solertia Ecclesia nostra remedia sanitatis acciperet; & nos non nostris motibus, sed vestrae sententiae pareremus. Quibus verbis Imperator professus est, jure ac legitime Romanum Pontificem eam in Graecos Episcopos auctoritatem exercuisse, eosque adigere potuisse ad subscribendum Sedis Apostolicae decretis, vel antequam Synodus celebraretur: quoniam ipsa quum sit Ecclesiasticorum negotiorum magistra, ejus sententiae parendum est: adeoque non eam Basilius Imperator in Episcopis ac Synodis auctoritatem & potestatem agnoscebat, quam veteres Imperatores in Patribus, & Senatu, quum jure ac modeste agerent, suspiciebant: quum se illi Senatui obnoxios profiterentur, hic vero Episcopos Pontificis decretis & auctoritati subjiceret. Nam Senatus jura Tiberius agnoscens, ita Patres apud Suetonium cap. XXIX. adloquebatur: *Dixi & nunc & saepe alias, P. C., bonum & salutarem Principem, quem vos tanta & tam libera potestate ornastis, Senatui servire debere, & universis Civibus saepe, & plerumque etiam singulis, neque dixisse me poenitet: & bonos, & aequos, & faventes vos habui dominos, & adhuc habeo*. At contra, ut vidimus, Constantinopolitanae Dioeceseos Episcopi & Clerici conquerebantur, & cum Imperatore & Ignatio Patriarcha expostulabant, quod Synodi initio amplissimam illam Orientis Ecclesiam Sedi Apostolicae tanquam ancillam dominae subjecissent. Quod jure factum esse, tandem & ipse Imperator agnovit, ac professus est.

CAPUT III.

De Imperatorum placitis in Senatu libere a Patribus & in utramque partem disceptabatur. At Romani Pontifices omnino vetabant, fidei dogmata Sedis Apostolicae auctoritate sancita, velut adhuc dubia & incerta, in Synodis Oecumenicis retractari.

Non modo aequi boniquc Imperatores, aut qui tales haberi vellent, eamque gloriam aucupabantur, nullam Senatui, ut in eorum placita sententiamque concederet, vim inferebant; verum & Patribus permittebant, ut de rebus in medium adlatis, quanquam explorata Principis voluntate, libere disceptarent. Plura hujusce juris & libertatis, qua Tiberio Imperatore, frui Senatus adhuc videbatur, & qua frui plenissime debuisset, Tacitus exempla notavit.. Unum aut alterum, ut res illustrior evadat, exemplum adferam.

Primum exstat lib III. Annal. cap. LXX. narraturque a Tacito his verbis: *L. Ennium equitem Romanum majestatis postulatum, quod effigiem Principis promiscuum ad usum argenti vertisset; recipi Caesar inter reos vetuit*. At ejus sententiae atque judicio non statim omnes adquieverunt; quin eorum unus libertate usus, quae amplissimo ordini conveniebat, & cujus illi imaginem quamdam & umbram Tiberius adhuc servabat, palam judicio Caesaris contradixit:

Pa-

Palam, inquit, *aspernante Atejo Capitone quasi per libertatem*; hoc est, quasi Senatus libertatem adsereret: *Non enim*, inquiebat, *debere eripi Patribus vim statuendi: neque tantum maleficium impune habendum. Sane lentus in suo dolore esset; Reipublicae injurias, ne largiretur.*

Illustrius est alterum ejusdem libertatis exemplum, qua Senatus Tiberii placito adversatus est, quod idem Auctor Annalium lib. IV. cap. XV. his verbis refert: *Sub idem tempus de Flamine Diali in locum Servii Maluginensis defuncti legendo, simul roganda nova lege disseruit Caesar*; hoc est, retulit ad Senatum de nova lege sancienda. Quanquam autem plures rationes adtulit, cur veterem ritum emendari vellet, aut cur ei *medendum* censeret *Senatus decreto aut lege*, addito etiam Augusti exemplo, qui *quaedam ex horrida illa antiquitate*, hoc est veterum legum sylva, *ad praesentem usum flexisset*: libere tamen Senatus placitum Caesaris ad examen revocavit; *tractatisque religionibus*; hoc est, perspectis perpensisque caeremoniis, *placitum*, contra atque Tiberius censuerat, *instituto Flaminum nihil demutari*.

Similia & apud Suetonium in ejusdem Tiberii vita legere est: ex quibus facile colligas, non eam sibi Imperatores, quum principatus jura suis finibus coërcebant, auctoritatem usurpasse, ut omnia pro suo ipsorum arbritrio decerni vellent, nec facultas Patribus esset secus de rebus propositis judicandi: Hinc quemdam (a) *dicentem, auctore eo Senatum se adiisse, verba mutare, & pro auctore, suasorem .... dicere coëgit*. Hoc autem auctor a suasore differt, quod hujus consilium non semper sequimur. Hinc etiam paullo inferius eidem Suetonio (b) memoriae proditum est, quod *speciem libertatis quamdam induxit, conservatis Senatui ac Magistratibus & majestate pristina & potestate*; hoc est, iisdem pene juribus, quibus florente Republica fruebantur: *Neque tam parvum quidquam, neque tam magnum publici privatique negotii fuit, de quo non ad P. C. referretur*. Et rursum (c): *Quaedam adversus sententiam suam decerni, ne questus quidem est*. Cujus moderationis aliquot statim exempla describit.

Paria sunt quae de eodem Imperatore Dio Cassius refert lib. LVII. in Xiphilini Excerptis: *Suo*, inquit, *arbitrio nihil aut perpauca agebat: De rebus etiam minutissimis ac Senatum referebat.... Proposita sua in medium sententia, non tantum omnibus contradicere liberum relinquebat, sed ferebat etiam aliquando contraria suae sententiae decreta fieri. Nam ipse quoque saepenumero suffragium dicebat .... Plerumque ne videretur libertatem aliis adimere, dicere solebat, se si sententiam fuisset laturus, hoc vel illo modo dicturum fuisse*. Quo fiebat, ut liberius alii *quid ipsis placeret, exponerent. Quin saepius diversum ab ipsius sententia posteriores probaverunt, ac saepenumero, nihil cuiquam succensente ipso, obtinue-*

(a) Sueton. in Tiberio cap. XXVIII. (b) Ibid. cap. XXX.
(c) Ibid. cap. XXXI.

tinuerunt. Quae libertas, ut iidem Auctores monent, tamdiu in Senatu viguit, quamdiu Tiberius bonum principem egit; hoc est, ipsius Imperii novem prioribus annis: quibus, ut rursus Tacitus auctor est (*a*), & *publica negotia, & privatorum maxima apud Patres tractabantur: dabaturque Primoribus disserere*; hoc est, libera erat de quibuslibet negotiis deliberatio; & *in adulationem lapsos cohibebat ipse .... sua Consulibus, sua Praetoribus species: minorum quoque Magistratuum exercita potestas &c.* hoc est, quemadmodum Senatui Patribusque conscriptis, ita & Consulibus Praetoribusque manebat aliqua pristinae majestatis imago, & minores Magistratus suam potestatem sine ullo impedimento exercebant.

His positis, videndum est, an eamdem libertatem, qua olim Imperatores de suis placitis Senatores disserere permittebant, Romani quoque Pontifices ad sua circa fidem decreta retractanda Synodis Oecumenicis indulgerent; seu an ejusmodi auctoritatem ipsis Oecumenicis Synodis jure competere judicarent. Adfirmat Illustrissimus de Marca his verbis (*b*): „ Quemadmodum autem „ relationis Imperatoriae haec erat „ necessaria & velut innata condi- „ tio ut recte rationis praescriptum „ sequeretur, atque utilitati publi- „ cae consuleret, vel sane non in- „ commodaret: (qua de re libera „ erant Senatorum suffragia) ita quo- „ que relationis Pontificiae partes e- „ rant, ut in fide & pace Ecclesia- „ rum constituenda, a Sacris Scri- „ pturis, a Canonibus, & a tradi- „ tione Majorum nullo pacto disce- „ deretur. Quare illud anxie a Sy- „ nodo disquirebatur, an Pontifi- „ cum epistola cum Scripturis & „ Canonibus congrueret; ut ita de- „ mum auctoritate illius omnes te- „ nerentur, atque duobus veluti „ vinculis in fide confirmati essent, „ definitione Pontificis, & declara- „ tione Synodi. Perinde atque ut olim Hadrianus ad Senatum scribebat (*c*): *Vestrum est aestimare quid velitis: nam ego usque ad Senatus judicium incertus & varius fluctuabo*: ita usque ad Synodi judicium nutarit adhuc, aut non satis firma fuerit in fidei rebus sanciendis Apostolicae Sedis Decretorum auctoritas. Paullisper autem seposita Synodicae consultationis seu deliberationis praxi, qua potissimum Adversarii nituntur; quis fuerit ipsorum Pontificum Romanorum de suis decretis ad fidem pertinentibus sensus, interim exponemus. Adlatisque eorum testimoniis, plane aperteque constabit, noluisse Romanos Pontifices, constanterque inhibuisse sua de fide decreta tanquam dubia & incerta in Synodis Oecumenicis retractari: adeoque non eamdem illos in Conciliis generalibus auctoritatem suspexisse, quam olim Senatui aequi bonique Imperatores sartam tectamque servabant.

Ini-

(*a*) Lib. IV. Annal. cap. VI.
(*b*) Lib. V. de Concord. cap VIII. num. V.
(*c*) Apud Spartian. in Hadriani vita cap. VIII.

Initium ducam a Leone Magno, quo tritae ab Illustrissimo Praesule orbitae ac vestigiis insistam. Is ergo sanctissimus & aequissimus Pontifex, qui *libertatem suffragiorum*, ut idem ipse Illustrissimus Auctor observat, *tantopere commendavit*, in suis epistolis gravissime ac sollicite cavit, ne caussa fidei adversus Eutychem auctoritate ipsius asserta, ejusque de mysterio Incarnationis ad Flavianum epistola tanquam dubia & incerta vel in ipsa generali Synodo in disceptationem adduceretur. Ita epistola XLII. ad Marcianum Augustum (a), quum jam de cogenda Synodo tractaretur: *Nimis autem iniquum est, ut per paucorum insipientiam ad conjecturas opinionum, & ad carnalium disceptationum bella provocemur: tanquam reparata disceptatione tractandum sit, utrum Eutyches impie senserit, & utrum impie Dioscorus judicarit*. Et infra: *Non cujusmodi sit fides tenenda tractandum, sed eorum*; hoc est, in Ephesino Latrocinio lapsorum, *precibus qualiter annuendum*. Et epistola sequente ad eumdem: *Per ipsum*, inquit, *Dominum nostrum Jesum Christum; qui regni vestri est auctor & rector, obtestor & obsecro clementiam vestram, ut in praesenti Synodo fidem, quam beati Patres nostri ab Apostolis sibi traditam praedicarunt, non patiamini quasi dubiam retractari*. Et epistola L. ad eumdem Imperatorem: *Compressa enim vel remota inquietudine ac pravitate paucorum, facile probabitur firmanda concordia, si in eam fidem, quam Evangelicis & Apostolicis praedicationibus declaratam, per antiquos Patres nostros accepimus & tenemus, omnium corda concurrant; nulla penitus disputatione cujusquam retractationis admissa, ne per vanam fallacemque versutiam aut infirma videantur aut dubia, quae in ipso angulari lapide Christo fundata sunt, & sine fine mansura*. Quam porro fidem his verbis delinearet, & prorsus irretractabilem esse vellet atque decerneret, plenius ac distertius declarat in epistola ad ipsum Chalcedonense Concilium (b): *Unde*, inquit, *fratres carissimi, rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat; nec liceat defendi, quod non licet credi; quum secundum Evangelicas auctoritates, secundum Propheticas voces, Apostolicamque doctrinam, plenissime & lucidissime per litteras, quas ad beatae memoriae Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quae sit de sacramento Incarnationis Domini nostri Jesu Christi pia & sincera confessio*. Hanc ergo fidem quae in suis ad Flavianum litteris continebatur, quam plenissime declaraverat, & adversus Eutychem asseruerat, nolebat Leo in disputationem adduci, ac vehementer intercedebat, ne eadem semel ab ipso sancita in generali Synodo retractaretur.

Praeiverat hac in re Magno Leoni S. Caelestinus, qui quum Legatos suos ad Ephesinam Synodum mitteret,

(a) Tom. IV. Conciliorum.
(b) 1. Par. Concil. Chalcedon. cap. XL.

ret, eis in mandatis dedit, ut suam & Occidentalis Synodi adversus Nestorium sententiam Oecumenico Concilio significarent, nec se se Orientalium disceptationibus immiscerent. Quare in Commonitorio eis tradito haec S. Pontificis verba leguntur: *Auctoritatem Sedis Apostolicae custodiri debere mandamus: siquidem & Instructiones, quae vobis traditae sunt hoc loquantur, ut interesse conventui debeatis: ad disputationem si fuerit ventum, vos de eorum sententiis judicare debeatis, non subire certamen*. Quibus verbis, ait Baluzius, Baronii confirmari sententiam docentis: „ a Caelestino Romanaque „ Synodo missos esse Legatos in „ Orientem, non ut redditis irritis, „ quae anno superiore adversus Ne„ storium ab eodem Pontifice de„ creta essent, caussa ejusdem novo „ subjaceret examini, sed potius ut „ sententiae in Nestorium latae iidem „ Legati essent executores.

Eadem omnino fuit & sequentium Pontificum mens, quum Legatos suos ad Orientales Synodos destinarent; ut constat imprimis ex hisce Agathonis & Occidentalis Concilii verbis in Epistola ad Constantinum Pogonatum Imperatorem: *Personas autem de nostrae humilitatis ordine praevidimus dirigere ad vestrae a Deo protegendae fortitudinis vestigia, quae omnium nostrum, id est universorum per Septemtrionales vel Occiduas regiones Episcoporum suggestionem, in qua & Apostolicae nostrae fidei confessionem praelibavimus, offerre debeant: non tamen tanquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia compendiosa definitione proferre*.

Idem etiam ex octava Synodo compertum est: nam ipsa statim Actione prima Sedis Apostolicae Legati Synodo significarunt, haud aliam sibi suppetere potestatem, quam ut Nicolai decreta firmarent, eaque exsequerentur: *Sanctissimus Papas Hadrianus potestatem nobis dedit, ut secundum quod beatissimus Papa Nicolaus disposuit de sancta Constantinopolitanorum Ecclesia, ita ordinemus, & moderemur atque firmemus, ut nullus adversus eam pugnare possit; & ut quae ipse sanctissimus Hadrianus edidit, confirmemus*. Quod & reapse constanter ac fideliter praestiterunt. Nam & in eadem Actione, antequam ulla de rebus Romae decretis ac definitis disputatio haberetur, Graecos Episcopos adegerunt ad subscribendum libello ex Urbe transmisso, quo Sedis Apostolicae de Ignatii Photiique caussa, seu de Photiano schismate decreta continebantur. Et quum Actione quarta Principes seu Senatus per Bahanem patritium peterent, ut Photiani Synodum ingrederentur; aegre id quidem Legati tulerunt, nec alia ratione consenserunt, quam ne admitterentur ad disceptandum, sed ut latam in eos a Nicolao sententiam ejusque definitiones audirent, & juxta illas praesentes judicarentur: *Ingrediantur & exaudiant legi Synodicas definitiones & judicia beatissimi Papae Nicolai, & certificentur magis ac magis*. Et rursum: *Ingrediantur: sed nos non propter contentionem advocamus eos, sed ut tantum bea-*

tissimi Papae Nicolai Epistolam audiant.

His fretus exemplis Gregorius X. quum Graecos Imperatorem, Patriarcham, & Episcopos ad secundam Lugdunensem Synodum invitaret; concinnatam a Clemente IV. fidei Catholicae definitionem, qua dogmata, ob quae ab Ecclesia Latina Graeca diffidebat, auctoritate Apostolica sanciebantur, eis ante per Legatos suos subscribendam transmisit; hac adjecta declaratione, ad eam formulam retractandam, aut novo examini subjiciendam, nequaquam debere Synodum celebrari: *Non*, inquit, *ad praedictae discussionem, vel novam diffinitionem fidei, quam tanquam innumeris sacrae paginae auctoritatibus, numerosis Sanctorum Patrum sententiis, & Romanorum Pontificum stabili diffinitione firmatam, nec ipse* (Clemens) *voluit, nec nos intendimus, sicut nec decet nec foret expediens, in dubium, novo ipsam exponendo examini, revocare*.

Si ergo Synodis Oecumenicis eadem libera facultas est ad retractandas excutiendasque Romanorum Pontificum dogmaticas Constitutiones, quae olim Senatui Patribusque conscriptis ad differendum atque deliberandum de Romanorum Imperatorum placitis; necesse omnino est, ut laudatos Pontifices tyrannicam in Ecclesia dominationem exercuisse dicamus: quemadmodum & illos Imperatores tyrannidis argueremus, imo & reipsa arguimus, qui hanc libertatem Patribus ademissent, aut qui reapse ademerunt. An ergo Leonem Magnum, Caelestinum, Agathonem, Hadrianum II., Clementem IV., Gregorium X. tyrannici dominatus insimulabimus? Absit. Quis tantis nominibus tam gravem atrocemque notam inurat, quam nunquam illis Veterum ullus impressit? Quibus proinde nequaquam persuasum fuit, ea in Synodis Oecumenicis Episcopos libertate pollere, qua in Senatu Patres conscripti, nondum omnino eversa Republica, potiebantur.

CAPUT IV.

Senatus Romanus non modo libertate usus est in Imperatorum placitis retractandis, verum & in eisdem aut omnino improbandis, aut saltem reformandis: Nulli autem Oecumenicae Synodo fas aliquando fuit, Romanorum Pontificum de fide decreta aut omnino rejicere, aut vel unum in eis apicem permutare.

Ex iisdem Historicis monumentis, quibus superiore capite ostendimus, in potestate Patrum olim fuisse de Imperatorum placitis disserere atque deliberare; apparet etiam Senatum eadem potestate usum, ea vel omnino improbasse, vel quibusdam demtis aut additis ad publicam utilitatem adtemperasse. Id quod certe ex jure & auctoritate deliberandi sponte fluebat. Ut quid enim illa Senatus deliberatio, nisi ut quod optimum esset, maximaeque rationi & legibus, reique publicae congruens & consentaneum, decerneretur? Facilius enim erat, ut se habent humanae res, ut id plures collatis consiliis, quam unus,

unus, adſequerentur: adeoque fieri non poterat, quin ab unius plurium ſententia quandoque diſcordaret. Quod non aegre ferebant Imperatores, qui ſua Patribus jura integra & intemerata eſſe volebant. Ita Suetonius de Tiberio (a) *Quaedam adverſus ſententiam ſuam decerni, ne queſtus quidem eſt. Negante eo, deſtinatos Magiſtratus abeſſe oportere, ut praeſentes honori adquieſcerent, Praetor deſignatus liberam legationem impetravit. Iterum cenſente, ut Trebianis legatam in opus novi theatri pecuniam ad munitionem viae transferre concederetur, obtinere non potuit, quin rata voluntas legatoris eſſet. Quum Senatus-conſultum per diſceſſionem forte fieret, tranſeuntem eum in alteram partem, in qua pauciores erant, ſecutus eſt nemo.* Sed nullum celebrius aut pervulgatius hujuſce in Patribus libertatis argumentum, quam quod de eodem Imperatore Tertullianus his verbis refert [b] *Tiberius ergo cujus tempore nomen Chriſtianum in ſaeculum introivit, annuntiatum ſibi ex Syria Palaeſtina quod illic veritatem illius divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum praerogativa ſuffragii ſui. Senatus, quia non in ſe probaverat, reſpuit.* Quae jam adtulimus & alia quae adhuc adferri poſſent exercitae a Senatu ſub eodem Imperatore ejuſmodi libertatis exempla, quin vera narret Tertullianus dubitare non ſinunt quum non aliam adverſus hujuſmodi hiſtoriae veritatem moroſiores aliquot Critici rationem adferant, quam quod veriſimile non videtur, Senatum, de Chriſto in Deorum numerum referendo, Imperatoris placito repugnaſſe. Qui certe ſi ad Senatus jura, & alia id generis exempla animum attendiſſent, nunquam graviſſimi Scriptoris narrationem in falſi ſuſpicionem adducere moliti eſſent.

Ut ergo Patres de Imperatorum placitis diſſerebant, ita ab eis libere quandoque diſſentiebant; qua in re ſumma Senatus auctoritas explicabatur. Quare ſi eadem in Conciliis generalibus Epiſcopi libertate & auctoritate pollebant, eam aliquando exercuiſſent, aut exemplo aliquo comprobaſſent. Cur enim illos Chriſtus ea poteſtate & auctoritate donaſſet, quae ſemper munere actuque ſuo vacaret? Aut qua ratione contigiſſet, ut nullo unquam exemplo aut Pontificis lapſu demonſtraretur, ſupremam ad res fidei definiendas auctoritatem penes Oecumenicas eſſe Synodos, & ſollennes & ex Cathedra pronunciatas Romanorum Pontificum de fide definitiones poſſe ac debere aliquando per eaſdem Synodos reformari? Jam vero tantum abeſt, ut id aliquando contigerit, ut quum id ſemel legitima Synodus imprudens aggreſſa eſſet; & ei conſtanter a Legatis Sedis Apoſtolicae reſtitum eſt, ac niſi iidem Legati interceſſiſſent, in maximum Synodus ipſa erratum incurriſſet. Res ita ſe habet.

Conſenſerat tandem Concilium Chalcedonenſe, ut fidei formula adverſus Eutychianam haereſim conderetur: quae ubi Actione quarta publice

E e 2 lecta

(a) In Vita Tiberii cap. XXXI.
(b) Apolog. cap. V.



jecta est, praeterquam paucis Orientalibus, & Sedis Apostolicae Legatis, omnibus placuit; consensionemque suam & adprobationem publicis acclamationibus testati sunt: *Definitio omnibus placet. Haec fides Patrum. Qui praeter ista sapit, haereticus est. Qui aliter sapit, anathema sit.... definitio Deo placuit. Ista fides Orthodoxorum.... Petimus, ut definitio subscribatur coram Evangeliis.... Jubete subscribi definitionem.... Qui non subscribit definitioni, haereticus est.* His tamen clamoribus Sedis Apostolicae Legati minime territi, intercedere perstiterunt; caussati adjiciendum formulae fidei, quod sententiam S. Leonis plene atque integre repraesentaret. Reponentibus Episcopis, nihil esse addendum definitioni, eo contentio processit, ut pene rebus infectis tanta Synodus solveretur; Legatis constanter rejicientibus definitionem, nisi in ea Patres juxta epistolam S. Leonis *duas esse in Christo naturas unitas inconvertibiliter, inseparabiliter, & inconfuse*, diserte atque perspicue profiterentur. Quod tandem pervicerunt, & formula fidei omnium votis ita concepta est, ut diserte Leonis epistola recepta sit tanquam Petri confessioni congruens; & omnia dubia juxta praescriptum illius epistolae explicata sunt.

Ex disceptationis hujus narratione duo, juxta Petrum de Marca, praecipua colliguntur [a]:,, Unum est, ,, omnes Episcopos epistolae Leonis ,, subscripsisse. Quod ejus auctoritatem demonstrat, cum decretis sub- ,, scribatur, & non Episcoporum suf- ,, fragiis. Alterum est, nefas tandem Synodo visum, si vel uno ,, verbo ab ea epistola discederetur. ,, Etenim cum superioribus Actioni- ,, bus praejudicatum fuisset omnium ,, Patrum suffragiis, Epistolam Leo- ,, nis congruere cum traditione Ma- ,, jorum, auctoritas Romanae Sedis ,, id exigebat, ut formula fidei edi- ,, ta a Concilio, & Leonis defini- ,, tionem disertis verbis amplectere- ,, tur, & ex ejus praescripto am- ,, biguitates tolleret; nempe Syno- ,, dus declararet, quod Leo defini- ,, verat, quemadmodum loquebatur ,, Marcianus Imperator. At nos ex eadem narratione alterum colligimus, nempe quod ubi a Leonis epistola Synodus oculos deflexit, parum abfuit, quin aequivocam, atque ineptam Eutychianae haeresi profligandae, fidei formulam obtruderet. Ut enim ipsis Judicibus observatum est, nec ipsi Eutichianorum principes omnino repugnabant, Christum ex duabus dici naturis; at duas in ipso naturas agnoscere recusabant; quare fidei definitio, quae tantum ex duabus naturis habebat, ab Eutychiana impietate satis remota non erat: *Gloriosissimi Judices dixerunt:* ,, Dio- ,, scorus dicebat, propter hoc se ,, damnasse Flavianum, quia duas ,, naturas ajebat esse: definitio au- ,, tem, ex duabus habet naturis. *Et rursum: Dioscorus dicebat:* Quod ,, ex duabus naturis est, suscipio, ,, duas non suscipio. Quod verum esse, nec Anatolius quidem inficias ivit; sed reposuit, propter fidem damnatum non fuisse Dioscorum. At consta-

(a) Lib. V. de Conc. cap. IX. num. IV.

stabat tamen, illum omnia sus deque vertisse, divinaque omnia & humana jura violasse, ut damnato Flaviano, qui duas naturas praedicabat, Eutyches unius naturae adsertor absolveretur. Quod satis erat, ut ea formula velut errori damnando non satis idonea rejiceretur. Deinde, illud quidem absonum erat, ut qui Leonis epistolae jam subscripserant, in fidei formam admittere recusarent, quod in ea Epistola maxime Eutychianos urebat, & quo ferme uno a Catholicis dissidebant. Ut enim Episcopos Judices recte jureque monebant: *Si epistolam Sanctissimi Leonis suscipitis.... ergo quae in ea inseruntur, inserantur definitioni*. Attamen ad epistolam suscipiendam & subscribendam vel ante Synodum Leonis auctoritate coacti fuerant; quare & eadem auctoritate in eam necessitatem adstricti fuerant, ut ne vel uno verbo ab ea epistola discederetur; vel, eis jam fuerat ademta libertas ad eamdem in ullo capite reformandam.

Hoc, ut conjicere licet, exemplo edoctus S. Agatho Papa, quum suos ad sextam Synodum Legatos mitteret cum Sedis Apostolicae de duabus in Christo voluntatibus sollenni decreto ac definitione, non modo illis ademit facultatem de re, semel Sedis Apostolicae Auctoritate sancita disputandi; non modo ejusdem Sedis Apostolicae communione Orientalibus se interdicturum minatus est, nisi illam incunctanter amplecterentur: verum etiam eisdem Legatis fas esse noluit Synodo consentire, si forte Apostolicae confessioni quidquam aut demendum, aut adjiciendum esse contenderet: *Licentiam proinde eis sive auctoritatem dedimus apud tranquillissimum vestrum Imperium, dum jusserit ejus clementia, simpliciter satisfaciendi, inquantum eis dumtaxat injunctum est, ut nihil profecto praesumant augere, minuere, vel mutare: sed traditionem hujus Apostolicae Sedis ut a praedecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est sinceriter enarrare*. Similiter & in octava Synodo Hadriani II. Legati professi sunt, sibi fas non esse, neque canonicis institutis permissum judicia rescindere Pontificum Romanorum: *Nobis, non licet rescindere judicium sacrorum Romanorum Pontificum. Hoc enim contrarium est canonicis institutis.*

His Romanorum Pontificum & sacrorum Canonum institutis omnes Oecumenicas Synodos paruisse, tum ex earum actis compertum est, tum etiam ipsi Romani Pontifices haud semel testati sunt. Quid enim hoc Agathonis testimonio praeclarius in epistola saepius laudata ad Constantinum Pogonatum Imperatorem? *Beatus Petrus . . . . spiritales oves Ecclesiae ab ipso Redemptore omnium aeterna commendatione pascendas suscepit: cujus annitente praesidio, haec Apostolica ejus Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est: cujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutae sunt*. Consona his sunt quae S. Nicolaus scribit epistola nona ad Michaëlem Imperatorem: *In Synodis*, inquit, *prisco tempore collectis Apostolicae Sedis scripta non sub occultationis modio tegebantur: sed ut omni-*

omnibus, qui in domo Dei erant, lucerent, in propatulo ponebantur: & ut si qua turpitudo vel macula in fidei pulcritudine a quolibet tentaretur induci, facile patesceret, ac si specula in omnibus habebantur, & quasi quaedam rectitudinis formula, qua imprimi ceteri possent. Et epistola decima ad eumdem Imperatorem: *Haec sunt quae de his Sedes Apostolica statuit: haec sunt quae Synodice regulariterque decrevit: haec sunt quae nos tanto studiosius oportet amplecti, tanto sollicitius observare, quanto certius nostis, quae ab ea statuta fuerint, haec universalem semper Ecclesiam tenuisse. Ita ut contra singulos errores in Ecclesia exortos prior haec secundum primatus sui auctoritatem sententiae terminum dederit: & ita demum universalis Ecclesia, licet aliquando per aliquantulum temporis in quibusdam reluctata sit, quae illa tamen probavit, quandoque probaverit: & quae illa refutavit, quandoque refutaverit.* Quorum verborum sensus esse non potest, quod absolutae universalis Ecclesia dogmaticis Apostolicae Sedis decretis reluctata aliquando sit: hujus enim rei nullum in Ecclesiae monumentis occurrit exemplum: quare quod ait, *in quibusdam*, referri commode potest ad quaedam non doctrinae capita, sed ipsius Ecclesiae membra; ut sensus sit, licet Ecclesia *in quibusdam* adhuc sibi cohaerentibus membris, ut in Polycrate & Episcopis Asianis, in Cypriano & Episcopis Africanis, in Firmiliano & aliquot Episcopis Orientalibus, Sedis Apostolicae constitutis reluctata aliquando sit; ejus tamen deinde sententiam in omnibus amplexa est, nec fas illi aliquando fuit Romanorum Pontificum de fide judicia vel decreta rescindere.

Hinc autem exsurgit viresque sumit argumentum, quod in hoc capite urgemus, & supra paucis attigimus. Nam in legibus condendis quoniam Romanorum Imperatorum haud aliae partes erant, quam de rebus negotiisque sanciendis ad Senatum referre, primamque, si eis libitum fuisset, sententiam pronunciare, quae tamen liber ac Senatus consultationi ac deliberationi erat obnoxia; ideo saepe contigit, ut ab Imperatorum sententia Senatorum suffragia discreparent; atque id saepius etiam contigisset, si Patribus integra stetisset libertas, nec eorum constantiam aut metus displicendi, aut nimium placendi studium fregissent. At Romanorum Pontificum dogmaticis epistolis ad generales Synodos destinatis, quibus, juxta Petrum de Marca, vis inerat relationis primaeque sententiae, nulla unquam generalis Synodus refragata est. Quod neque ipsimet Adversarii inficiari audent, sed palam agnoscunt ac profitentur; ut sequens Turnelii locus demonstrat. Postquam enim dixit, quod si forte Pontificiis de fide decretis Ecclesiae consensus non accederet, & reclamarent Episcopi, certum id esset falsae & erroneae definitionis argumentum, cui propterea obsequi ex animo fideles non tenerentur; statim addidit [a]: Sed

(a) Tom. II. de Eccles. Quaest. V. art. III. pag. 278.

„ Sed vanam & inutilem esse hanc „ hypothesim, spem certam face„ re videtur experientia septemde„ cim saeculorum: nusquam enim „ hactenus contigit, ut aliquod Se„ dis Apostolicae de fide ac mori„ bus decretum, ad consultationem „ Episcoporum, & iis conditioni„ bus factum, quas exigit ordo a „ Christo institutus, erroneum fue„ rit, aut ceterarum Ecclesiarum non „ habuerit consensum. Si ergo septemdecim saeculorum experimentum spem certam facit, vanam esse futilemque istiusmodi hypothesim, quod Ecclesia Pontificiis de fide moribusque decretis aliquando reluctatura sit; vana pariter futilisque illa hypothesis erit, qua fingitur, Christum ad instar Romanae Reipublicae vel Imperii Ecclesiae suae regimen instituisse. Si enim ambigua essent, & non potius omnino perspicua, ea Evangelii traditionisque loca, quibus Petrum ejusque successores firma & immota Ecclesiae fideique fundamenta Christus constituit, eisque fidem nunquam defecturam promisit: attamen tot saeculorum experimentum suadere omnino deberet, alio prorsus ordine ex Christi institutione esse in Ecclesia res divinas administrandas, atque olim in Romana Republica vel Imperio. Si enim ad fidei dogmata irretractabiliter definienda ex Christi certa promissione universae Ecclesiae Sanctus Spiritus adest, non autem Sedi Apostolicae, vel Romano Pontifici; ut sese in toto corpore vis & efficacitas Divini Spiritus constanter explicasset; ita se in capite quandoque humani spiritus imbecillitas prodidisset. Verum, ut ostendimus, omnes Oecumenicae Synodi agnoverunt palamque professae sunt, Petrum in Romanis Pontificibus adhuc vivere & judicium exercere, Petrum per eos loqui, & Spiritum Sanctum illis dictare quae ipsae Oecumenicae Synodi tanquam suorum judiciorum regulas formasque sequantur: quas etiam nisi prae oculis constanter habeant, periculum est, ne a veritatis orbita excedant, ut Ariminensi & Ephesinae Pseudo-Synodis reapse contigit, & contigisset etiam Chalcedonensi Concilio in fidei formula construenda, nisi agentibus Legatis omnia demum ad Leonis epistolam revocata & exacta fuissent. Quod argumento est, Spiritus Sancti vim & auctoritatem ab uno, cui tanquam capiti insideat, & a quo velut a fonte manet, in multitudinem derivari: contra atque in Romano Imperio vel Republica obtinuit, ubi auctoritas a multitudine in unum pluribus ornatum muneribus veluti per varios rivulos confluebat.

CAPUT V.

Ex dictis conficitur, Romanos Pontifices in Synodis Oecumenicis Regiam potius, quam Imperatoriam in iis quae ad fidem moresque pertinent, exercuisse auctoritatem. Exponitur illud Lucae 22. Reges gentium dominantur earum.... Vos autem non sic.

QUin haec nostra thesis delicatiores Adversariorum aures graviter offensura sit, minime dubitamus; illosque nobis obstrepentes au-

audire videmur, Christum procul ab Eclcesia sua & ab Apostolis voluisse regium dominatum; ut constat ex illis ejus verbis: *Reges gentium dominantur earum &c. Vos autem non sic*. Observat enim Illustrissimus Petrus de Marca (a): „ quod his verbis de legitima Regum potestate „ Christus agit, non vero de tyrannica, cum de iis Regibus loquatur, qui benefici & εὐεργέται „ a populis dicerentur. Et si quis „ abuti velit voca Graeca Κατακυριεύσειν, quae exstat apud Matthaeum, reponetur illi, Lucam „ simplici verbo Κυριεύειν usum. „ In eo autem discrimen versatur, „ quod Regibus summo imperio multa peragere liberum sit: quam effusam licentiam suis Apostolis Christus adimit: ita ut verus dominatus sit penes Reges, non autem „ penes Sacerdotes; quorum potestas non est despotica, sed temperata, & ad populorum usum accommodata; ita ut Monarchia Ecclesiastica ex Aristocratico regimine sit commixta: contra quam accidit in plerisque Regnis, quae „ jure optimo a Principibus possidentur. Haec laudatus Auctor, quae tamen alio loco accuratius exponit (b). Nempe observat, quod praeter jus privatum, quo privatorum commodis Reges consulunt, legibus populorum tacito suffragio firmatis, controversias ambigui juris temperantes, jus quoque publicum penes Reges est, quod in negotiis publicis versatur, atque ita Regibus commissum est, ut constitutiones & mandata, quae hanc partem imperii attingunt, ab eorum nutu pendeant, nec indigeant ullo Civium consensu. In hac ergo imperii parte verum & merum dominatum ipse constituit: qui, inquit, longe abest ab Ecclesiae auctoritate &c.

Verum ut ut sit de legibus Pontificiis, quae ad meram spectent disciplinam, de quibus in praesentia disputare non vacat; in iis certe, quae ad fidem moresque pertinent, non possumus juxta hactenus disputata, non agnoscere in Romano Pontifice verum & merum dominatum, vel jus publico illi Regum adfine, quod illi ita commissum sit, ut Constitutiones & decreta, quae hanc partem Apostolicae auctoritatis attingunt, ab ejus judicio pendeant, nec absolute indigeant ullo Episcoporum aut Synodorum consensu. Id vero nos haud inanibus conficimus conjecturis, sed consectarium esse judicamus earum propositionum, quas superioribus capitibus stabilivimus, & quarum, ut nobis videtur, explorata veritas est. Hoc enim interest inter regnum & imperium, sive illam regiminis formam, quam olim sub imperii nomine Caesares vel Augusti Romanam Rempublicam administrarunt; quod in Imperio summa & vuluti fons auctoritatis & potestatis penes multitudinem aut Optimates erat, quae per varios Magistratus in unum Principem confluebat: at in Regno summum jus, & summa potestas penes unum est, a quo aliorum non modo divisim ac singulatim, verum etiam simul & collecti-

(a) Lib. II. de Concord. Sac. & Imp. cap. XVI. num. VI.
(b) Praef. sec. in libb. de Conc. num. VI.

lective; hoc est non modo singulorum membrorum, verum & totius corporis, vis & auctoritas pendet. Vidimus autem, & tum in praesenti Dissertatione, tum passim in Opere adversus Illustrissimum Bossuetium, pluribus atque perspicuis sacrarum litterarum, ac veterum Patrum testimoniis demonstravimus, ita Christum suam instituisse Ecclesiam, ut summa regiminis, ac veluti centrum, fundamentum, radix & fons Ecclesiasticae auctoritatis, & potestatis penes unum esset, a quo non modo singulorum Ecclesiae Praesulum, verum & totius Ecclesiae seu corporis Episcopalis potestas auctoritasque penderet.

Ex hoc autem discrimine Imperium inter & Regnum seu Monarchicum Ecclesiae regimen, aliud sive alia prodeunt, quibus similiter Romani Pontificis auctoritas Regiae quam Imperiali auctoritati adfinior est. Leges enim, quae in publicis regni negotiis versantur, ex sola Regis voluntate vim & auctoritatem habent, juxta celebre illud ac notissimum effatum: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem: quum lege regia, quae de imperio Principis lata est populus ei, & in eum omne suum imperium & potestatem conferret*. Itaque ex eo, quod omne jus omnisque potestas Reipublicae in Regiam personam confluit, sequitur, quod ex ejus judicio & voluntate vim obligandi leges trahant; seu, quod legis habeat vigorem, quidquid pro publico bono Principi placuit. Hoc autem & in Christi regno, quod est Ecclesia, jam olim obtinuisse, ex jam dictis compertum est. Ostendimus enim, Romanorum Pontificum epistolas, quibus lex & norma credendi constituta est, ex seipsis legis vigorem habuisse, eisque subscribere Episcopos debuisse, antequam undique in generales Synodos cogerentur. Haec autem potestas ideo Romanis Pontificibus inest, quoniam in eos ex Christi munere & institutione, velut in centrum lineae, omnis Ecclesiae dignitas & auctoritas confluit, vel ab eo ut, a fonte rivuli, derivatur: Vel ipse enim Clariss. de Marca fatetur (a), *eam esse vim Unitatis, quae principium & originem a Sede Petri trahit, ut cum ea sentiendi necessitatem ceteris imponat*.

Hinc porro aliud oritur Regis privilegium, sive aliud ipsius ab Imperatore discrimen: nempe quoniam leges in regno ex sola Regis voluntate vigorem habent, ubi summo imperio Rex agere atque uti velit, non eas tenetur populi vel optimatum consultationi ac deliberationi subjicere; contra atque in Imperio accidebat, in quo Principum placita ad Senatum referebantur ac liberae Patrum disceptationi permittebantur, nec nisi eorum consensione liberisque suffragiis vim legis obtinebant. Itaque Regio potius quam Imperatorio jure usi sunt Caelestinus, Leo Magnus, Agatho, Hadrianus II. aliique Romani Pontifices, quum sua de fide decreta, legesque ad universum Christianae Reipublice statum pertinentes, Conciliorum generalium re-

(a) De Conc. Sac. & Imp. Lib. I. cap. I. num. VI.

retractationi nequaquam subjecta esse voluerunt. Quod certe sibi jure adsumere nequivissent, nisi hac in re eorum potestas a Regia majestate, quam ab Imperatoria propius abesset, & nisi Ecclesiae regimen ad regni magis quam ad Imperii formam accederet. In Imperio enim, semel indicta Synodo, reque controversa ad Patres relata, summum & irretractabile ipsius judicium ad Synodum pertinuisset: adeoque Pontificii juris non fuisset, illius rei retractatione Synodo interdicere.

Quod ad regnum pertinet Regiamque auctoritatem recte Hugoni Grotio animadversum est (a): ,, Multum falli eos, qui existimant, ,, cum Reges acta quaedam sua nolunt rata esse, nisi a Senatu, aut ,, alio coetu aliquo probentur, partitionem fieri potestatis: Nam ,, quae acta eum in modum rescinduntur, intelligi debent rescindi Regis ipsius imperio, qui eo modo sibi ,, cavere voluit, ne quid fallaciter ,, impetratum, pro vera ipsius voluntate haberetur, quale erat Antiochi tertii regis rescriptum ad ,, Magistratus, ne sibi parerent, si ,, quid legibus adversum jussisset. Sed hac cautione in iis, quae ad fidem pertinent, opus non fuit in Christi regno. Quum enim istud sit regnum ipsius veritatis, Petrum ejusque successores quos in hoc regno principes esse voluit, ita veritati Christus adfixit, ut ab ea deficere, & ullis inferorum viribus, ullis erroribus disjungi atque divelli non possent. Quapropter nulla unquam Synodus Oecumenica, profecta ab Apostolica Sede de fidei negotiis decreta, nedum rescindere, imo ne attingere quidem ausa est, eaque alicujus vocis vel detractione minuere, vel adjectione interpolare. Quod quum septemdecim saeculorum experimento compertum exploratumque sit, id argumento est, Christum ita suum instituisse regnum, ut qui in eo primatum teneret, ac veluti regalia jura exerceret, id haberet prae ceteris Regibus eximium, ut sollenne illius de fidei rebus judicium ab ipsius fidei regulis deviare non posset: adeoque omnino vacasset Synodis Oecumenicis ab Adversariis nostris gratis adtributa potestas ad retractanda & reformanda Romanorum Pontificum sollennia de fidei dogmatibus constituta. Nam neque ejusmodi potestatem ulla hactenus Oecumenica Synodus exercuit, nec ulla deinceps, quantum de futuris ex praeteritis experimentis, si alia ad hoc argumenta deessent, conjicere liceret, unquam exercebit.

Hic autem mihi solvenda est superius proposita objectio ex illis Christi verbis conflata: *Reges gentium dominantur earum .... Vos autem non sic*. Quibus Christus a suis regiam dignitatem, seu verum ac merum dominatum removisse videtur: ut ea verba Bernardus [b], & Originens (c) interpretantur: quorum expositioni alia Patrum loca, quae congerit Illustris-

(a) Lib. I. de Jure bel. & pac. cap. III. num. XVIII.
(b) Lib. II. de Consid. cap. VI.
(c) Tract. XII. in Matth.

lustrissimus de Marca, ut Gregorii Nazianzeni (*a*), Hieronymi (*b*), & Johannis Chrysostomi (*c*) apertissime suffragantur.

Huic expediendae difficultati primûm observo, vel ipsum Petrum de Marca, quum illis Christi verbis Patrumque locis fretus Ecclesiae abrogat verum & merum dominatum, suam moderari sententiam, illamque ad eas leges Ecclesiasticas coërcere ,, quae, *inquit* (*d*), de rebus jure ,, naturali vel divino non vetitis, ,, ad συνταξίαν & ordinem Eccle- ,, siae externum tantummodo com- ,, ponendum feruntur. *Et rursum* [*e*]: ,, In legibus Ecclesiasticis, que jus ,, naturale aut divinum non exse- ,, quuntur, summum illud imperium ,, locum non habet. Quo sensu acci- ,, pienda sunt quae adduxi testimonia ,, e Gregorio Nazianzeno, Hierony- ,, mo, Chrysostomo, & Bernardo, ad ,, loci Evangelici explicationem. Itaque non abnuit Illustrissimus Auctor, quin in legibus, quae jus naturale aut divinum exsequuntur, exerceat Ecclesia summum imperium, & verum ac merum dominatum. Quod & nemo Catholicorum unquam in controversiam adducet, sed ii tantum inficiabuntur, qui cum Richerio, Quesnelio, eorumque Symmystis, claves regni caelorum primo & immediate universae Ecclesiae traditas fuisse contendunt: Ecclesiae autem nomine omnium Christianorum coetum intelligunt, qui unius fidei & communionis vinculo colligentur: quo pacto Ecclesiae vox ipsos quoque Laicos & foeminas comprehendit; quorum adeo consensus, ex horumce Pseudo-Theologorum sententia necessarius est, ut quidquam inter fidei dogmata recipiatur: quo certe verus dominatus, & summum imperium, etiam in iis legibus sanciendis, quae divinum jus exsequuntur, cujusmodi imprimis sunt eae, quae ad fidem pertinent, ipsis quoque summis Sacerdotibus penitus abrogatur.

Nobis ergo, quibus omnis in praesentia cum solo Petro de Marca disputatio est, & qui disputationem nostram ad eas leges coërcemus, quae in divini juris, ubi dubium aut controversum fuerit, interpretatione & exsecutione versantur; id tantum inquirendum superest, an cum illis Christi verbis conciliari possit nostra doctrina, quae hoc summum imperium, ab aliorum auctoritate minime pendens, penes Romanum Pontificem esse decernit: An vero in solo generali Concilio, vel in omnium, aut majoris partis Episcoporum, Capiti suo adhaerentium, consensione, summa illa auctoritas ob ea Christi verba constituenda sit.

Nobis omnino videtur, quod si locus ille sedulo consideretur, sententiae nostrae nihil obest, verum & plurimum prodest. Protulit enim ea verba Christus, quum Apostoli prava inter se de principatu aemulatione contendebant, nec alium principatum cogitabant, quam humana gloria & splendore fulgentem, quo, qui cete-

(*a*) In Apolog.
(*b*) In Epitaph. Nepot.
(*c*) Hom. III. in Acta Apost.

(*d*) Lib. II. de Concordia capite XVI. num. VI.
(*e*) Ibid. num. VII.

ris imperant, honori & admirationi sunt, ac veluti terrena numina habentur, ut ipsi vicissim subjectos sibi populos dominatione premunt, neque eo se efferunt ac felices existimant, quod pluribus provident ac prodesse possunt, sed quod pluribus dominantur. Ab hujus itaque principatus cogitatione & spe ut suorum Apostolorum mentes Christus revocaret, alîus principatus ideam eorum animis informavit; quo nimirum, ut ait S. Augustinus [a] *qui imperant, serviunt eis, quibus videntur imperare: nec enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbia, sed providendi misericordia*. Non ergo hinc confici potest, quod imperandi auctoritatem suis Apostolis Christus ademerit; quemadmodum nec ab eis docendi auctoritatem abstulit iis verbis (b): *Vos autem nolite vocari Rabbi.... nec vocemini magistri*. His, inquam, verbis ab eis docendi & judicandi auctoritatem non abstulit, quos mundi Judices atque Doctores instituit: sed fastum atque jactantiam ubique damnat, quae vitia docendi atque regendi alios potestati & auctoritati facile inhaerent.

Ceterum in eo quem versamus loco, neque negat Christus, esse aliquem inter Apostolos ceteris praelatum, aut praeferendum, & hunc esse Petrum, palam diserteque significat. Quum enim Discipuli ambitiosius de principatu contenderent; non ait Christus, nullum eorum in regno suo principem fore, sed futuros omnes aequali praeditos potestate & auctoritate. Verum qua potissimum virtute excellere deberet, qui major inter illos futurus erat, exemplo suo demonstrat: *Qui major est in vobis, fiat sicut minor: & qui praecessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat*. Quibus verbis, aliquem inter suos majorem ac principem fore, non modo non inficiatur, verum & aperte indicat, & sacri Principatus ideam exemplo suo informat. Hanc autem Petro dignitatem esse repositam, statim ostendit, quum repente ad eum sermone converso, his eum verbis adloquutus est: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficeret fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Ad quae Christi verba, haec Leo Magnus observat (c): *Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & divinae protectionis auxilio pariter indigebant: quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere; & tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, SI MENS PRINCIPIS victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas,* quae

(a) Lib. XIX. de Civit. Dei cap. XIV.

(b) Matth. XXIII. ℣. 8. & 10.

(c) Serm. III. de Anniv. die Adsumt. suae ad Pontif. & Serm. II. de Nat. App. Pet. & Paul.

quae per Christum Petro tribuitur per Petrum Apostolis conferatur. Concinit Sancto Leoni vetus Auctor Quaestionum veteris & novi Testamenti, qui sub Sancti Augustini nomine delitescit: *Pro Petro*, inquit, *rogabat, & pro Jacobo & Johanne non rogabat, ut ceteros taceam? Manifestum est in Petro omnes contineri .... semper enim* IN PRAEPOSITO *populus aut corripitur, aut laudatur*. Concinit & Theophylactus ad Caput XXII. Lucae: *Manifestus verborum sensus est: quod quum* TE DISCIPULORUM PRINCIPEM FECERIM, *tu quum post negationem fleveris, & resipueris, confirma reliquos. Hoc enim te decet, qui post me* ECCLESIAE PETRA ET FUNDAMENTUM ES. Concinunt denique ii omnes Patres Romanique Pontifices, qui ex his Christi verbis, non modo ipsius Petri, verum & Successorum ejus Sedisque Apostolicae in universam Ecclesiam principatum demonstrant: quorum plurima testimonia in Opera adversum Meldensem Episcopum a nobis congesta sunt. Quibus si adjicias; quod in illo pariter Opere ex iisdem Patribus, prolatis eorum verbis ostendimus; nempe ob hunc ipsum Christi locum persuasum illis fuisse, quod in Petro & Successoribus ejus, quum ex Petri Cathedra oracula fundunt, nullum possit fides sentire defectum; plane ex hoc ipso Christi loco juxta veterum Patrum expositionem habebis, Christum absolutum, & verum ac merum principatum & imperium Petro ejusque Successoribus Romanis Pontificibus, in iis quae ad fidem pertinent, contulisse. Nam auctoritas, quae ex Christi promissione deficere non potest, ullius retractationi obnoxia non est, nec ab aliorum consensione & auctoritate pendet: adeoque in Regno veritatis summum, & verum merumque obtinent principatum.

CAPUT VI.

De Episcoporum libertate in Synodis Oecumenicis. Ad retractandas veluti dubias & incertas Sedis Apostolicae definitiones non fuit unquam libertas Episcopis jure debita; sed id aliquando infirmis aut refractariis ex indulgentia permissum est.

QUamquam ex dictis satis aperte constare arbitror, non hanc fuisse penes Episcopos in Synodis Oecumenicis libertatem, ut Sedis Apostolicae dogmaticas Constitutiones retractarent, aut in eas inquirerent, aut de illis vel etiam contra illas libere disputarent: attamen ut de hac re, quae sanae ad praesentem controversiam illustrandam maximi momenti est, nulla omnino dubitandi ratio supersit, libet adhuc aliquantulum in eodem argumento versari. Id prorsus exigit susceptae a nobis disputationis ratio, qua de conciliandi invicem Romani Pontificis auctoritate & Episcoporum in Synodis generalibus libertate disserimus. Postquam enim ostendimus, quam sibi in Synodos Oecumenicas auctoritatem Romani Pontifices adseruerunt: quam in eisdem Synodis libertatem Episcopi exercuerint, demonstrandum est. De iis autem Synodis loquimur, quibus eorumdem Romanorum Pontificum certa definitio praeluxit, qua & Catholica doctrina sanciebatur, & hae-

& haeretica impietas proscribebatur. Id ergo imprimis generatim statuimus, non eam sibi libertatem Episcopos tanquam jure sibi debitam adseruisse, ut Romanorum Pontificum sollennes Constitutiones, vel ad fidem, vel ad communem Ecclesiae disciplinam pertinentes, veluti dubias & incertas examini subjicerent, & in controversiam vocarent; sed solis haereticis & refractariis ex indulgentia datum atque permissum, ut suas in medium difficultates adferrent, quo earum solutione ipsorum pervicacia expugnaretur.

Id primum luculentissime demonstratur ex iis quae Chalcedone circa epistolam S. Leonis in variis Actionibus gesta sunt. Actione II. petentibus Judicibus, ut fides ab Episcopis exponeretur; *Reverendissimi Episcopi clamaverunt*: non esse opus altera Expositione, hoc est formula fidei, quum Leo fidem adversus Eutychem exposuisset; ipsi vero omnes ejus Epistolae tanquam fidei formulae subscripsissent: *Ista omnes dicimus: sufficiant quae exposita sunt: alteram expositionem non licet fieri*. Quum iis vero Judices minime adquiescerent: Florentius Episcopus Sardium inducias petiit; Cecropius autem Episcopus Sebastopolitanus, ut Nicaenum Symbolum, & S. Leonis epistola recitarentur, ab iisdem Judicibus postulavit. Uterque tamen una cum sibi adhaerentibus Episcopis, qui se *omnes* esse clamabant; ac proinde paucos adhuc dubitantes nullo loco & numero habebant; uterque, inquam, rursum aperta voce professus est, fidem a S. Leone, perinde atque a praecedentibus Synodis, recte fuisse expositam, nec esse in ea quod correctione indigeret. Statimque lecto Nicaeno Symbolo, antequam Leonis epistola legeretur iidem Episcopi clamaverunt: *Papa Leo sic credit .... Papa Leo ita interpretatus est*. Et rursum, lectis Cyrilli epistolis, in has voces Episcopi eruperunt: *Papa Leo sic credit ... Haec fides Leonis ... Leo Archiepiscopus sic sapit ita credit, ita scripsit*. Quibus vocibus, quae similiter lectionem Leonis epistolae praecesserunt, apertissime Patres testati sunt se se firmiter credere, quod Leonis epistola praecedentium Synodorum Symbolis ac fidei regulis omnino consona esset; adeoque non ex eorum dubitatione procedere, quod collatio epistolae cum aliis fidei formulis in Synodo instituebatur. Post Epistolae lectionem iterum ab iisdem Patribus acclamatum est *Haec Patrum fides: haec Apostolorum fides. Omnes ita credimus: Orthodoxi ita credunt. Anathema ei, qui ita non credit. Petrus per Leonem ita loquutus est &c.* Ex quibus omnibus compertum & exploratum habemus, Catholicos Episcopos, quorum consensio Synodum absolute constituebat, non hanc sibi libertatem vindicasse, ut de Leonis epistola disceptarent, vel eam in controversiam adducerent.

Datum id est & ex indulgentia Synodi permissum (petentibus Judicibus & Senatu) Illyricianis & Palaestinis Episcopis, quorum adhuc animi in Dioscorum & Juvenalem, aliaque Latrocinalis Synodi Capita

pro-

propendebant *, quo ipsis omnes penitus scrupuli evellerentur. Quod praeter jam dicta, adhuc sequentia magis confirmant. Quamquam ad tria Leonis Epistolae loca, quum legeretur haerentibus praedictis Illyricianis & Palaestinis Episcopis, consona his locis S. Cyrilli testimonia ab Aëtio Archidiacono & Theodoreto prolata fuissent: attamen lectione completa, auditisque Patrum acclamationibus, quum Judices Episcopos interrogassent: *Post haec omnia adhuc quis dubitat?* Ceterisque respondentibus: *Nemo dubitat*; Atticus Nicopolitanus cum aliis antea memoratis Illyricianis & Palaestinis Episcopis, rursus aliquot dierum inducias petierunt, ut rem accuratius examinarent. Quas cum illis Judices indulsissent, *ut qui dubitant*, inquiebant, *doceantur*; quam id aegre tulerint Patres, statim exorti clamores demonstrarunt: *Omnes* enim *Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Nos ita credimus: Omnes ita credimus: Sicut Leo ita credimus: Nostrum nullus dubitat: Nos jam subscripsimus*. Aegre itaque ferebant, quod quum jam fere omnes Epistolae subscripsissent: quum tota fere Synodus declarasset, eam esse Apostolorum fidem, & Petrum per Leonem esse loquutum: quum jam fere ab omnibus in eos, qui secus crederent, anathema intorqueretur; aegre, inquam, ferebant, adhuc aliquos dubitare, & inducias petere, eisque concedi ad consulendum atque deliberandum, num S. Leonis epistolae cum reliquis fere totius orbis Episcopis consentirent. At Judicibus in proposito permanentibus; ut nimirum *interlocutio quae praecesserat*, qua quinque dierum induciae permittebantur, *traderetur effectui*; his tandem & Episcopi adquieverunt. In qua rerum gestarum serie & accurata narratione nemo non videt, ex mera Synodi indulgentia, petentibus Judicibus & Senatu permissum fuisse Illyricianis & Palaestinis Episcopis, ut sua adversus Leonis epistolam dubia depromerent, ac de illa aliquamdiu deliberarent.

Eadem indulgentia jurisque relaxatione usa Synodus est Actione quarta erga Episcopos Aegyptios, qui subscribere S. Leonis epistolae abnuebant, donec Alexandrinus Episcopus in locum Dioscori renuntiaretur. Hos scilicet primum universa Synodus jure agens velut haereticos insectabatur, certaeque damnationi subjiciendos esse judicabat, nisi S. Leonis epistolae incunctanter subscriberent, & anathema in Dioscorum intorquerent: *Petimus, ut non eis* (quod volunt) *concedatur: Sed aut consentiant Epistolae, aut regularem damnationem suscipiant, & cognoscant, quia excommunicati sunt.* Et rursum: *Suscipiant epistolam Sanctissimi Archiepiscopi Leonis; si autem nolunt, excommunicati sunt*. Quae per Acacium Ariarathiae, & Photium Tyri Episcopos pronuntiata, statim ceteri omnes Episcopi confirmabant: *Omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Haec omnes dicimus*,

* Hi sunt enim, qui paullo post clamaverunt: *Pro Patribus petimus: Patres Synodo reddite .... Dioscorum Synodo, Dioscorum Ecclesiis*.

cimus, *omnes sic sapimus*. Et rursum infra: *Omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Isti haeretici sunt .... subscribant damnationi Dioscori*. Aegre namque ferebant Patres, quod decem Aegyptii ab unius hominis in Alexandrinum Episcopum eligendi judicio penderent, ipsumque praestolarentur, atque interim tantae Synodi judicio sese subjicere recusarent. Verum & his, Judicibus & Senatu sequestribus, Paschasinus Sedis Apostolicae Legatus consensit, ut quas petebant induciae concederentur. Quod ex mera indulgentia factum esse, haec Legati ad ipsos Judices verba demonstrant: *Si praeceperit gloria vestra, & jubetis, illis praestari aliquid humanitatis, fidejussoribus datis, non exeant de ista Civitate, quamdiu Alexandria Episcopum accipiat*. Quo exemplo patet, non omnia, quae in Synodis Oecumenicis acta sunt, ad juris apices exacta fuisse, nec ex eo quod aliquid permissum est fieri, consequens esse, id jure fieri debuisse, aut non aliter, servato juris ordine, fieri potuisse.

Idem dicimus, & omnino dicendum esse judicamus de examine, quod in sexta Synodo de Agathonis & Synodi Occidentalis epistolis institutum est. Quid enim jure ab Orientalibus Agatho exigere potuisset; tum exemplo suo demonstraverat Leo; tum in suis litteris ipse Agatho minime dissimulaverat, quibus & fidem Apostolicae Sedis auctoritate sancitam retractari vetuerat, & aperte denuntiarat, non aliter iniri posse concordiam, quam si in eam fidem Orientales Episcopi consentirent. Haec quidem juris erant. Verum quum ab annis ferme quinquaginta ab Apostolica Sede & Occidentis Ecclesiis ob Monotheliticam haeresim omnes fere Orientis Ecclesiae disjunctae essent: quumque Georgius Constanstinopolitanus & Macarius Antiochenus Patriarchae ipsi quoque Imperatori fere persuasissent, eam controversiam, quae utriusque tractus Ecclesias invicem disjungebat, in vocibus verbisque positam esse; ut ex ejus divali ad Donum Pontificem compertum est: quum denique idem ipse Imperator Synodo praesens ordini judiciorum suis interlocutionibus immineret; omnino prudentiae fuit ex juris rigore aliquid relaxare. Quum ergo Actione IV. lectae fuissent Agathonis & Synodi Occidentalis epistolae, quae totius Ecclesiae Catholicae certam, & indubiam & immutabilem fidem perspicue repraesentabant; Sedis Apostolicae Legati jure exigere potuissent, ut eae citra examen ab Orientalibus Episcopis reciperentur. At quum Actione VII. petentibus ab Imperatore iisdem Legatis, ut a Georgio Constantinopolitano & Macario Antiocheno, eisque subjectis Episcopis quaereretur, num Agathonis & Occidentalium epistolis consentirent: iisque aliquot dierum inducias petentibus; ad conferenda Patrum testimonia de duabus in Christo voluntatibus, quae Legati protulerant, cum Codicibus, qui in Patriarchio servabantur; Imperator his verbis annuisset: *Citra dilationem quod postulatum est, fiat*: an Imperatoris voluntati, qui restituendae pacis ardore flagrabat, prudenter Legati refra-

fragati fuissent, contendissentque, pervicacium hominum & rebellium contumaciam unius Sedis Apostolicae, Romanorumque Pontificum, quorum ex suis diptychis nomina expunxerant, auctoritate frangere? Itaque qua indulgentia usi sunt Patres in Synodo Chalcedonensi cum Illyricianis & Palaestinis & Aegyptiis Episcopis, eamdem & Sedis Apostolicae Legati erga Orientales Episcopos in sexta Synodo adhibuerunt. Cujus rei illud quoque argumento est, quod etiam postquam Agathonis litteras tanquam per Spiritum Sanctum dictatas omnes jam Patres susceperant, solusque Macarius ejusque discipulus Stephanus Monachus reluctarentur; adhuc tamen examen & collectio processit testimoniorum, quae utrinque pro una vel duabus in Christo voluntatibus prolata fuerant; ut nimirum haeretici homines, qui veteres Patres Synodosque jactabant, eorum saltem expugnarentur auctoritate, & ad sanam mentem revocarentur.

Sed nullibi luculentius apparuit, quid jure Sedis Apostolicae majestati & auctoritati debeatur, quove se aliquando ejus erga errantes indulgentia inclinaverit, nullibi id, inquam, luculentius apparuit, quam in octava Synodo. Quod enim primum, & absque ullo praevio retractatu Metropolitani & Episcopi aliique Clerici, Urbis regiae throno seu Patriarchatui subjecti, Libello ab Hadriano II. per Legatos in Orientem transmisso subscribere coacti sunt: & quod Episcopi quidam ex parte Photii nonnisi poenitentes, & Libelli subscriptione satisfacientes Actione secunda admissi sunt; haec Sedis Apostolicae jus auctoritatemque demonstrant. Quod autem post sollenniter adprobatam Actione tertia totiusque Synodi consensione susceptam Hadriani ad Ignatium epistolam, qua tota illa inter ipsum & Photium caussa auctoritate Apostolica sanciebatur; Actione quarta & sequentibus Photius ipse ejusque Symmystae velut ad disceptandam suam caussam admissi sunt; id agentibus quidem Judicibus, at repugnantibus Legatis, atque identidem monentibus retractanda non esse Romanorum Pontificum de Photio & Photianis judicia. Ita enim Actione quarta quum Judices instarent, ut Photiani, in Synodum ingredi permitteretur: *Ingrediantur*, responsum est a Legatis, *sed nos non propter contentionem advocamus eos: sed ut tantum beatissimi Papae Nicolai epistolam audiant*. Et Actione quinta: *Non nos convocamus eum* (Photium) *ut discamus aliquid ab eo; sed ut laborem, quem habuit Sancta Romana Ecclesia, simul & Orientales Ecclesiae propter eum, nunc terminemus eodem ipso praesente*. Et rursus in eadem Actione: *Nos nihil aliud facimus: neque subvertimus, neque rejudicamus judicium Sanctae Romanae Ecclesiae.... Si voluerint audire nos.... per libelli satisfactionem recipimus eos.... Si vero noluerint, anathematizamus, & maledicimus eis &c.* Et Actione sexta, sese Constantinopolim directos fuisse docent ob promulgandum judicium Romae in Photianos latum: *ita ut*, inquiunt, *non habeant* (Schismatici) *vocem repedationis vel appellationis; sed quemadmodum jam*

judicati sunt & dejecti, in saeculum maneant. Et Actione septima: *Nos nihil aliud interrogamus eos, nisi si voluerint facere libelli satisfactionem: propter hoc enim interrogavimus eos: Nihil aliud petimus nos ex illis*. Interim tamen, Judicibus annuentibus, sinebantur homines temerarii dicere quidquid eis libitum erat; non eo profecto, quod de Romani judicii rectitudine Judices dubitarent; sed ut eorum, qui dubitabant, animorum aegritudines sanarentur, eadem illis revocandis adhibita tolerantia, qua olim Christus Thomae infidelitatem curaverat: His enim verbis Actione quarta Judices Legatos adloquebantur: *Nos enim, & antequam veniret Sanctitas vestra .... eamdem opinionem habuimus, tam de judicio beatissimi Papae Nicolai &c. Rogamus ergo, ut hi qui languent, sanentur, & corrigamus qui non habent certitudinem veritatis, & erigamus qui deorsum jacent. Nisi enim ita haec omnia discutiantur, conscientiae hominum non curabuntur*. Et rursus infra in eadem Actione: *Non est malum litigare verbis utiliter. Duodecim Discipulos habuit Dominus noster Jesus Christus: Thomas vero, qui dubitavit, & incredulus, & infidelis, damnatur? Non. Ad multorum enim certitudinem facta est incredulitas ejus: Veniant & isti, si forte magis per infidelitatem impiorum, & verborum impugnationem, lucrum multum per duos multis efficiatur*. Quod ergo in Synodis Oecumenicis permissum haereticis est & Refractariis adversus Sedis Apostolicae Romanorumque Pontificum sollennes Constitutiones, sancitaque ipsorum auctoritate dogmata disputare, juris relaxatio fuit: adeoque inde nequaquam efficitur, eamdem jure sibi adserere posse Catholicos Episcopos libertatem.

CAPUT VII.

In quo sita fuerit Episcoporum & Episcopalium suffragiorum libertas in Synodis Oecumenicis: quam, ut ait Petrus de Marca, Caelestinus & Leo tantopere commendarunt.

Quaenam adferri producique possint ex S. Caelestino loca, in quibus Episcopalium suffragiorum libertas magnopere commendetur, prorsus ignoramus. Nec enim unquam haec Caelestino mens fuit, habitum a se jampridem de Nestorio judicium, latamque in impium sententiam, velut adhuc nutantia nec satis firma Synodi examini ac retractationi subjicere; perinde atque in Patrum potestate futurum esset, Nestorium nisi poenitentem in Episcopatu & Ecclesiae Catholice communione firmare. Hanc nunquam fuisse Caelestini mentem, non meris conjecturis, sed certissimis argumentis disertissimisque ipsius Sancti Pontificis testimoniis ostendimus. Id enim ejus ad S. Cyrillum, ad Nestorium, ad Clerum & populum Constantinopolitanum, & ad Johannem Antiochenum epistolae (*a*); id ab eo traditum Legatis ad Synodum proficiscentibus Commoni-

(a) I. Par. Concil. Ephes. cap. XV. & XVIII. & seqq.

monitorium (*a*); id denique datae ad Concilium Ephesinum, & rursus ad Cyrillum, & ad Theodosium Imperatorem litterae (*b*), aperte luculenterque testantur: Quibus nimirum Nestorium, nisi intra decem dies haereticam doctrinam revocet, ab Ecclesiae Catholicae communione repellit; quibus gravissime vetat, ne se Apostolicae Sedis Legati turbulentorum hominum disputationibus immisceant; eosque una cum Cyrillo & Synodo sententiae in Nestorium latae non judices, sed exsecutores esse definit: Quibus eumdem Nestorium nisi poenitentem recipi sinit; atque Imperatorem *sub divini* obsecrat *obtestatione judicii*, *ne quid turbidae novitati* (in ipsa Synodo) *licere permittat*, *neve facultas aliqua his*, *qui divinae majestatis potentiam in humanae disputationis rationem arctare contendunt*, *quo perturbetur pax Ecclesiastica*, *tribuatur*. Monetque Patres, quod excitatis per Nestorianam impietatem disputationibus *vocatur in judicium*, *qui judicaturus est mundum*; *discutitur*, *qui discussurus est omnes*; *& calumniam patitur*, *qui redemit*. An S. Caelestinus liberas esse vellet insanas hujusmodi & impias disputationes?

Hanc ergo de rebus a se jampridem definitis differendi licentiam Caelestinus minime commendavit, neque in hoc positam esse voluit Episcoporum in Ephesina Synodo libertatem. In quo ergo, inquies, illam Sanctus Pontifex reponebat? Non in eo profecto, ut sibi praedicanti veritatem obluctarentur, sed ut sibi cohaerentes & indivulse conjuncti, in ea vindicanda & adserenda, nullis terroribus cederent, ac de erroribus & saeculi potestatibus triumpharent. Haec ex ejus ad Patres Ephesinos epistola aperte liquent: in qua eos quidem admonet muneris & potestatis, quam in Apostolis a Christo per Spiritum Sanctum acceperant ad docendam & tuendam semel traditam fidem, non autem eos liberos praedicat ad eam futilibus disputationibus exagitandam: hortaturque illos ad eamdem cum Sede Apostolica fidem libere praedicandam & propugnandam, non autem vexandam & retractandam: *Agendum igitur est labore communi*, *ut credita*, *& per Apostolicam Successionem hucusque detenta servemus* ..... *non enim nunc species*, *sed fides nostra vocatur ad caussam*. *Spiritalia arma sumenda sunt*, *quia bella sunt mentium*, *& tella verborum*... *Ne quis aliter sentiat*, *& quaestiones praestantibus maxime fabulis ne quis intedat*. Et rursum infra: *Annuncientur vobis quae ab Apostolis intemerata regnarunt*: *quia nunquam contra Regem regum verba tyrannicae dominationis admissa sunt*, *nec opprimi per falsitatem potuit negotium veritatis*. Adlatoque Apostolorum exemplo, qui in Actis enixe Dominum deprecabantur, ut cum fiducia verbum Dei loquerentur, eaque agerent, quorum a Christo acceperant potestatem; statim adjicit: *Et vestro nunc sancto conventui quid est aliud postulandum*,

Gg 2 *quam*

(*a*) Post Syn. Rom. ann. 431. Tom. III. Concilior.
(*b*) Actione II. Conc. Ephes.

quam ut cum fiducia loquamini verbum Domini &c. En in quo ille reponit Episcoporum in Synodis libertatem! Non ad disputandum contra Romanum Pontificem, & retractandum velut incerta, quae ab Apostolica Sede sancita sunt; sed ad ea cum fiducia & libere praedicanda, & ad resistendum illis, qui tyrannica dominatione volunt opprimere veritatem. Haec nimirum libertas Episcopos decet, quum a Romano Pontifice ad tuendam veritatem armantur & excitantur: quo videlicet capiti membra concordent, ejusque alacriter sequantur motum & impressionem. Recte id quidem, ais; sed postquam libro examine & inquisitione perspexerint, ea quae Romanus Pontifex praedicanda & propugnanda proponit, Evangelicae veritati consona esse & avitae Patrum traditioni. At tu id dicis, Non Caelestinus. Nos autem hic quaerimus quam Caelestinus Episcoporum in Synodis Oecumenicis libertatem commendet. Nec aliam in ejus litteris invenimus praeter eam, qua praediti esse debent Episcopi ad vindicandam, una cum Romano Pontifice, adversus quamcumque tyrannicam dominationem Catholicam veritatem, & constanti excelsoque animo ea, quae per Romanum Pontificem decreta sunt, exsequendum.

Quae quum certa sint & extra omnem posita controversiam, inde profecto consequens est, haud aliam, ex Caelestini mente post Romanae Sedis sollenne judicium vindicari posse Episcopis in Synodis Oecumenicis libertatem, quam quae Senatoribus adscriberetur, si Rex sua Regnique jura adversus perduellem, & Patriae hostem & proditorem, jam Regia auctoritate legeque vindicata, Senatus quoque decreto firmari vellet. Ut enim hinc aliqua esset hujusce decreti vis & auctoritas, hinc autem Regiae Majestatis summa in legibus ferendis potestas in tuto esset; permitti quidem Patribus deberet ut perspectam prius haberent & exploratam conditae lataeque a Principe legis aequitatem, & rationes ac momenta librarent quibus ea niteretur; alioquin revocandis ad Regis obsequium perduellibus nulla esset in decreto Senatus vis & auctoritas; attamen Regia majestas & summa potestas violarentur, si libertatem Senatus usurparet, aut sibi inesse putaret ad legem Principis infringendam, aut sui decreti auctoritate opus esse contenderet, ut ea toto regno valeret, & ad sui observationem subjectos populos obligaret. Ut ergo Regiae majestatis jura in tuto sint, necesse est ut lex, quae ex Regiis adytis prodiit, nullius auctoritate possit infringi. Ut autem dignitatis Senatus aliqua ratio habeatur, necesse est ut non more servorum ac pecudum ad obsequium adigatur, sed ut perspecta & explorata veritate Regiarum legum exsecutionem urgeat: quae una, in his maxime casibus, libertas est, quae cum summo Regum jure & Monarchico imperio conjungi possit. Porro si quis ea, quae ad Cyrillum, ad Teodosium, & ad Ephesinam Synodum Caelestinus scripsit, attente ac sedulo, solutoque praejudiciis animo scrutatus fuerit, profecto consentiet, haud alia in re positam fuisse, aut reponi de-

bere

bere libertatem, quae in exsequendis adversus Nestorium Apostolicae Sedis decretis Ephesinis Patribus tributa est. Non enim illis, ut saepius diximus, & Baluzius ipse fatetur, fas & potestas fuit ad irritandum Caelestini decreta adversus Nestorii haeresim & personam, vel ad infringendum eorumdem decretorum vim: sed solum ad eorum sub auctoritate Sedis Apostolicae urgendam exsecutionem: quod pro Synodi Oecumenicae dignitate caeco modo fieri non debuit; sed perspectis libratisque rationibus, quibus ejusdem Apostolicae Sedis judicium, & sancita per eam dogmata nitebantur. In hoc enim vere Synodi libertas posita erat, ut non modo summae Sedis auctoritate munita, verum & luminibus illustrata, & zelo incensa, omnia posset adversus impios & perduelles pro religione & veritate; non autem in eo, quod aliquid posset contra veritatem, quae Romanorum Pontificum pro sancienda fidei regula sollennibus decretis indivulse conjuncta est.

Observari tamen velim, quod quamquam Cyrilli & Nestorii epistolae in Synodo lectae sint, & ad Nicaenae fidei regulam & normam exactae, ejusdemque Synodi suffragiis illae quidem tanquam cum ea regula consonae comprobatae, hae vero ut ab illae dissonae reprobatae; non id tamen circa Caelestini epistolam actum est. Nam ea simpliciter lecta, nihil a Synodo de illa pronunciatum est; ut quae Synodi adprobatione non egeret, neque a Synodo auctoritatem mutuaretur; sed potius rebus a Synodo agendis auctoritatem daret, & normam regulamque praescriberet. Hinc Patres in sententia lata adversum Nestorium coactos se dicunt ad eum exauctorandum, & Ecclesiae communione & Episcopatu pellendum, per sacros Canones & epistolam Caelestini: *Coacti*, inquiunt *per sacros Canones, & epistolam sanctissimi Patris nostri & Comministri Caelestini Romanae Ecclesiae Episcopi, lacrymis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus*. Haec Synodi verba ad commendandam Romani Pontificis auctoritatem magni esse momenti, Petrus de Marca fatetur; verum eorum vim sua interpretatione penitus infringit & labefactat: „ Magni, „ *inquit* (a), momenti sunt illa verba, quibus se coactos dicunt, id „ est, ex officio adstrictos, ut Ca„ nonibus, qui contumaciam plecte„ bant, & rebus a Caelestino adver„ sus impietatem decretis, morem „ gererent. Ea est enim auctoritas „ epistolae Pontificis, ut parendi ne„ cessitas incumbat, postquam discus„ sione facta, sacris Scripturis & „ traditioni Majorum congruere in„ venitur. Quo examine defuncta „ erat Synodus Ephesina, antequam „ judicium ferret adversus Nesto„ rium. At falsum omnino est, ut jam diximus, Caelestini epistolam discussam a Synodo fuisse & examinatam, nisi simplex hujus epistolae lectio pro discussione & examine habenda est. Itaque non ad aliam regu-

(a) Lib. V. de Conc. cap. XI. num. II.

regulam exacta est, sed ipsa statim pro regula habita est, ad quam aliae exigerentur. Statim enim post ejus lectionem Petrus Presbyter Alexandrinus & Notariorum Primicerius adjunxit; sese alias prae manibus habere Cyrilli litteras illis Caelestini consonas, quas petiit similiter recitari: *His quae modo recitata sunt, sanctitas quoque piissimi Episcopi nostri Cyrilli consona scripsit, quae & prae manibus habemus, & si pietas vestra jusserit, recitabimus.* Igitur epistola Caelestini lecta non est, ut a Synodo discutaretur; sed ut regula esset & forma, quae aliis probandis vel improbandis adhiberetur, & Synodi ipsius judiciis praeluceret. Quemadmodum Firmus Caesarea in Cappadocia Episcopus Actione secunda post adventum Legatorum diserte his verbis testatus est: *Apostolica & sancta Sedes Caelestini sanctissimi Episcopi per litteras &c. etiam ante de praesenti negotio* SENTENTIAM REGULAMQUE PRAESCRIPSIT: *quam nos quoque sequuti ...* FORMAM ILLAM *executioni mandavimus, canonicum Apostolicumque judicium in illum* (Nestorium) *proferentes.* Non ergo id sibi juris adrogarunt Ephesini Patres, neque sibi liberum esse duxerunt, ut de Caelestini litteris discussis, & examinatis judicium ferrent, sed ut juxta illas Nestorii caussam judicarent, seu potius prolatum in illum ab Apostolica Sede judicium exsecutioni mandarent. Quemadmodum ait de legibus temporalibus Sanctus Augustinus (*a*), quod *quamquam de his homines judicent quum eas instituunt, tamen quum fuerint institutae atque firmatae, non licebit Judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas.*

Eodem obsequii genere, quo Sancti Caelestini epistolam Ephesinae Synodi Patres prosequuti sunt, mens fuerat etiam Patribus Chalcedonensibus S. Leonis epistolam ad Flavianum excipere; ut nimirum, quemadmodum superius ostendimus, citra ullum examen ab omnibus tanquam certissima fidei Catholicae regula subscriberetur. Verum ut Laicis Judicibus morem gererent, seque quorumdam infirmitatibus inclinarent, atque Illyricianis & Palaestinis Episcopis scrupuli, quibus ab ea suscipienda remorabantur evellerentur permissum ab eis est, ut ad vetustiores fidei regulas exigeretur. Haec porro est illa libertas, quam S. Leo scribens Theodorito Episcopo Cyrensi commendat his verbis [*b*]: *Nam ne aliarum Sedium ad eam, quam ceteris omnium Dominus statuit praesidere, consensus assentatio videretur, aut alia quaelibet subrepere posset adversa suspicio, inventi sunt qui de judiciis nostris ambigerent. Et dum nonnulli dissensionum incitati auctore, ad contradictionis bella prosiliunt, ad majus bonum, malum ejus, auctore totius bonitatis dispensante, perventum est.* Quod ergo aliqui de Sancti Leonis epistola dubitabant, quod eam discuti & examinari volebant, quod circa illam vitilitigabant, quod ad aliqua ipsius loca haerebant; ipso Leone judice,

(*a*) Lib. de vera Relig. cap. XXXI.
(*b*) Epist. LXIII. Tom. IV. Conciliorum.

dice, malum erat, & ad excitandas ejusmodi quaestiones atque disputationes ab ipso talium auctore dissensionum incitabantur. Si autem id malum erat & perperam exigebatur; non ergo juris erat, aut jure competens Synodis Oecumenicis libertas, quod Leonis epistola, quibusdam petentibus, retractabatur; sed id potius ex indulgentia, & quadam juris relaxatione permittebatur. Ex hoc tamen malo plura bona totius bonitatis auctor elicuit, quae disertissimus Pontifex sequentibus verbis prosequitur, & enarrare pergit: *Dulcius siquidem munera divinae gratiae proveniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur: & minus bonum videri solet pax continuata per otium, quam reddita post laborem. Ipsa quoque veritas & clarius renitescit, & fortius retinetur, dum quae fides prius docuerat, haec postea examinatio confirmaret. Multum denique Sacerdotalis officii meritum splendescit, ubi sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad majorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc se accipit exerendi fiducia, ut vincatur adversitas: ne quod per se probatur reprobum, silentii praejudicio videatur oppressum.* En, quo Synodicum examen, juxta Sanctum Pontificem, referendum est; non ut veritas velut adhuc latens & in incerto posita detegatur, sed ut clarius renitescat & fortius retineatur: neque ut quod humana auctoritas errori obnoxia, sed quod fides, adeoque divina & ineluctabilis auctoritas ante docuerat, confirmetur: nec tandem ut adversa doctrina post discussionem reproba evadat, aut talis esse incipiat quae ab omnibus improbetur, sed ne quae jam per se se reproba erat, oppressa silentio videatur. In hoc ergo examine, quod non ad eruendam, sed ad illustrandam veritatem; non ad vexandam, sed ad confirmandam fidem; non ad inquirendam, sed ad demonstrandam & profligandam haeretici dogmatis improbitatem instituatur, libertas illa versatur, quam in Synodis Oecumenicis post Caelestinum Leo in hoc loco commendat, & quae sola cum summa Sedis Apostolicae auctoritate conciliari potest.

CAPUT VIII.

Quotiescumque Patres in Synodis Oecumenicis in unam mentem atque sententiam conspirarunt, (quod praesentiae Spiritus Sancti certissimum indicium est) Dei ipsius inspirationem & auctoritatem in Romano Pontifice venerati sunt. Quare perinde est, Synodos Oecumenicas quidquam, Romano Pontifice, atque Spiritu Sancto, auctore, decernere ac definire.

SEd quis tandem exitus hujus examinis quod tantopere Galli Theologi jactant urgenteque adversus summam atque divinam Romani Pontificis auctoritatem? Is nempe ut omnes hoc ipsum agnoscerent ac publice profiterentur, quod Galli Theologi obstinate negant, scilicet divinum esse, & ex Numine proficisci, & Spiritu Sancto auctore proferri Romani Pontificis ex Cathedra definientis judicium. Donec res in quaestione

ne posita esset, & in diversas partes Episcoporum studia scinderentur, id jam omnibus bonis, & modestis, & Catholicis Episcopus persuasum erat; ab iis tantum dissentientibus aut professis haereticis, aut qui adhuc inter Catholicam doctrinam & haereticam fluctuabant, aut qui, si minus haereticis pravisque dogmatibus, saltem personis haeretica labe notatis suffragabantur. Verbo dicam: ii tantum sub initium cujuscunque Synodi Romani Pontificis judicio restiterunt, quos postea sub finem Synodi omnibus patuit, atque omnes professi sunt, Spiritus Sancti judicio restitisse. Sic Caelestini judicio soli Orientales refragati sunt, qui Nestorii, sin minus dogmatibus, saltem personae impensius favebant. Sic de Leonis epistola suscipienda diu deliberarunt Illyriciani, Palaestini, & Aegyptii, qui Dioscorum & Juvenalem gravius a Leone notatos, impensius coluisse videntur. Sic ad lata ab Agathone pro duabus in Christo voluntatibus Patrum testimonia ad Graecos Codices exigi voluerunt Georgius Constantinopolitanus, & Macarius Antiochenus, quorum alter pene Imperatori persuaserat ob meram λογομαχίαν seu de vocibus conflictationem Ecclesias fuisse disjunctas, alter vero in haeresi tuenda pertinacissime stetit. Sic in octava Synodo soli Photiani, seu qui Photii partes pertinaciter tuebantur, de Nicolai Primi & Hadriani Secundi contra Photium judiciis conquesti sunt, ac de illis per plures Actiones differere & altercari permissi sunt. Contra vero Cyrillus Alexandrinus vel ante Synodum Ephesinam palam Orientalibus denunciabat, omnino esse parendum Caelestini de Nestorii haeresi & persona judicio. Et in Synodo Chalcedonensi, vel antequam Leonis epistola legeretur, Patres anathemati subjiciebant eos, qui de Incarnationis mysterio secus ac Leo ipse sentirent. Et in litteris ad Constantinum Pogonatum Imperatorem, antequam sexta Synodus haberetur, Occidentales aperte significabant, pacem iniri non posse, nisi Orientales in eamdem fidem cum Sede Apostolica conspirarent. In septima autem Synodo ad Romani Pontificis nutum & voluntatem omnia composita sunt: sub ipsum Synodi initium Iconomachi non nisi tanquam haeretici & poenitentes recepti: suscepta omnium votis Hadriani epistola tanquam regula fidei, antequam Patrum loca de Imaginibus colendis expenderentur, & Haereticorum sophismata confutarentur. Denique in octava Synodo, ipso statim initio, ab omnibus, qui ad unitatem Catholicam adspirabant, subscriptum est Nicolai Primi & Hadriani Secundi decretis & libello seu professioni fidei, qua Sedis Apostolicae doctrinam, ex vi promissorum Christi, quae deficere non possunt, puram & immaculatam, & integram permansisse, sancte ac sollenniter profitebantur. Ex quibus liquido constat, quod si qua in Synodis Oecumenicis de Romanorum Pontificum epistolis quaestio aliquando mota est, ab iis ejusmodi disputationes excitatas fuisse, quos haeretica pestis adflaverat, aut qui nondum satis ad Catholicam sanitatem accesserant.

At rursum quaero: Quis tandem harumce disputationum exitus fuit? Is

Is nempe, ut omnes tandem divinam Romanorum Pontificum in fanciendis fidei dogmatibus auctoritatem agnoscerent. Ita universa Synodus Ephesina his Philippi legati verbis consensit: *Petrus Apostolorum princeps & caput, fideique columna .... semper in suis successoribus vivit, & judicium exercet*. Et post reditum Orientalium ad Catholicam communionem, haec Johanni Antiocheno in eamdem sententiam Xystus III. Romanus Pontifex scripsit (*a*): *Expertus es negotii praesentis eventu, quid sit sentire nobiscum. Beatus Petrus Apostolus in successoribus suis quod accepit hoc tradidit. Quis ab ejus se velit separare doctrina, quem ipse inter Apostolos primum Magister edocuit?* Ita in Synodo Chalcedonensi non modo statim atque Leonis epistola lecta est, communis vox Patrum fuit, Petrum per Leonem esse loquutum; verum & in Relatione ad ipsum Leonem omnes tandem professi sunt, sese ipsum Christum velut eos in Leonis litteris adloquentem prae oculis habuisse (*b*): *Et eramus in communi corona gaudii quasi in imperialibus coenis deliciis spiritualibus epulantes, quas per tuas litteras Christus praeparaverat invitatis, & supercoelestem Sponsum inter nos conversantem nos cernere putabamus.* Ita Actione VIII. sextae Synodi Demetrius Episcopus Prusiados sese suscipere & amplecti Agathonis epistolas professus est, *tanquam a Spiritu Sancto dictatas per os sancti & beatissimi principis Apostolorum Petri, & digito praedicti ter beatissimi Papae Agathonis scriptas*. Quae fuit etiam ceterorum Patrum sententia; ut ex sermone Prosphonetico compertum est, in quo universa Synodus profitetur, quod *confessionem a Deo scriptam illa Romana antiqua Civitas obtulit, & dogmatum diem a vespertinis partibus extulit: Charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur*. Quibus consona sunt quae Imperator ad Leonem II. de iisdem Agathonis litteris ex totius Synodi mente his verbis scripsit: *Ac veluti ipsum principem Apostolici Chori, primaeque Cathedrae Antistitem Petrum contuiti sumus mentium nostrarum oculis, totius dispensationis mysterium divinitus eloquentem, verbaque haec per eas litteras Christo facientem: Tu es Christus Filius Dei vivi. Nam ipsum totum Christum nobis sacrae ejus litterae differendo exprimebant: quas omnes libentibus animis sincereque accepimus, & veluti Petrum ipsum ulnis animi suscepimus*. Ita ex septima Synodo Tarasius ad Hadrianum scribebat, Christum per ejus litteras omnium Patrum coronam veluti spiritualibus quibusdam eduliis recreasse: quas proinde litteras velut a Christo dictatas, & manu Pontificis exaratas, non secus atque illas Agathonis sexta Synodus, venerati essent: *Et quum praelatae primitus sanctitatis vestrae litterae legerentur, praestolabantur omnes, spiritalibus eduliis tanquam in regalibus coenis fruentes, quae Christus per litteras*

(*a*) III. Part. Concil. Ephes. cap. XLII.
(*b*) III. Part. Concil. Chalcedon. cap. II.

teras tuas epulantibus praeparabat. Quae adfinia sunt iis, quae paullo ante ex Chalcedonensi Concilio descripta sunt. Denique octava Synodus Canone secundo, Nicolaum I. & Hadrianum II. in suis adversus Photium pro Sancto Patriarcha Ignatio judiciis velut organa Spiritus Sancti fuisse; adeoque parendum omnino esse illorum decretis veluti a Spiritu Sancto profectis, verbis sequentibus statuit: *Itaque beatissimum Papam Nicolaum tanquam organum Sancti Spiritus habentes, necnon & Sanctissimum Hadrianum Papam successorem ejus, definimus atque sancimus etiam omnia, quae ab eis Synodice per diversa tempora exposita sunt & promulgata .... servari semper & custodiri &c.*

Haec ergo tria, priorum Conciliorum acta haud perfunctorie legentibus, perspecta & explorata sunt. Primo, sique circa recipiendas Summorum Pontificum sollennes Constitutiones subortae in iis Oecumenicis Synodis difficultates sunt, ab iis illas fuisse excitatas, aut quorum non erat integra & incorrupta fides, aut qui vel ipsius, Ecclesiae Catholicae Synodique universalis judicio refragari minime vererentur. Secundo, Catholicos, pios & modestos Episcopos citra ullum Synodi examen; vel, antequam ad Synodicum examen revocarentur, Romanorum Pontificum decreta in Ephesina, Chalcedonensi, Septima & octava Synodis recepisse, & nonnisi invitos, & ex quadam erga Refractarios indulgentia jurisque relaxatione, & ad ampliorem jam notae & creditae veritatis elucidationem, ea retractari in eisdem Synodis permisisse. Tertio, sublatis & compositis dissensionibus, omnes Episcopos in hanc tandem conspirasse sententiam, quod Christus ipse per epistolas Romanorum Pontificum veritatis pabulo & Caelestibus dapibus Synodos recreaverat: quod Romani Pontifices in suis decretis ex Cathedra pronuntiatis Spiritus Sancti organa fuerant: quod per eos Petrus, Apostolorum princeps & caput, fideique columna, loquutus fuerat, suumque de rebus in controversia positis judicium pronuntiaverat. Ex his porro in rem nostram plura colligere est.

Primo, quod quicumque ante Synodum Romanorum Pontificum decretis refragati sunt, ii reapse & Christo, & Spiritui Sancto, & Apostolorum Principi, quorum illi organa & interpretes fuerant, restiterunt. Quod sane post tot experimenta; etsi certa Apostolorum Principi facta Christi promissa deessent; post tot, inquam, experimenta verendum iis omnibus esset, qui Sedis Apostolicae Constitutiones (quas olim Synodi Oecumenicae velut oracula caelo delapsa veneratae sunt) nullo in honore & pretio habent, & profanorum hominum, seu Theologiae Mysteriis nequaquam initiatorum ludibriis objiciunt.

Secundo, quod quum vere testatur Spiritus Sancti praesentiam concors & unanimis congregatio Sacerdotum, tum vox una resonat omnium Episcoporum; quod Christus, quod Spiritus Sanctus per os Romanorum Pontificum loquutus est. Adeoque ipsius Spiritus Sancti testimonio constat, quod ipse unus atque idem

idem Spiritus prout vult, modo solum Ecclesiae caput, modo universum corpus veritatis suae luce perfundit: qui propterea non minus audiendus sit quum vocem suam per solum caput, quam quum per universum corpus emittit. Profecto, si testimonia invicem conferantur, quibus probari solet, Conciliis Oecumenicis adesse Spiritum Sanctum; divinamque eorum decretis adjungere auctoritatem, & quae, vel in hoc solo Capite ex ipsis Conciliis protulimus ad probandum, eumdem Spiritum Sanctum perinde adesse Romanis Pontificibus, quum e Petri Cathedra de fidei rebus pronuntiant; nemo non facile intelliget, &, si verum amat, etiam fatebitur, non minus in his esse momenti quam in illis. Quid enim pro Synodis Oecumenicis praeclarius aut magnificentius adferri posset, quam Spiritum Sanctum per eas loqui, & organa esse, per quae ille caelestia oracula fundit? Haec vero constanter de Romanis Pontificibus celebriora Concilia praedicarunt.

Tertio, non modo Spiritus Sanctus perinde Romano Pontifici, ac Synodo generali, vel capiti seorsim atque universo corpori suum lumen & vigorem adspirat; verum etiam prius caput, quam universum corpus illustrat; ut nimirum decenti ordine caelestia dona in universum corpus a capite deriventur, quemadmodum S. Leo identidem animadvertit. Non enim Patres docent, tum primum quum in unam eamdemque sententiam cum Romano Pontifice Synodus consentit, Spiritum Sanctum suum proferre de rebus controversis judicium, sed quod jampridem illud protulerat; quum universam Ecclesiam per Caelestini ex. gr. Leonis, & Agathonis epistolas adloqueretur. Id vero permagni sane momenti est. Hinc enim plane consequens est, Romanorum Pontificum decreta, non ex Conciliorum generalium adprobatione & consensu, sed ex seipsis, vel potius ex Spiritus Sancti inspiratione, divinam habere, adeoque & ineluctabilem auctoritatem. Nam quemadmodum quum Politicus Magistratus declarat, legem aliquam vere ex Principe esse profectam, non ei tum confert auctoritatem, quam totam ex voluntate Principis trahit: ita quum Synodus declarat, Spiritum Sanctum auctorem fuisse decreti, quod Romanus Pontifex promulgaverat, non tum primum huic decreto divinam confert auctoritatem, quae tota ex Spiritus Sancti inspiratione promanat.

Hinc quarto loco colligitur, perinde esse, sive aliqua Synodus generalis dicatur quidquam Romano Pontifice, sive Spiritu Sancto auctore, decernere. Quum enim Romani Pontificis aliquod sollenne decretum Synodus generalis amplectitur & promulgat, simul declarat illius decreti auctorem fuisse Spiritum Sanctum, quum primum e Petri Cathedra pronuntiatum fuit. Quare non recte Illustrissimus Petrus de Marca illud Marciani Imperatoris & Pulcheriae Augustae de Episcoporum munere in futura Synodo ad Leonem scribentium (a): *Te auctore decernant*; non,

(a) ·I. Part. Conc. Chalcedon. cap. XXXIV. & XXXV.

non, inquam, recte satisque apte sequentibus verbis exposuisse videtur [a]: „ Sane quaenam futura sit „ Summi Pontificis potestas in Concilio Oecumenico, facile animadverti potest. Nempe rerum gerendarum & sanciendarum auctor „ esse debet; quemadmodum Senatus consulta olim in Imperio fiebant „ auctore Principe. Unde Marcianus Augustus de proposito suo cogendae Synodi ad Leonem ita scribit, ut *eo auctore* illam celebrare „ velit, id est, eodem jure quo „ Principes Senatui auctores fiebant „ aliquid censendi. Imperatorum placita, quemadmodum jam saepius animadvertimus, Senatus judicio subjecta erant; nec nisi Senatu consentiente, penes quem condendarum legum summa potestas erat, vim legis consequebantur: quare auctore Principe id fieri dicebatur, quod eo potius suadente, quam cogente vel decernente fiebat. At decretorum fidei, seu legum, quae ad fidei rationem pertinent, ferendarum, penes Spiritum Sanctum summa potestas & auctoritas est, qui solus jus habet Christianae fidei obsequium ab humanis mentibus exigendi. Quapropter qui de rebus fidei Spiritu Sancto auctore decernit, is certe non suasoris, sed Legislatoris partes obit, & ad obsequium fidei humanas mentes cogere auctoritate sua potest: ex se ipsis enim rata sunt Spiritus Sancti judicia nec ex quorumlibet hominum consensione eorum vis & auctoritas pendet. Quum ergo quae summo Pontifice auctore in Synodis generalibus decreta sunt, Spiritu Sancto auctore decreta fuisse dicantur, non eadem ratio de Pontificiis decretis habenda est, ac de Senatus-Consultis, quae olim in imperio auctore Principe fieri dicebantur.

At, inquies, saltem eo similes erunt ab Imperatore & a Pontifice dictae sententiae, quod quemadmodum illarum auctoritate subjecti populi minime tenebantur, nisi post quam illas Senatus veluti rectae rationi consonas, & bono publico consulentes adprobasset: ita neque Pontificis Romani sententiis Christifideles adstringuntur, nisi postquam Synodus generalis facto examine declaraverit, eas reapse e Romana Sede Spiritu Sancto auctore profectas esse. At neque id jure obtendi posse, satis ex superioribus constat. Nimirum ostendimus, decretis Apostolicis tanquam fidei Catholicae formulis ante fuisse subscriptum, quam Concilia Oecumenica cogerentur, vel Apostolicorum decretorum examen fuisset in iis ipsis Conciliis a Patribus institutum. Non est autem auctor fidei nisi Spiritus Sanctus: quare qui formulae fidei a Romano Pontifice constitutae antea subscribebant, quam Synodus celebraretur, his certe Synodi declaratione, opus non erat, ut certo illis constaret, auctorem formulae vel regulae fidei ab Apostolica Sede praescriptae fuisse Spiritum Sanctum. Quid enim ex. gr. opus erat Anatolio Regiae Urbis Episcopo Synodi Chalcedonensis oraculo, quum haec de illo ad Leonem Pontificem in ea ipsa epistola, quam laudat Pe-

(a) Lib. V. de Concord. cap. VIII. num. IV.

Petrus de Marca, Pulcheria Augusta scribebat? *Anatolius in eadem fide permansit atque religione, & tuarum litterarum Apostolicam confessionem complectitur, illo errore sublato, qui ab aliquibus nunc ortus est.... & epistolae similiter Catholicae fidei, quam ad sanctae memoriae Flavianum Episcopum tua Beatitudo direxit, sine aliqua dilatione subscripsit*. An ambigere poterat, Spiritum Sanctum per Leonem esse loquutum, qui illius fretus auctoritate, haeresim, quam ille damnaverat, & ipse damnabat, & quam fidem praescripserat, incunctanter & ipse profitebatur? Hinc autem intelligitur quid eadem Augusta vellet sequentibus ejusdem epistolae verbis: *Facto concilio, & de catholica confessione, & de his Episcopis, qui ante hoc segregati sunt, sicut fides & Christiana pietas exigit, te auctore* (Patres) *decernant*: hoc est, Christiana pietas & fides exigunt, ut de Catholica confessione Patres in Conciliis decernant juxta regulam fidei, quam per Romanum Pontificem Sanctus Spiritus constituerat.

CAPUT ULTIMUM

Sive appendix, *qua demonstratur, Gallos Theologos pugnantia tueri, quum & Romanum Pontificem Centrum Catholicae Unitatis esse docent; & nihilominus ejus de fide moribusque decreta Ecclesiarum retractationi subjiciunt. Ejusmodi ἀντιλογίας exemplum in libris Petri de Marca* De Conc. Sac. & Imp.

HOc idem argumentum paucis ab hinc annis data opera pertractavit Joh. Laur. Moshemius inter Protestantes haud infimi Subsellii Scriptor, edita Dissertatione Theologico-Historica *De Gallorum appellationibus ad Concilium universae Ecclesiae, unitatem Ecclesiae spectabilem tollentibus*. Quamquam autem plura sunt in hacce Lucubratiuncula, quae merito Catholicus Theologus improbet ac detestetur; attamen si praecipuum illius scopum spectemus, in eamdem & nos sententiam manibus pedibusque descendimus; atque non semel in Opere adversus Illustrissimum Bossuetium (quum nondum in manus nostras ea Dissertatio pervenerat) hoc idem argumentum paucis attigimus, & in Gallorum opinionem intorsimus. Nunc ergo libet ex ea Heterodoxi hominis lucubratione aliqua excerpere, quae rem hanc in meliori lumine collocent, & , si rite expendantur, plane conficere videantur.

Triplicem ille [a] ex antiquissimis Patribus, & recentioribus ex ipsa

(a) §. XVI.

ſa quoque Gallia Theologis, unitatis Eccleſiae ſpeciem informat, *Moralem*, *Phyſicam*, *& Civilem*. Subditque, quod quamcumque Galli earum eligant, per nullam fieri poteſt, ut Concilii decreta Pontificis praeferant legibus. Quod ille per ſingulas diſcurrendo ſpecies, egregie, ut quidem ego ſentio, invicteque demonſtrat: „ *Moralis*, inquit, „ *Unitas* ex ſumma perfectaque animorum ſententiarumque cum Principe Doctorum conſenſione, originem trahit. Talem igitur ſi velint Galli eſſe in Eccleſia, hoc illis ratum eſſe debet, omnes omnino coetus eamdem, quam Pontifex Maximus, doctrinam profiteri debere, eo quod pretioſiſſimum veritatis depoſitum Romanae a Chriſto concreditum ſit Eccleſiae. Hanc antiquiſſimorum Doctorum animis inſediſſe opinionem, nec ipſe Moshemius diffitetur, imo & candide agnoſcit; ſubjungitque duorum Galliae Scriptorum teſtimonia, qui celebrem ac notiſſimum S. Irenaei locum ex lib. III. adv. haereſes cap. III. *Ad hanc Eccleſiam* [Romanam ſcilicet] *propter potiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt eos qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quae eſt ab Apoſtolis traditio*: in hanc mentem atque ſententiam interpretantur. Haec enim verba Renat. Maſſuetius expendens: *Ut vero*, inquit (*a*), *unitas inter tot Epiſcopos, totque ſingulares Eccleſias, tam longe a ſe invicem diſtantes foveri, omniumque conſenſus facilius explorari poſſet, nec omnes emergentibus controverſiis, maximo cum ſingularum gravamine, ſimul in unum locum convenire cogerentur, neceſſe erat primam aliquam inter omnes Eccleſiam conſtituit, quae ceteris omnibus praeeſſet, ceteris pro jure invigilaret, ac veluti quoddam* UNITATIS CENTRUM ESSET, *in quod omnes confluentes, ejuſdem fidei & communionis nexu colligarentur. Cognita igitur hujus primae Eccleſiae ſententia, ceterarum omnium ſatis ut plurimum cognita fuerit: una enim omnium cum ea Eccleſia fides atque doctrina: haec ceterarum Caput*, CUI ARCTISSIME ADHAERERE TENENTUR OMNES. Concinit Petrus de Marca: *Dei*, inquit (*b*), *Optimi Max. beneficio ſingulari ſumma & veluti arx quaedam Chriſtianae Religionis in faſtigio Sedis Apoſtolicae collocata eſt, ubi depoſitum verae fidei Majorumque traditiones tutiſſime cuſtodiuntur*. Clarius etiam Vir magnus alio loco (*c*): *Commune hoc officium communionis cum Eccleſia Romana, cui impendendo cum ceteris Provinciis Gallia aſtringitur, cognoverat ante omnes vetuſtiſſimus ille Lugdunenſium Antiſtes Irenaeus, qui unus ſcripſit quod omnes ſentiebant*: Ad Romanam Eccleſiam, *inquit*, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam: *quaſi diceret, juxta ſinceriorem illorum verborum interpretationem*

(*a*) Diſſert. III. in Iren. Art. IV. §. 30.
(*b*) De Conc. Sac. & Imp. lib. V. cap. XV. §. IX.
(*c*) Ibid. Lib. I. cap. II. §. VII.

nem, *eam esse vim unitatis*, *quae principium & originem a Petri Sede trahit*, *ut* CUM SA SENTIENDI NECESSITATEM *ceteris imponat*. Hasce utriusque laudati Scriptoris consecutiones ex illo Irenaei testimonio, quemadmodum & ex aliis huic adfinibus Tertulliani, Cypriani, aliorumque veterum Patrum locis, quae alibi expendimus, sponte fluere ac proficisci, idem Heterodoxus Scriptor sequentibus verbis testatur (*a*): „ Nesciverit Cyprianus & reliqui „ consectaria, quae cum eorum „ conjuncta sunt praeceptis de Ec„ clesia. Id vero quin sentiat, „ nemo unus tam hebes esse potest, „ inter unitatem quamdam univer„ sae Ecclesiae in Romano Ponti„ fice desinentem, talemque qua„ lem ex Irenaeo & Cypriano de„ scripsimus, communitatem, vix „ tantum esse spatii, quantum inter „ atrium & cubiculum, aut inter „ manum & digitos. Si primorum „ saeculorum innocentia obstitit, quo„ minus cogitando praesentirent in„ sidias, quas sacrae libertati nescii „ & inviti struebant, posteri certe „ autiores fuerunt, neque diu Pon„ tificibus obscurum fuit, quantum „ illa placita virtutis haberent, ad „ potentiam & auctoritatem suam „ stabiliendam. Quis non jure miretur hominis candorem ingenue fatentis, proximos illos Apostolorum discipulos, & post eosdem Apostolos Ecclesiarum Magistros, & Catholicae fidei Praedicatores & adsertores semina jecisse, ex quibus sponte doctrina nostra efflorescat? Nec modo illa de Romani Pontificis primatu, in quam omnes Catholici consentiunt; verum & illa, de qua cum aliquot communionis nostrae Theologis digladiamur. „Ex his nam„ que principiis tandem concludit [*b*] „ quod omnis a Pontifice provoca„ tio cessare debet, si haec unitas, „ quae ex summa perfectaque animo„ rum cum Principe Doctorum con„ sensione originem trahit, invio„ lata custodiri debet. Si enim, *in„ quit*, jus divinum exigit, ut ab „ ejus nemo desciscat sententia, „ Concilium si aliter ac Caput pro„ nuntiaret Ecclesiae in rebus fidei, „ gravissimum scelus committeret, „ atque communitatem sacram tol„ leret. Nullo itaque Concilio, si „ haec valeat sententia, opus est: „ eo quod Pontificis opinione per„ cepta & intellecta, Conciliorum „ etiam non ignota potest esse de„ cisio. Si Pontificis opinione percepta, Conciliorum ignota non potest esse decisio; ergo nunquam contingere potest, ut legitimum Concilium riteque & ordine celebratum, a Pontificis desciscat sententia, gravissimumque hoc scelus committat, ut sacram communitatem de medio tollat. Nec tamen propterea nulla est Conciliorum utilitas aut necessitas. Alioquin frustra fuissent celebriores Synodi celebratae. Quis enim Catholicorum ignorabat, cujusmodi futura erat de Verbi aeternitate atque Divinitate, deque illius Incarnatione, Nicaenae, Ephesinae, Chalcedonensis, sextaeque Synodi decisio, dum eae tamen rite libereque celebrarentur? Ad

(*a*) §. XIV.

(*b*) §. XVI.

Ad alteram *unitatis* speciem accedamus, quam *Physicam* Moshemius appellat, quoniam optime naturalibus declaratur exemplis: ejusque forma & idea, non secus atque praecedens, ex primaevae traditionis fontibus derivatur, & communibus Catholicorum Theologorum notionibus informatur. „ Quidquid id est, *inquit heterodoxus Auctor* [a], qui hac ratione dogma de Ecclesiae unitate saeculo secundo & tertio depravarunt, physicam quamdam unitatem animo complexi sunt. Nisi vehementer fallor, huc fere redit sententia eorum: Apostolos Spiritu Sancto praeditos, dona sua contulisse illis, quos praefecerant Ecclesiis: ab his eorum discipulis easdem dotes manasse in consequentium temporum Doctores iisdem coetibus praepositos; ab Episcopis in Presbyteros, & multitudinem Sanctorum reliquam, caelestem illam gratiam derivari: quemadmodum a radice succus omnis in totius arboris ramos diffundatur, aut omnis fluminum copia agrorumque fertilitas ab ultima proficiscatur scaturigine, sic ab Apostolis eorumque Successoribus omnem caelestis virtutis abundantiam defluere: quamobrem ab his divulsum, nec Spiritus Sancti, nec veritatis participem fieri posse. Aut nihil sibi volunt Irenaeus & Cyprianus in verbis, quae continuo subjicio, aut hoc ipsum quod dixi: sic vero ille (b): *Hoc enim Ecclesiae creditum est Dei munus, quemadmodum ad inspirationem plasmationi, ad hoc ut omnia membra percipientia vivificentur; & in eo disposita est communicatio Christi, id est Spiritus Sanctus, arrha incorruptelae, & confirmatio fidei nostrae, & scala ascensionis ad Deum*: In Ecclesia enim, *inquit*, posuit Deus Apostolos, Prophetas, Doctores, *& universam reliquam operationem Spiritus: cujus non sunt participes omnes, qui non currunt ad Ecclesiam, sed semetipsos fraudant a vita per sententiam malam & operationem pessimam. Ubi enim Ecclesia, ibi est Spiritus Dei; & ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia & omnis gratia: Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque a mam illis Matris nutriuntur in vitam, neque participant de Corpore Christi procedentem nitidissimum fontem*. Quisquis ad locum illum Apostoli respexerit, ad quem Irenaeus digitum intendit, haud aegre percipiet, neque ab ipso Irenaeo, neque a Cypriano, neque ab aliis secundi tertiique saeculi Scriptoribus depravatam fuisse, sed mirifice illustratam illis exemplis Apostolorum de Ecclesiae unitate doctrinam. „ Cyprianus enim, „ subjungit Moshemius, his verbis „ utitur (c), *Ecclesia quoque una est, quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur: quomodo solis multi radii, sed lumen unum: & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum: & quum de fonte uno rivi plurimi de-*

(a) §. III.

(b) Lib. III. adv. haeres. cap. XXIV.

(c) Lib. de Unitat. Eccles. cap. V.

defluunt, *numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate*, *unitas tamen servatur in origine*. *Avelle radium Solis a corpore*, *divisionem lucis unitas non capit*: *ab arbore frange ramum*, *fructus germinare non poterit*: *a fonte praecide rivum*, *praecisus arescet*. *Sic & Ecclesia Domini luce perfusa*, *per orbem totum radios suos porrigit*: *unum tamen lumen est*, *quod ubique diffunditur*, *nec unitas corporis separatur*.
„ In promtu sunt multa alia tam ex
„ his quam aliis testimonia, quibus
„ id quod dixi, extra omnem con-
„ troversiam collocem: sed his a-
„ lium dicare locum instituti fines
„ jubent.

Hoc itaque *physicum*, ut vocat, Ecclesiasticae *unitatis* genus, vehementius etiam consilio eorum obstare, qui ad vocem Conciliorum confugiunt, vel a Romano Pontifice provocant, jure Moshemius ad-
„ firmat: „ Qui enim, inquit [a],
„ huic generi favent, sic censent:
„ Omnes gratiae thesauros uni Ma-
„ ximo Pontifici a Christo collatos
„ esse, & ab hoc in reliqua redun-
„ dare Ecclesiae membra: sicut
„ venae & arteriae a corde tractae
„ & profectae in corpus omne du-
„ cantur, uti arbores ex radice suc-
„ cum trahant, quemadmodum vi-
„ tales spiritus a capite in reliquum
„ corpus diffundantur: ita a Ponti-
„ fice in eos, qui ipsi dignitate sunt
„ proximi, ab his in Episcopos,
„ porro in universam Sanctorum mul-
„ titudinem omnia Spiritus Sancti
„ dona descendere: propterea avulsi
„ instar ab arbore rami, aut mem-
„ bri amputati & mortui sese ha-
„ bere, qui Pontificis & Ecclesiae
„ communionem deserat. Haec sae-
„ pe numero vis est tritissimae si-
„ militudinis, qua corpori Ecclesia,
„ Pontifex autem capiti ejus com-
„ paratur, id quod vel ex Bellarmi-
„ no apparet. Nec aliter Gallos inter-
„ dum loqui solere, ex his omnium
„ totius regni Doctorum vocibus con-
stat (*b*): *Aequum igitur est*, *ut Episcopi sanctam Sedem Apostolicam & Ecclesiam Romanam colant & observent*; *namque ea non modo divinis promissis falli nesciis*, *ut & sanguine Apostolorum & Martyrum nixa est*; *sed etiam*, *ut cum Athanasio loquamur*, *sacrosanctum illud caput est*, *a quo reliquae Ecclesiae*, *quae membra ejus sunt tantummodo*, *vitam*, *sanitatem & vigorem accipiunt*. „ Cum hac si aliquis opinione
„ Concilium appellat, is vero tam
„ prudenter & graviter agit, ac si
„ membra abscissa, aut ramum trun-
„ catum vivere tamen, nec capitis
„ indigere disputet. Quod si enim
„ quidquid in Episcopis virtutis cae-
„ lestis est, propter consociationem
„ cum Pontifice in illis est, quid
„ de illis, quaeso, pronuntiandum
„ erit, qui sine capite conveniunt,
„ ut in ipsum caput, a quo nutriun-
„ tur, sententiam ferant? Lepidus
„ foret, qui adseveraret, esse in
„ brachiis & pedibus a corpore scis-
„ sis vim quamdam judicandi, an
„ caput vivat, vel extinctum sit,
„ an

(*a*) §. XVII.
(*b*) Avis de l'Assemblée generale du Clergé de France à Mgrs. les Archevéques & Evêques du Royaume le 20. Jan. 1626. art. 137.

„ an recte membra gubernet, an „ vero secus. Haud vero multo „ melius illi, qui membra Ec- „ clesiae capiti, cui vitam debent „ unice, diem dicere posse putent. „ Non ergo stolide, quod ad hanc „ rem attinet, Rob. Bellarminus (a): *Caput a membris regi, & non ea potius regere „ contra naturam est: sicut etiam est contra naturam, quod membra sibi caput praecidant, cum forte graviter aegrotat.*

Haec lucem mutuari possunt ex his, quae latius ad librum XIII. Meldensis Episcopi, & alibi disserui- mus: ex quibus perspicue constat, Romanum Pontificem, juxta sacrarum litterarum, & veterum Patrum testimonia, non modo singulis membris, verum & universae Ecclesiae, quae ipsi etiam in Conciliis Oecumenicis congregata velut corpus capiti subest, fontem esse, radicem & originem vitae, auctoritatis, & potestatis, nec illi Spiritum Sanctum ejusque vigorem & inspirationem infundi, nisi cum Petro in suis adhuc Successoribus vivente, a quo Christus voluit dona sua in Ecclesiam, quemadmodum ait Leo Magnus, velut in corpus omne diffundi, indivulso nexu conjuncta sit. Hinc autem vires trahit argumentum, quod hîc adversus Gallos Theologos Moshemius intorquet. Hinc enim consequens est, non modo singulos seorsim Episcopos, verum & eosdem in Conciliis Oecumenicis congregatos nihil posse adversus potestatis suae & auctoritatis fontem, originem & principium. Pergit Moshemius (b).

„ Ultimum in *Civili unitate* praesidium Gallis restat: a quo si „ depulsi fuerint, conclamatum erit. „ Quaelibet civitas, id quod nullum „ praeterit, arcto quodam colligata „ est vinculo, omniaque ejus mem- „ bra certis ordinibus & gradibus „ inter se apta sunt: cujus quidem „ consociationis atque unitatis apex „ & fons is est, qui Rempublicam „ gubernat & administrat. Qui Ec- „ clesiam cum civitate confundunt „ Pontificii, hujus generis in ea sibi „ fingunt unitatem: Vicarium Chri- „ sti & caput sacri Imperii Pontifi- „ cem esse statuunt, ad quem ideo „ reliquae vasti corporis partes referri debeant. Quum universam Ecclesiam unius instar civitatis, sive etiam familiae vel domus habent Catholicae communionis Theologi, ejusque caput, & veluti Patremfamilias, Romanum esse Pontificem statuunt; hasce de Ecclesia ejusque unitate notiones ex sacris litteris & veterum Patrum testimoniis hauriunt, quemadmodum loco superius indicato uberrime demonstravimus. „ Illhuc unitatis genus, *inquit* „ *Moshemius*, plus ceteris arridere „ videtur Gallis: qui licet de na- „ tura imperii sacri cum ceteris dis- „ sentiant, haud tamen esse ma- „ gnam potestatem Pontifici, & in „ omnes regni Christi provincias ju- „ risdictionem, diffiteri audent... „ Ad nostrum id satis est institutum, „ quod omnes concedunt Galli, Ma- „ gistratum quemdam, licet haud „ supremum, [hunc enim generale „ Concilium esse judicant; ad quod „ velut ad supremum Ecclesiae tribu- „ nal appellari licite & jure posse „ contendunt,) in Ecclesia tenere „ Pon-

(a) De Concilior. auctor. lib. II. cap. XVII. (b) §. XVIII.

„ Pontificem ; ideoque ut sacrae „ unitatis caput, principiumque uni„ tatis, spectari debere [a] : In „ hac ego sententia id primum „ male meditatum esse dico, quod „ superius Pontifice Concilium esse „ perhibent ; & nihilo tamen minus „ spectabilis eum unitatis initium „ esse defendunt. Ab eo, nisi „ me ratio fallit, unitas in Repu„ blica repetenda est, quod praeci„ puum est auctoritate & dignitate, „ nec is appellari princeps civitatis „ potest, cui major aliquis leges „ ferre potest. Apud Venetos non „ in Duce, qui nihil sine consilio „ valet, sed in Senatu, majestas, „ Reipublicae principium, & uni„ tas requiescit. Quamobrem si con„ spicua quaedam in Ecclesia con„ sociatio floret, Concilium vero „ Pontifice dignius est, in hoc pun„ ctum illud civilis concordiae col„ locandum est, non in Romano „ Antistite ; cujus decreta in Con„ cilii disceptationem cadere possunt.

In hac heterodoxi Scriptoris disputatione improbamus quidem, ut jam diximus ac detestamur, hominis audaciam & insaniam, qua Catholicam de Ecclesiae adspectabili unitate doctrinam, Scripturarum & veteris traditionis perspicuis testimoniis nixam, passim ac temere vellicat, ac monstri instar traducit : laudamus tamen atque suspicimus tum ejus candorem, quo hanc eamdem doctrinam prioribus Ecclesiae seculis obtinuisse fatetur ; tum etiam ingenii perspicaciam, qua inde consequens esse intellexit, Romani Pontificis, qui illius unitatis origo, radix & centrum esse statuitur, summam esse debere & ineluctabilem in omnem Ecclesiam auctoritatem. Id enim in circulo centrum dicitur, in quod omnes & singulae, & divisim & conjunctim ductae a peripheria lineae desinunt, in quo invicem conjunguntur, in quo immote quiescunt, & nisi centrum varietur, & alius circulus describatur, ultra procedere nequeunt. Sic porro, ut omnes juxta communem omnium Ecclesiarum traditionem Theologi fatentur, constituta est Ecclesia, ut omnes ad Petri Sedem, velut ad centrum lineae, ferantur. Id ipse Petrus de Marca sequentibus verbis docet [b] : *Sane communi omnium Ecclesiarum consensu fuisse receptum, ut ad Cathedram Petri, tanquam in descriptione circulari lineae ad centrum, respicerent ; non solum nos docuit Leo Primus, sed etiam omnes Africani Patres*. Ergo nisi Ecclesiae constitutio varietur, in Petri Cathedra, ejusque auctoritate & judicio universa quiescere Ecclesia debet ; ut nimirum in illa, ut verbis utar Tertulliani (c), sit *finis quaerendi, statio credendi, expunctio inveniendi*.

Hunc autem tres illae quas memoravimus unitatis species inter se ordinem habent, ut ea praecedat, quam *physicam* appellare libuit, quod naturalibus exemplis fontis, radicis, & capitis explicetur ; hanc unitas *moralis* excipiat, quae in sententiarum & dogmatum consensione posita est ; ex qua demum Ecclesiae pax & tranquillitas, ac veluti fraterna

(a) § XIX. (b) Lib. I. de Conc. Sac. & Imp. cap. II. num. IV.
(c) Lib. de Praescript. cap. X.

terna & unius familiae concordia, vel unius civitatis ac regni seu *civilis* unitas efflorescat. Ex quo enim a prima Sede seu Cathedra principali docendi munus & auctoritas in universa Ecclesia velut a capite, fonte & origine pendet; sequitur, quod eam omnes veluti magistram colere ac suspicere debeant; adeoque eamdem cum illa sentiendi necessitas omnibus incumbit. Ex hac vero sententiarum & dogmatum consensione pendent ea caelestis civitatis jura, quae Tertulliano dicuntur [a] *communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis: quae jura*, subjungit laudatus Auctor, *non alia ratio regit, quam unius sacramenti una traditio*. Ut nimirum haec cum Sede Apostolica civilis communio ac veluti consociatio argumentum sit consensionis in eamdem doctrinam: *Communicamus*, ut idem ait (b), *cum Ecclesiis Apostolicis, quod nulla doctrina diversa*. Hoc vero, ut ipse concludit, argumentum sit ac testimonium veritatis: *Hoc*, inquit, *est testimonium veritatis*. In hoc ergo veritatis regno, quod est Ecclesia, eadem est Sedes, vel, ut ait S. Cyprianus (c), idem est *domicilium unitatis & veritatis*; ac proinde ut Sedes Apostolica centrum est unitatis, in quo semper servanda communio est, vel a cujus communione nunquam excidere licet; ita Sedes est veritatis, cum qua propterea semper sentiendum est, vel cujus de fide moribusque sanctionibus atque decretis nunquam resistere ac refragari fas est: adeoque pugnantia docent, qui eamdem Sedem Apostolicam ut centrum immobile unitatis colunt, nec eamdem ut veritatis fontem indeficientem, & arcem inexpugnabilem venerantur. Hujus autem ἀντιλογίας, ut ex dictis apparet, insigne extat exemplum in libris Petri de Marca de Concordia Sacerdotii & Imperii. Hinc enim, ut jam vidimus, docet, summam & veluti arcem Christianae religionis in fastigio Sedis Apostolicae collocatam esse, ubi depositum verae fidei Majorumque traditiones tutissime custodiantur; omnesque Ecclesias ad Cathedram Petri, tanquam in descriptione circulari lineae ad centrum, respicere; denique eam esse vim unitatis, quae principium & originem a Petri Sede trahit, ut cum ea sentiendi necessitatem ceteris imponat. Hinc autem ceteris Ecclesiis plenam libertatem vindicat ad ejusdem Sedis Apostolicae de fide sanctiones retractandas, easque judicio suo aut probandas aut improbandas. Quomodo enim haec duo cohaerent, necessitas eadem sentiendi, & plena libertas dissentiendi? Haec ergo ἀσύστατα esse, & ipse postmodum Vir illustrissimus atque doctissimus intellexit, ac propterea vitae suae postremis mensibus luculenta dissertatione de Romani Pontificis *infallibilitate* disseruit, ut Stephanus Baluzius, qui illam ex ore dictantis excepit, in ejus vita testatur.

(a) Ibid. cap. XX. (b) Ibid. cap. XXI. (c) Epist. in edit. Oxon. LI. al. XLVII.

FINIS.



INDEX ALPHABETICUS

NOMINUM, AC RERUM PRAECIPUARUM.

Numerus prior paginam, posterior cum littera c. columnam primam, vel secundam paginarum notat.

143.

tan-

D

E

gita-

F

Pio-

cognoscit. ibid. *Sicut prae caeteris* Ecclesiis *tenetur fidei veritatem defendere; sic & de fide, si quae subortae fuerint, quaestiones suo debent judicio definiri*. ibid. Ejus *privilegium, ut universarum Ecclesiarum causas sua authoritate discutiat, ac finiat, ipsa verò nullius unquam judicio subjaceat*. 62. Hujusmodi pivilegium non ipsa sibi confinxit, sed habet *a Domino Jesu Christo, Sanctisque Patribus traditum, & per prospera, et adversa conservatum* jugiter. ibid. *Adversus* eam *non praevaluerunt per omne saeculum, neque praevalebunt usque ad finem saeculi Inferi portae, ora videlicet baereticorum, sicut promisit Ille, qui non mentitur*. 87. c. 1. *Tota Christianorum Ecclesia Catholica, & omnes universales Synodi fideliter amplectentes ejus doctrinam, & omnes Sancti Doctores, & Ecclesiae Luminaria in omnibus ejus doctrinam secuti sunt*. 84. c. 1. *Quomodo audetis dicere eam errare, quae inerrans a Doctoribus praedicatur?* 88. c. 2. *Primitiva* Romana *Ecclesia . . divino quodam consilio Parochias instituit, Dioeceses distinxit, Episcopos creavit, & Metropolitas praefecit, ut tanquam membra capiti obsequentia, cuncta secundùm ejus voluntatem in Domino* peragerent. 95. c. 1. Sacrosanctae Rom. Ecclesiae hactenus pro jure commendatae, uti & Pontificis Summi privilegia singularia legere est magnificè exposita, juxta avitam Gallicanam sententiam, ab Auctore Carolini Operis. 18. c. 2. *usq. ad* 21. Vid. *Sedes Apostolica*.

Romanus Pontifex *princeps in Episcopatu fidei, & caput*. 144. c. 1. *Illimis ac sincerus fons verae fidei, securus totius Ecclesiae portus*. 87. c. 2. *Totius Ecclesiae caput, omnium Christianorum Pater, et Dominus*. 80. c. 1. *In universum orbem tenet Primatum*. 79. c. 2. & seq. Habet sibi *in B. Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Jesu Christo plenam potestatem traditam*. 80. c. 1. *Habet potestatem caeteras Ecclesias confirmandi, tanquam qui omnibus haeresibus superior, longeque positus ab omni procella haereticorum* sit. 87. c. 2. *Solus ipse dubiis emergentibus circa fidem Catholicam potest per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhaerendum, finem imponere*. 79. c. 2. *Ei summa data potestas, ac divinum injunctum imperium*. 93. c. 2. Ab eo *sacrae leges oriuntur, et manant*. 94. c. 1. Quisquis ei *quantamlibet eripit authoritatem, omne jus, et omnem legem dissolvit*. ibid. *Authoritatem super omnia Concilia habet*. 95. c. 1. *Solus . . Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, et potestatem habet*. ibid. Idque *etiam propria eorundem Conciliorum confessione manifeste constat*. ibid. *Primas partes in Conciliis tenet, ut finem imponat controversiis, easque dirimat*. 97. c. 1. *In omnibus Conciliis tanquam judex corrigendis aliorum erroribus praeesse solet*. ibid. Per eum *potestas clavium ad alios diffundenda usque ad saeculi finem*. 91. c. 1. *Quod non alii sine ipso, ipse sine aliis potest ex privilegio sibi collato a Domino, et concessa plenitudine potestatis*. 65. c. 1. *Nec nostro, nec ullius hominum probatur subjacere judicio*, confessio est ingenua Ivonis Carnotensis, aliorumque veterum Episcoporum Gallorum. 53. c. 2. *et seq*. Non defuit, qui olim in Germaniae Synodo ausus fuerit effutire: *Rom. Pontifices hunc sibi Primatum adscripsisse, non aliunde concessum haereditasse, ut nullus de eorum judicio judicare debeat, nec illi alicujus judicio subjaceant*. 48. c. 2. *Aperte* tamen *a tota Synodo* fuit *confutatus*, imo *et a Laico convictus*. ibid.

te ea per seipsos vere finiendi. 64. c. 2. 65. Multo minus propria cadunt authoritate ob impensas Apostolicis ipsorum Constitutionibus confirmationes sive a particularibus, sive a generalibus Synodis. 108. c. 2. 109.

S

SAxoniae, aliarumque Regionum Septentrionalium Gentes olim ad Christianam fidem traductae opera Caroli M. Imp. 20. c. 1.

Sedes Apostolica *in omnem terrarum orbem primatum tenens*. 7. c. 1. *Sufficiens ad haereticorum mendacium convincendum, impietatemque reprimendam*, confessione etiam veterum Nestorianorum. 124. c. 1. *Semper Sanctorum Patrum sincerissimas authoritates in omnibus suis actibus sequitur*. 38. c. 2. *Quae* in negotiis Ecclesiasticis *agenda, aut ambigenda fuerint, irretractabiliter cuncta disponere, ordinare, atque definire potest*. ibid. *Contra singulos errores in Ecclesia exortos prior ipsa, secundum primatus sui authoritatem, sententiae terminum dedit*. 43. c. 1. Idque exemplis pluribus illustrat Doctissimus Thomassinus. *ibid.* Notum, *quae ab ea statuta fuerint, haec universalem semper Ecclesiam tenuisse*. ibid. Duo ista, sat evidenti, constantique usu confirmata, inerrantiam ejusdem Sedis extra dubium omne ponunt. 43. c. 2. 44. *Firmamentum a Deo fixum, et immobile ... Apostolicam Sedem constituit... Christus Deus noster*. 165. c. 2. *Si illa Divina Sedes non recte sentit, mentitur Christus.. Ecclesiae pollicitus se cum ea fore, et portas Inferi non praevalituras adversus eam* 88. c. 1. In ipsa *immaculata est semper Catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina*. 32. c. 1. *Est* item *integra, et vera Christianae religionis soliditas*. 33. c. 1. *Decreta Sanctorum Patrum de primatu ipsius; quod nulli unquam liceat ejus judicium retractare, et de ejus judicio judicare*. 48. c. 2. *Ejus judicium nusquam praecipiunt Sacri Canones retractari*. 36. c. 2. Et haec quidem Apostolicorum judiciorum retractatio ostenditur vetita nedum particularibus, sed generalibus quoque Conciliis. 37. c. 2. *et seq.* 45. c. 1. In ipsa quippe *aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad superiorem haberi*. 61. c. 2. *Ad manifestationem veri, et justi judicii ejus... Refractarii non habent vocem repedationis, vel appellationis*. 40. c. 1. Temere propterea, atque inepte ut olim a Schismaticis Photianis, ita nunc a novis Refractariis emendicata Patrum, & Conciliorum veterum testimonia opponuntur dogmaticis hujus Sedis Constitutionibus, quibus ipsi reluctantur. 41. Est pariter *abroganda Sanctio.. quae adversus hanc Sedem, omnium Ecclesiarum Matrem, ab inferioribus Praelatis lata sit, tanquam..si elevetur virga contra levantem se*. 94. *Quod ab hujus Sedis Rectoribus plena authoritate sancitur, nullius consuetudinis praepediente occasione, proprias tantum sequendo voluntates, removeatur; sed firmius, atque inconcusse teneatur*. 38. c. 2.

Singulare ejusdem Sedis privilegium est, quod generalibus Synodis confirmationem, & pondus ineluctabile impendat. 104. c. 2. 106. c. 2. *et seq. usq. ad* 110. Ita scilicet, ut *quod ipsa firmavit in Synodo, hoc robur obtineat; quod refutavit, habere non possit firmitatem*. 108. c. 1. 137. Istud profecto *totum in Sedis Apostolicae positum est potestate*. 108. c. 1. Rursus, quotiescunque contingit in Synodis generalibus pertractari quod jam ab hac Sede fuit judicatum, ex more prisco Apostolica judicia in ipsis Synodis palam proponuntur, ut tanquam *specula in omnibus habeantur*,



INDEX

INDEX ALPHABETICUS

NOMINUM, AC RERUM PRAECIPUARUM, QUAE CONTINENTUR IN ADJECTA DISSERTATIONE

DE SENTENTIA ILLUSTRISSIMI PETRI DE MARCA &c.

Numerus prior paginam, posterior cum littera c. *columnam primam, vel secundam paginarum notat.*

A

B

C

Fi-

dam

flexa est. 23. c. 2. *Quis ab ejus se velit separare doctrina, quem ipse inter Apostolos primum Magister edocuit?* 43. c. 1. *In communi omnibus Apostolis periculo a Domino pro fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit*. 30. c. 2. *Ejus authoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutae sunt*. 23. c. 2. *Communi omnium Ecclesiarum consensu* fuit *receptum, ut ad Cathedram Petri, tanquam in descriptione circulari lineae ad centrum, respicerent*. 53. c. 2. In ea *finis quaerendi, statio credendi, expunctio inveniendi*. ibid.

Claves regni caelorum accipiendo obtinuit ipse a Christo summam, & a nullo nisi ab eodem Christo, qui claves dedit, pendentem authoritatem. 7. c. 2. *& seq.* Hujusmodi claves ei speciatim ac *soli* datae dicuntur ab Ecclesiae Patribus, quia potestas ligandi, atque solvendi aliis non sine ipso, ipsi vero sine aliis data est. 8. c. 1. Exinde porro intelligere est, totam authoritatis vim in ipso, velut in radice, positam esse; ad alios autem veluti per ramos a radice deductos permeare. 8. Penes ipsum est dignitas absoluti, merique Principatus a Christo in Ecclesia stabiliti. 30. c. 2. *& seq.*

Petrus de Marca, Praesul Illustrissimus, rationem excogitavit componendi Pontificiam authoritatem cum libertate Episcoporum in Conciliis generalibus, attribuendo Pontifici jura Imperatorum, Episcopis jura Patrum Conscriptorum Rom. Senatus. 4. c. 2. & *in Praefat. hujus Dissertationis circa medium*. Ast ipsum oppidò falli in aequiparanda forma regiminis Ecclesiae Christi, & veteris Rom. Reipublicae, demonstratur ad oculum. 4. c. 2. *usq. ad fin. Dissertationis*.

Contendit, Christum removisse a sua Ecclesia verum, ac merum Dominatum. 26. c. 1. Subinde tamen sententiam temperat. 29. c. 1. Pontificia de fide Decreta ante Synodalem Episcoporum consultationem, & deliberationem veluti dubia, & nutantia repraesentat. 17. 39. c. 2. Authoritatem permaximam super Episcopos in generalibus etiam Synodis congregatos exercuisse Leonem I. & Hadrianum II. Pontifices, non potuit dissimulare 11. c. 2. 14. c. 2. 22. Identidem quoque commendavit supremum Sedis Apostolicae principatum in omnes Ecclesias. 48. c. 2. 53. c. 2. Hinc ob propugnatam aliunde doctrinam de retractabilibus ejusdem Sedis Apostolicae judiciis, haud levis antilogiae merito insimulatur. 54. c. 2. Sed postremo, emendata meliori consilio doctrina ejusmodi, quam & ipse probe detexerat, antilogiam sustulit. *ibid*.

Photianos Episcopos Synodum VIII. oecumenicam ingredi indulserunt Legati Apostolici ea lege, ut non disceptarent, sed solum audirent jam latam in ipsos a Rom. Sede sententiam. 19. c. 2. Nihilominus, ut in viam facilius revocarentur, postea permissum est illis eloqui. 36. c. 1.

Philipus Praesbiter in oecumenica Synodo Ephesina Legatus Apostolicae Sedis. 5. c. 1. Publica allocutione vindicavit D. Petro, ejusque Successoribus divinam summamque potestatem in Ecclesia. 5. *usq. ad* 8. c. 2.

Pontifex Romanus. Vid. *Romanus Pontifex*.

Praepositus ita se habet, ut semper in ipso *Populus aut corripiatur, aut laudetur*. 31. c. 1.

Princeps *quanto plus adeptus, tanto magis in lubrico* est, 10. c. 1. *Principi*

ctan-

ctandi, vel leviter immutandi. 21. c. 2. *usq. ad* 24. c. 2. Gravissimis intentatis paenis voluerunt itidem iisdem Definitionibus ab omnibus subscribi, antequam in ipsis Conciliis probarentur. 11. *usq. ad* 15. c. 2. Plerunque in Conciliis illi solum restiterunt Pontificiis judiciis, qui vel haeretica fuligine tingebantur, vel non satis sani erant in fide. 42. Iis autem divinam inesse authoritatem, compositis tandem dissensionibus, palam professi sunt Conciliorum Patres. 43. 44. Ad comprobandam summam hanc authoritatem Pontificiam tam valida adsunt momenta, ut firmioribus demonstrari nequeat ipsorum Conciliorum authoritas. 45. c. 1. Vid. *Concilia generalia*.

Rom. Imperatorum & Pontificum ex una parte, Senatus & Ecclesiae ex alia parte Jura incongrue a Petro de Marca invicem conferuntur. 1. c. 1. & *in Praefat. Dissertationis circa medium*.

Romana Ecclesia *prima inter omnes Ecclesia, quae caeteris omnibus praeest, caeteris pro jure invigilat, ac veluti quoddam unitatis centrum est*. 48. c. 2. *Haec caeterorum caput, cui arctissime adhaerere tenentur omnes*. ibid. *Nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est*. 23. c. 2. *In ea semper conservata est, quae est ab Apostolis traditio*. 48. c. 1. Vid. *Sedes Apostolica*.

S

Sedes Apostolica, quam *caeteris omnibus Dominus statuit praesidere* 40. c. 2. *Magistra Ecclesiasticorum negotiorum*. 14. c. 2. & seq. *Contra singulos errores in Ecclesia exortos prior Haec, secundum primatus jus authoritatem, sententiae terminum dedit*. 24. c. 1. Ejus *Scripta*, seu Decretales Epistolae, *in Synodis prisco tempore collectis .. in propatulo ponebantur* .. & quasi *specula ad omnibus habebantur, & quasi quaedam rectitudinis formula*. 23. c. 2. & seq. *Quae ab ea statuta fuerint, haec universalem semper Ecclesiam tenuisse*, notum est. 24. c. 1. *In ejus fastigio summo, & veluti arx quaedam Christianae Religionis collocata est, ubi Depositum verae fidei, majorumque traditiones tutissime custodiuntur*. 48. c. 2. In Ecclesia ipsa *est domicilium unitatis, & veritatis*. 54. c. 1. Geminas porro hasce praerogativas in ea agnoscere, & aliunde ejus de fide, ac moribus Definitiones asserere retractabiles in generalibus Episcoporum Conventibus, antilogia videtur manifesta. 54. c. 2.

Senatus Rom. prioribus 9. annis imperii Tiberii aliquam retinuit pristinae authoritatis, libertatisque imaginem. 15. c. 2. *usq. ad* 17. c. 2. Hinc plura pro sua ista libertate decrevit adversus Imperatoris sententiam. 21 c. 1. Inter haec venit, quod a Tertulliano perhibetur de Christo in Deorum numerum minimo referendo. 21.

Spiritus Sanctus, prout vult, modo solum Ecclesiae caput, modo universum corpus, veritatis suae luce perfundit. 45. c. 1. Prius tamen caput, quam universum corpus illustrat, ut decenti ordine caelestia dona diffundantur. 45. Itaque Ejus vis, charismata, omnesque gratiae thesauri a Rom. Pontifice, cui tanquam capiti insidet, in Episcopos, hincque in reliquorum Fidelium caetum derivantur. 25. c. 2. 50. 51.

T

S. Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus permaxime coluit Sedis Apostolicae, ac Rom. Pontificis authoritatem. 14. c. 1. 43. c. 2. *et seq.*

S. Tho-

FINIS.